ECCLESIÆ PISANÆ HISTORIA AUCTORE P.M. ANTONIO FELICE MATTHÆJO FRANCISCANO...



ECCLESIAE PISANAE HISTORIA

AUCTORE


P. M. ANTONIO FELICE MATTHAEJO

FRANCISCANO CONVENTUALI

In Academia Pisana Sacrae Theologiae

PUBLICO PROFESSORE.

TOMUS I.



LUCAE MDCCLXVIII.

EX TYPOGRAPHIA LEONARDI VENTURINI


CENSORIBUS APPROBANTIBUS.

Non *dubitamus, multa esse, quae, & nos praeterierint. Homines enim sumus, & occupati officiis: subcisivisque temporibus ista curamus.*

C. Plinius Secundus *Naturalis Historia lib. 1. pag. 4. edit. Harduini.*

PETRO LEOPOLDO
REGIO HUNGARIAE ET BOHEMIAE
PRINCIPI
ARCHIDUCI AUSTRIAE
MAGNO DUCI ETRURIAE

F. ANTONIUS FELIX MATTHAEJUS F. P.



Nter tot, ac tanta ingeniorum monumenta, quae TIBI, REGIE PRINCEPS ET ARCHIDUX ſunt ſingulari Tuo beneficio inſcripta, Tuaque benevolentia munita, rogare, ut haſce quo-

que meas qualescunque de Ecclesiae Pisanae Historia disputationes NOMINI TUO ex veteri more datas, dictas, addictas, velis excipere, nulla, puto, invidia est. Hominem in Etruria Tua natum, CAESARIS PARENTIS AUGUSTISSIMI beneficentia auctum, ac inter eos allectum, quibus in Academia sua Pisana disciplinas Divinas, atque Sacras tradendi munus commissum est, in eoque honoris gradu singulari Tua munificentia confirmatum, & se TIBI, & omnia sua debere, nemo non videt. Norunt autem omnes, quos vel Tuae virtutis splendor beatos facit, vel laudum Tuarum fama jam ubique admonuit pervulgata, has quoque res, de quibus agimus ad Tuam curam pertinere. Cum enim apud animum Tuum, MAGNE DUX, recte statuas, ita a DEO OPTIMO MAXIMO Reipublicae admi-

miniſtrationem, & regimen eſſe compoſitum, ac temperatum, ut ad humani generis felicitatem Imperium debeat cum Sacerdotio cohaerere, qui tam bene jura publica moderaris, IDEM exiſtimas res ſacras Tua cognitione, judicioque digniſſimas. Ad hanc ſcientiam inter cetera pertinet praeclariſſimae Piſanae Dioeceſis in Tua ditione poſitae Hiſtoriam cognoſcere, fines ſtatuere, vetuſtatem inveſtigare, amplitudinem, atque dignitatem expendere. Haec omnia ex perpaucis, iiſdemque obſcuris antiquitatis monumentis partim eruere, partim coniicere, adhibitis multarum rerum ſubſidiis, multo & labore, neceſſe habui, atque ſubciſivis, ut ajunt, horis, & non aliter, quam ſolent occupatiſſimi, conſcripſi. Utinam laborem hunc, PRINCEPS SERENISSIME, non indignum judices, qui vel REGIAM Tui praeſentiam adeat, vel

Tui inſcripti Nominis ornetur auctoritate. Fructum ſatis amplum induſtriae meae percepiſſe videbor, ſi id mihi peperi, quamtulumcunque ſit, quod potuerim Tibi tuus offerre, & conſecrare. Quod reliquum eſt, DEUM IMMORTALEM precor, ut Te, Optime Principum, Tibi, tuiſque, reique Etruſcae bono diu ſuperſtitem ſervet, incolumem, atque felicem.

IN ECCLESIAE PISANAE HISTORIAM

PRAEFATIO.

Ametsi multi Scriptores tum hoc, tum proxime elapso saeculo Sacros Ecclesiae Pisanae Fastos illustrare curarint, minus tamen vereor, ut in Litteratorum hominum reprehensionem juste incurram, quod ipse etiam eosdem Fastos explanandos susceperim. Ac ne quis id mihi jure crimini vertere queat, facit imprimis Archiepiscopus Pisanus Franciscus de Comitibus Guidis a sanguinis splendore, ab eximio pietatis, ac Religionis studio, a doctrina, prudentia, egregiisque omnibus animi dotibus commendatissimus, qui, ut Ecclesiae suae Historiam componerem, mihi mandavit; cui certe de me immortaliter merito obtemperandum esse censebam: deinde facit Auctorum, qui Pontificum Pisanorum seriem adornarunt, nimia brevitas, & indiligentia. Thomas Dempsterus natione Scotus in Academia Pisana Pandectarum Professor Ordinarius omnium primus catalogum eorum contexuit (1), *qui Ecclesiam Pisanam gubernarunt. Sed catalogus hic, sive quod Auctor noster anno* MDCXIX. *Pisis discedens Bononiam profecturus Opus* de Etruria Regali, *quod memoratum catalogum complectitur, ad umbilicum perducere, vel saltem omnino castigare nequiverit* (2), *sive quod eam, quae par erat, sollertiam in evolvendis antiquis monumentis non adhibuerit, multis erroribus, iisque gravissimis refertus est. In eo enim Dempsterus plures Episcopos ponit sine ullius veteris, & accurati Scri-*

(1) *De Etruria Regali T. II. lib. 5. cap. 2. pag. 263. & seq.*
(2) Confer Thomam Coke, qui anno 1724. Florentiae Opus Dempsteri edidit *epistola ad Lectorem T. I.*

Scriptoris, aut alterius monumenti auctoritate (1)*; quorundam nomina alieno prorsus loco saepissime collocat, & eorum non paucos iis temporibus electos statuit, quibus e vita migrarunt; adeo ut juste, vereque dixerit Ferdinandus Ughellius, quod* de Ecclesia Pisana, deque eiusdem Praesulibus Thomas Dempsterus satis mendose perscripsit (2).

Post Dempsterum eandem spartam ornavit Ughellius (3) *laudatus, patria Florentinus Monasterii* Trium Fontium *Ordinis Cisterciensis Abbas. Negari sane non potest, quin viro eruditissimo Ecclesia Pisana multum debeat, quippe quod innumeras fere vulgavit Imperatorum, Regum, aliorumque virorum Principum tabulas, Summorum Pontificum litteras, inscriptiones, epitaphia, aliasque illustres antiquitatis reliquias, quae in marmoribus, in Tabulario Vaticano, Florentino* Reformationum, *& Pisano Archiepiscopatus servantur, quasque magno usui mihi fuisse ingenue profiteor: nihilotamenminus cum Romae ille scriberet, proindeque per semetipsum tabulas omnes antiquas Pisanas videre nequiverit, nec aetate sua tot diplomata, historiae, veterisque aevi monumenta prodiissent, quae nostra hac aetate ex Archivorum tenebris eruta, & publico litteratorum hominum bono jampridem edita sunt, quod ad Episcopos, qui ante saeculum aerae Christianae duodecimum floruerunt, coactus est Dempsteri vestigiis insistere, ideoque series chronologica ab ipsomet contexta, non secus atque Dempsterana,* corrupta nimis, & confusa *dicitur a doctissimo Grandio* (4)*; cui assentitur celeberrimus Muratorius, qui in Praefatione in excerpta e chartis Archivi Pisani Archiepiscopii haec habet verba: in Ughellii Italia Sacra* quamplurima offendas diplomata,

(1) Ughellius *T. III. Italiae Sacrae col.* 352. *edit. Coleti* post recensitos quosdam Episcopos Pisanos ait „ ceterum Dempsterum demiror, qui hos „ in catalogum Pisanorum contulerit nulla ullius auctoritate Scriptoris „ suffultus. Igitur apud ipsum esto fides eius narrationis.

(2) *Op. cit. col.* 351.

(3) *Ibidem*.

(4) *In notis ad monumentum* 2. *ad calcem epistolae de Pandectis pag.* 113. *edit.* 1727.

mata, aliaque vetustatis documenta non ea, quae par erat, diligentiae mensura descripta. His adhibenda foret medica manus. Alicubi etiam confusa est Episcoporum series, & chronologia; Episcopi quoque suppositicii additi; nullaque ratio habita fuit aliorum monumentorum, quibus tamen tempus pepercit. Exemplo erunt, quae nunc ex Archiepiscopali Pisarum Archivo deprompta publici juris facio. Ex iis intelliges, quam parum accurrate digestus fuerit ab Ughellio veterum ejus Episcoporum catalogus (1).

Succedunt Ughellio Paullus Troncius, Petrus Cardosius, Octavius Angelus Abrabamius, & Josephus Martinius inter eos numerandi, qui de patriae Ecclesiae Pontificibus sermonem instituerunt. Cardosius (2) *tamen, & Martinius* (3) *Dempsteri, & Ughellii auctoritatem in omnibus vehementer sequuntur, ac simplicem Episcoporum Pisanorum indicem conficiunt, eorum tantum nomina, cognomina, patriam, annumque electionis, & obitus, ubi haec innotescunt, narrantes. Troncius vero in Annalibus universalibus* (4) *MSS., quorum Compendium editum est Labrone anno* MDCLXXXII. *hoc titulo:* Memorie Istoriche della Città di Pisa ec., *obiter solum de Episcopis nostris mentionem facit, occasione nimirum referendi ea, quae iis annis, quibus unusquisque Sacrum munus aut obtinuit, aut dimisit, acciderunt; nec ad saeculum usque superius, quo Troncius ipse vixit, sed ad annum usque* MCDXXXX., *quo Annalibus suis in epitome redactis finem imponit. De videndo eo libro, quem Troncius*

(1) *T. III. Antiquit. Ital. medii aevi pag.* 1001.

(2) *Pag.* 102. *& seq.* Operis inscripti *Memorie Sacre delle glorie di Pisa con un breve Compendio delle vite de' Santi, e Beati della Città, e suo distretto, raccolte da Pietro Cardosi Cittadino Pisano* 1675. Hujus Operis autographum MS. extat Florentiae in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 38. *num.* 20.; apographum vero, sed imperfectum, est apud Jacobum Bartholomaeum Migronium J. U. D. Civem Pisanum, qui mihi illud humaniter communicavit.

(3) Ad calcem *Theatri Basilicae Pisanae edit.* 1705.

(4) Extant Pisis apud Nobiles viros *del Torto* in sex volumina *in fol.* tributi, ut habetur ex catalogo Operum Paulli Troncii.

laudatus de Pontificibus Pisanis ex instituto confecit, ac inter eius Opera MS. adhuc delitescit (1), *numquam sollicitus fui, siquidem nullus dubito, quin Auctor noster in illo non secus atque in aliis libris multa peccet. Abrahamius tandem tum in libro, quem inscripsit:* Cronologia de' Vescovi, ed Arcivescovi di Pisa; *tum in Opere, cui titulum fecit:* Pisanae Primatialis dignitatum, ac Praebendarum omnium descriptio, in qua primum de antiquissima ejusdem Ecclesiae Canonicorum, ac Capituli origine, gestis, ac monumentis, necnon de viris, qui in eodem litteris, doctrina, sanctitate, atque dignitatum splendore floruerunt illustres, ac tandem de ceteris memoria recolendis accuratissime pertractatur (2): *Nihil fere habet, quod ad Historiam Antistitum nostrorum illustrandam conferre queat; in priori enim Opere Abrahamius brevissimus est; in altero autem satis quidem prolixus, sed pleraque omnia ex Ughellio, ac Troncio asserit, multa de sua sententia scribit, quae vero refert antiquorum monumentorum auctoritate innixus temere aliquando permiscet, nec ea suo ordine collocat.*

Qui in serie nostrorum Pontificum corrigenda, eaque a fabulis, quibus scatebat, expurganda studium, curamque prae omnibus adhibuerunt, sunt Guido Grandius, & Ludovicus Antonius Muratorius (3) *paullo ante memorati. Atque utinam hi summo ingenio, summaque eruditione praediti eandem seriem ab ejus initio illustrare coepissent, ac in ea illustranda non solis antiquis tabulis in Archivo secreto huius Archiepiscopatus servatis, sed aliis quoque veteri-*

(1) Extat apud eosdem ex catalogo citato.

(2) Haec duo Opera MSS. sunt Pisis in Archivo Capituli Ecclesiae Primatialis; quorum alterum est in 4., ut aiunt, ac in eius fine legitur index praecipuarum chartarum, quae servantur in Tabulario secreto Archiepiscopatus Pisani; alterum in tria magna volumina divisum est. Volumen primum constat paginis 400., capitibus 32., ac historiam decem saeculorum complectitur. Componitur secundum pag. 428., c. 14., & ea narrat, quae posterioribus temporibus usque ad totum saeculum decimum quartum acciderunt. Tertium tandem constat pag. 554., cap. 29., historiamque continet usque ad annum 1725.

(3) *Locis laud.*

teribus, sincerisque monumentis undique conquisitis usi fuissent! certe unicuique hac in re otium fecissent. Verum Grandius in serie a se contexta primo numerat Maurianum, cuius nomen occurrit ad annum DCLXXIV., *postremo refert VVidonem anno circiter* MLXI. *in Episcopum electum. Muratorius autem catalogi sui principum ducit a Joanne, qui anno* DCCXXX. *vivebat, illumque terminat in Opizone, qui Episcopus erat anno* MXXXIX., *& sequentibus. Uterque vero id habet commune, quod praetermissis Conciliorum Actis, quibus Antistites nostri subscribunt, praeclaris Scriptorum testimoniis, qui illorum meminerunt, solas antiquas chartas ex Tabulario Archiepiscopii Pisani depromptas adbibet.*

Anno MDCCXXXII. *seriem a Grandio emendatam oppugnare conatus est Franciscus Orlendius* (1), *qui post multa de Ecclesiae Pisanae origine tradita, illius etiam Episcoporum catalogum confecit; in quo quidem eorum nonnullos a Grandio expunctos, vel omissos posuit, ac veluti postliminio restituit, quosdam ad alios annos, quam ille velit, revocavit. Vir non minori eruditione, quam ingenio pollens celebris Mamachius* (2) *inquit, quod in Orlendii Opere* Ecclesiarum quarundam Italiae primordia sic describuntur, ut omnis eius Auctoris oratio Ughelli persaepe, interdum autem vulgi opinionibus niti, maximeque confidere videatur. *Ac hujusmodi judicium vere, & sapienter prolatum aptari praesertim posse origini, & antiquitati Ecclesiae Pisanae ab Orlendio statutae, quicunque in arte critica vel leviter peritus facile dignoscet. Neque felicior ille fuit in ornanda huius Ecclesiae Pontificum serie, quod luculenter ostendunt annotationes quaedam MSS. a me primum publicatae extantes in margine* (3) *Operis Orlendiani spectantis ad Bibliothecam Pisanam, quae utpote a Grandio instituta, Grandiana dicitur; quas quidem annotationes a*

(1) *Par. 2. Orbis Sacri, & prophani lib. 3. cap. 25. pag. 923. & seq.*
(2) *Praefat. in T. II. Originum, & Antiquit. Christianarum pag. 7.*
(3) *Pag. 923. & seq.*

Grandio ipso perscriptas fuisse testis est Auctor anonymus eius vitae anno MDCCXXXXIV. *Venetiis editae, cuius verba sunt haec ,, il P. Orlendi Professore di Teologia in Pisa nel ,, suo libro intitolato* Orbis sacer, & prophanus *impugnò ,, la Cronologia de' Vescovi di Pisa rifatta nelle note a ,, quest' epistola delle Pandette; cui il P. Grandi rispose ,, con alcune note scritte a penna sul margine d'un esem- ,, plare del* Orbis sacer (1).

Haec cum ita se habeant, nemo, ut opinor, criminari me, & reprehendere merito poterit, quod ipse etiam ad Historiam Ecclesiae Pisanae scribendam post alios plures animum appulerim. Etenim si in Italia praesertim hoc maxime saeculo multi Sacros celeberrimarum Ecclesiarum Fastos clariori luce illustrare curarunt, certe non video, cur mihi item non liceat jussa conficere Amplissimi Pisarum Praesulis, scilicet accuratius Ecclesiae suae Historiam persequi, quae antiquitate, splendore, ac dignitate inter primas Italiae jure numeranda est, quemadmodum Alexander huius nominis III. olim scribebat (2) ad Canonicos Pisanos: quam celebris, & quam famosa sit Ecclesia vestra, & qualiter usque ad haec tempora inter Ecclesias Italiae fulgeat nomine, nos cum multae laudis praeconio ad memoriam saepe reducimus.

Paucis dicendum nunc est de consilio, vel methodo, qua Historiam hanc conficiendam susceperim, ut universi Operis conspectum in ipso veluti limine Lectoribus proponam. Ante Pontificum Pisanorum seriem Dissertationem collocavi, in qua de antiquitate Religionis Christianae Pisis, de harum Episcopatus origine, de tempore, quo Antistes Pisanus Metropolitana dignitate, Legati, & Primatis in Corsica; & Sardinia honore decoratus est, de Ecclesiis demum, oppidis, aliisque locis, in quibus jurisdictionem suam exercebat, pertractavi. Haec enim omnia Historiam Ecclesiae Pisanae scri-

(1) *In catalogo Operum Grandii n. 38. pag. 17.*
(2) Litterae Alexandri sunt apud Ughellium *T. III. in Archiep. Pis. col. 401.*

scribenti copiose discutienda esse necessarium duxi, idcirco ne in ipso Operis corpore longius a proposito saepe evagari cogerer, ea peculiari Dissertatione examinavi.

Ad Episcoporum seriem quod attinet, huius initium duxi a Gaudentio, quem vixisse anno aerae Christianae CCCXIII. *certa, ac explorata res est. Sanctum Perinum vero praetermissi, siquidem illorum opinio, qui volunt, hunc a S. Petro institutum Pisanos gubernasse non perspicuis, certisque, sed obscuris potius, & dubiis testimoniis, ne quid gravius loquar, innititur. Scriptores, quorum auctoritate, ac fide usus ipse sum in hac serie adornanda, in praesentia non memorabo, cum singula eorum nomina suis in locis laudaverim. Id unum monere nunc juverit magno usui mihi fuisse membranas in Tabulario secreto Archiepiscopii Pisani servatas, quas ab anno* DCCXX. *ad annum* MCLXXXXIX., *quibusdam tamen exceptis, publicavit doctissimus Muratorius* (1), *ad quem, summa, qua est, humanitate, eas misit Antistes noster superius memoratus, qui praeterea videns, Franciscum Frosinium olim Pisarum Archiepiscopum illarum plures ordine Chronologico, licet prioribus saeculis ob Amanuensis in digestione temporum imperitiam multum perturbato, transcribere ex autographis fecisse, decessoris sui diligentiam aemulatus incoeptum opus non solum continuandum curavit, verum insuper jussit, ut membranarum apographa in* XII. *volumina colligerentur. Membranae hactenus exscriptae sunt* MMDLXXXIII., *& ad nono calendas Decembris anni* MCDXLVII. *perveniunt* (2). *Post*

(1) *Loco superius indic.*

(2) Pater Zacharia *Lettera 9. sopra alcune antichità di Pisa*, quae est *in Symbolis Litterariis T. VI. pag. 194. edit. Florent. 1751.* inquit, quod Tabularium Pisani Archiepiscopii *nulla di pregievole contiene, che nelle antichità Italiche non sia stato dal Sig. Muratori già publicato*. Sed vir eruditissimus id asserens, luculenter ostendit, se aut nullo modo, aut per transennam duntaxat memoratum Tabularium vidisse. Etenim plures in eo sunt praetiosae chartae longo ante saeculi duodecimi finem scriptae, quas Muratorius omisit. Multò plures sunt, quae ad saeculum decimum tertium, & sequentia spectant. Ex his nonnullas vulgavi, alias, quae ad rem meam facient, vulgabo in Appendice ad Tomum II. huius Operis, & in Historia peculiarium Ecclesiarum Pisanarum.

Post Archiepiscopi Vitalis elogium anno MCCLII. exeunte, vel ineunte sequenti defuncti, quod finem imponit Historiae in hoc primo volumine contentae, posui Appendicem veterum monumentorum, quibus vel illustrantur, vel confirmantur, quae sparsim in citato volumine narravi. Et quamvis hujusmodi monumenta indicare solum potuissem, malui tamen ea integra recitare, tum ut majori Lectorum utilitati consulerem, tum ut eorumdem voluntati morem gererem. Recte enim animadvertit totius aevi memoria dignissimus Baronius (1), *quod optime de antiquitatibus meretur, qui non fragmenta, vel argumenta monumentorum edit, sed qui monumenta ipsa integra profert non amplius peritura; Grandius* (2) *vero notat, quod non* satis curioso Lectorum genio nunc temporis arridere solet nuda quorumdam verborum ex ineditis documentis citatio, nisi eadem integra eorum oculis, & examini subiiciantur, ut de sinceritate illorum ferre judicium possint.

*Maxima monumentorum pars, quae ipse edidi, nondum publicam lucem viderat; quae autem vulgarunt Ughellius, Muratorius, Grandius, Troncius, Martinius, Mittarellius, & Costadonius, Orlendius, Gattula, Martenius, & Durantius, Soldanius, Zacharia, aliique, praetermisi, ne fere in immensum Opus hoc meum augeretur. Immo nec omnia, quae adhuc in Archivo Archiepiscopii delitescunt, quaeque nihil aliud continent, quam bonorum donationes, emptiones, venditiones, locationes, & contractus emphytheuticos, publicanda esse duxi, sed ea tantum divulgavi, ex quibus vel electionis, vel obitus unius alicujus Antistitis Pisani epocha fit manifesta, vel factum aliquod innotescit, quod ut in Historia Ecclesiae Pisanae narretur, dignum existimavi. Litteras vero Urbani, Callisti, Honorii, & Innocentii II, Alexandri, Innocentii, & Honorii III., etsi in communem usum datas ab Ughellio, Viviano, Machino, Lunighio, Coc*que-

(1) *Annalibus Ecclesiasticis ad ann.* 767. *num.* 1.

(2) *Praefatione ad Opus cit. pag.* 3.

quelines, aliis, iterum in apertum protuli, quippe quae prora, & puppis [ut Graecorum proverbium est] sunt insignium privilegiorum, ac dignitatum, quibus a memoratis Summis Pontificibus jam inde ab antiquis temporibus ditata Ecclesia Pisana super omnes alias Italiae & olim, & modo etiam resplendet.

Has porro litteras, quas vel mancas, vel erroribus scatentes in lucem emiserunt Auctores superiori loco citati, ego integras, restitutasque exhibui praesidio duorum exemplarium authenticorum, quae sunt in Tabulario hujus Archiepiscopii, quorum alterum legitur in Libro, cui titulus: Processus compulsorialis vigore litterarum Sacrae Rotae fabricatus pro Illustrissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo Pisano contra Illustrissimos, ac Reverendissimos Archiepiscopos Calaritanum, & Turritanum coram Perillustri, ac Reverendissimo Laurentio Capponio Praeposito Florentino Judice Compulsore &c.; *descripsitque anno MDCXXXIX. ex autographo earumdem litterarum Florentiae in Archivo* Reformationum *servato Joannes Antonius* de Vignalis *Notarius; alterum est in Libro inscripto:* Allegationes Juris diver. de Primatu Ecclesiae Pisanae, *ac exscriptum fuit anno communi MDCIX. ex quodam Libro, qui privilegia Archiepiscopo Pisano concessa continebat, ut apparet ex sequenti testimonio, quod est in fronte eiusdem Libri „ In Dei nomine amen. Sit fides qualiter inter cetera „ quae continentur, & reperiuntur in quodam Libro cartis „ pecudineis circum circa deauratis alligato in tabulis coo„ pertis corio rubeo cum duabus fibris eiusdem corii cum au„ ricalco, nuncupato* Liber privilegiorum Archiepiscopa„ tus Pisani *existente in Archivio, seu Scriptorio ejusdem „ sub cura, & custodia admodum Reverendi, & Excellen„ tiss. J. U. D. Domini Camilli Ciurinii Canonici Pisani, „ Prioris Ecclesiae nuncupatae Potesteriae S. Sixti Pis. dicti „ Archiepiscopatus, & Mensae illius Procuratoris, appa„ rent, & descripta sunt infrascripta sub infrascriptis res-*

„ *pe-*

„ *pective tenoris*, *&* *continentiae*, *de quibus infra &c.* „. *Memoratus Liber privilegia hujus Ecclesiae complectens nunc periit, siquidem nec in secreto Archiepiscopii Tabulario, quod communiter* Scrittojo *dicitur, nec in publico, quod* Cancellaria *appellatur, exstat.*

Sed de caussa, quae me impulit ad Ecclesiae Pisanae Historiam componendam, de consilio, vel methodo, qua ipsam composui, de monumentis, quibus usus ego sum in ipsa componenda, me, quantum opus est, disseruisse arbitror; ideoque tempus esse videtur, ut finem praefandi faciam. Superest tamen, ut ingenue, candideque fatear, mihi etiam plura fortasse excidisse, quaedam non satis accurrate, ac diligenter narrasse; quae ut aequus, humanusque Lector mihi indicet, vehementer obsecro, eum verbis ipsis Horatii (1) *ad Numicium scribentis alloquens:*

Vive, vale: si quid novisti rectius istis
Candidus imperti: si non, his utere mecum.

(1) *Lib. 1. epistola 6. in fine.*



Fra-

Frater Dominicus Andreas Rossi de Pisauro Artium, & Sacrae Theologiae Doctor, totius Seraphici Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium post Seraphicum Patriarcham Minister Generalis LXXXVIII.

CUM Opus, cui titulus *Ecclesiae Pisanae Historia* a P. Magistro Antonio Felice Mattei de Pisis compositum duo Ordinis nostri Theologi jussu nostro recognoverint, & in lucem edi posse testati fuerint: facultatem impertimur, ut typis tradatur, si iis, ad quos attinet videbitur. In quorum &c.

Datum Romae apud SS. XII. Apostolos die 18. Maii 1768.

F. D. A. Rossi *Minister Generalis Ordinis.*

F. Dominicus Pescatori *Secret. & Assistens Generalis Ordinis, ac Provincialis Angliae.*

EX jussu Reverendiss. D. *Joh. Ignatii Lippi* Archipr., & Vicarii Gen. Illustriss. & Reverendiss. D. D. *JOHANNIS DOMINICI MANSI* Congreg. Matris Dei Archiepiscopi Lucani, & Comitis, librum perlegi Cl., ac Eruditiss. Viri Reverendiss. P. M. *Antonii Felicis Mathaeij* Ord. Min. Conv. & in Pisana Academia Sacrae Theologiae Pub. Professoris, cui titulus: *Ecclesiae Pisanae Historia*. Cumque nihil in eo animadverterim, quod Catholicae Religionis institutis, Christianisque moribus adversetur; immo non solum ad Sanctae Pisanae Ecclesiae Historiam, initiumque nostrae Religionis in ea, illiusque Pontificum seriem, dignitatem, jurisdictionem, & acta comprobanda; sed etiam ad Ecclesiasticam Historiam illustrandam utilissimum compererim: Et cum huiusmodi argumentum hucusque ab aliis jejune, & non satis accurate sit pertractatum, & a nostro Auctore, aliis etiam evulgatis operibus Celeberrimo, singulari eruditione, praeclaro ordine, atque ad artis criticae canones scriptum, & perspicuis, certisque monumentis, etiam ineditis comprobatum sit: Qua de caussa publica luce dignissimum censeo, & cultis, sapientissimisque Viris, ac praesertim rerum Ecclesiasticarum Amatoribus gratissimum fore, & ab eis impense laudatum iri minime dubito.

Datum in Aedibus Paroch. Ecclesiae S. Concordii de Moriano VI. Id. Apr. MDCCLXVII.

Sebastianus Donatus Civ. Luc. & Rector.



IMPRIMATUR.

Joannes Ignatius Lippi Archipresb. & Vic. Generalis.

Hyppolitus de Nobilibus Illuſtriſſimi Magiſtratus ſuper Jurisdictione Praepoſitus.

IN-

INDEX

CAPITUM DISSERTATIONIS


DE ECCLESIA PISANA.

Series Chronologicas Pontificum Pisanornm, qui in Tomo I. continentur.

Series Alphabetica eorundem Pontificum Pisanorum.



ECCLESIAE



ECCLESIAE PISANAE HISTORIA.

DISSERTATIO.

De Ecclesia Pisana.

CAPUT I.

Initium ejusdem Ecclesiae, nostraeque Religionis Pisis investigatur, ac definitur.



Uamquam cognitio status, in quo unaquaeque Civitas primis Aerae Christianae saeculis erat, multum conducat ad intelligendum, utrum in ea & Religionis nostrae, & Episcopatus initia ad Apostolorum aetatem referri commode queant, ego tamen de tempore disputaturus, quo Pisarum Civitas nostris institutis imbuta est, primumque Antistitem obtinuit, antiquam ejus conditionem minus inquiram, cum exploratum sit, immortali Norisio (1) imprimis ostendente, Pisas non modo, postquam eversa fortuna Etrusca, res Romana vigere maxime, & florere coepit, sed ubi etiam uni-

(1) *De Cenotaphiis Pisanis Dissertat. 1.*

niversa Imperii summa in Augustum unum pervenit, Urbem multum illustrem, celebremque fuisse. Itaque nulla alia vestigatione interposita ad id, quod rei caput est, statim descendo.

Sanctum Petrum Apostolorum Principem Christi lege Pisanos erudivisse tradunt plures Scriptores (1), qui tamen de anno, quo ille Pisas accessit ad tantum opus peragendum, inter se differunt. Etenim plerique omnes ejus adventum collocant in anno Christi 44. siquidem putant, ipsum Neapoli, quò ex Urbe Antiochia accesserat, *solventem vi ventorum delatum esse Liburnum, indeque Pisas proxime positas conscendisse . . . . . inde vero Romam venisse* (2). Florentinius (3) autem Vir clarissimus cum arbitretur primo ad Urbem profectum esse, deinde ex ea discedere jussum Pisas appulisse, Sancti Petri adventum revocat ad annum circiter 51. Hic moram trahentem Apostolum, ajunt, quammultos cives ab inanium Deorum cultu removisse, eisque primum Episcopum concessisse, quem Roncionio teste (4) quidam S. Torpetem patria Pisanum fuisse putant; Ughellius (5) vero, Martinius (6), Troncius (7), & alii, S. Perinum natione Graecum, Petri discipulum, ejusque in itinere comitem.

Si veritati consonum esset, Sanctum Petrum Pisas venisse, ejusque opera multos Cives, superstitione relicta, CHRISTO nomen dedisse, etsi optime novi, Virum doctissimum

(1) Bernardus Marangonius vel quisquis est Auctor Chronici Pisani *T.* 1. *Scr. R. Ital. col.* 313. *Edit. Florent.* 1748., Troncius *Annali Pisani ad ann.* 44. *pag.* 5., caeterique laudati ab Orlendio *par.* 2. *Orbis Sacri*, & *Prophani lib.* 3. *c.* 20. *pag.* 850.

(2) Baronius *in Annal. Eccles. ad ann.* 44. *n.* 28.

(3) *De prima Thusciae Christianitate cap.* 1.

(4) *Istoria Pisana MS. lib.* 2. *pag.* 43.

(5) *T. III. Ital. Sacrae col.* 351. *edit. Coleti*.

(6) *Indiculo Chronolog. Pontif. Pisanorum* ad calcem *Theatri Basilicae Pisanae edit.* 1705.

(7) *Loc. cit.* Vide etiam Orlendium *lib. cit. cap.* 24. *pag.* 903., ubi alios quoque idipsum sentientes numerat.

mum (1) existimare Civitates nonnullas quantumvis celebres non statim ac christiana sacra susceperunt, peculiarem quoque Antistitem obtinuisse, libenter tamen ego darem Pisanos ab Apostolorum Principe primum Episcopum impetrasse; cum apertum sit Apostolos praedicantes, quos primos in quacumque Urbe ad Christiana sacra adduxerant in Episcopos eligere consuevisse (2); & impense curasse, ut Antistites in Urbibus instituerentur (3), qui Christo contrarios ad veram fidem adducerent, & in ea confirmarent jam adductos. Sed ut aperte dicam, quod sentio, vehementer timeo, ne sint, qui cum praestantissimo Annalium Ecclesiasticorum Parente (4) in dubium revocent, quae de primo Pisanorum institutore traduntur, utpote probabilibus rationibus vix, certis autem ne vix quidem demonstrata.

Nemo sane Eruditorum est, qui nesciat, ab iis, qui volunt, S. Petrum prima verae Religionis fundamenta Pisis jecisse, in medium primo proferri Librum, nescio quem, *Pantheon* dictum, *idest totum continens*, ab Hugone Pisano Archiepiscopo Nicosiensi Romae in Aedibus Vaticanis sub Clemente IV. inventum, in quo expressum est, S. Petrum

 Pi-

(1) Ita opinatur Celeberrimus Maffejus *Verona illustrata lib.* 8. *par.* 1. *col.* 213. Confer item, quae nos diximus *Sardinia Sacra in Notis pag.* 254.

(2) S. Clemens *Epistola* 1. *ad Corinthios* apud Coustantium *T.* 1. *Epist. Romanorum Pontif. n.* 42. *pag.* 29. ait: *Praedicantes igitur* (Apostoli) *per regiones, ac urbes primitias earum spiritu cum probassent, in Episcopos, & Diaconos eorum, qui credituri erant, constituerunt*. Consule item Eruditissimum Mamachium *Lib. de Episcopatus Hortani antiquitate cap.* 2. *pag.* 13. ubi consuetudinem hanc veterum testimoniis perspicue ostendit.

(3) Apostolus *Epist. ad Titum cap.* 1. *v.* 5. scribit reliquisse se Titum ipsum discipulum suum Cretae, ut *constituat per Civitates* Presbyteros. Nomine autem Presbyterorum intelligere Apostolum *Episcopos* existimat S. Joannes Chrysostomus *in cap.* 1. *Epist. cit. Tom. IX. Oper. pag.* 737. *edit. Paris. Maur.* Vide etiam Petrum de Marca *Concordia Sacerdotii, & Imperii lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 2., Schelstratium *T. II. Antiquit. Ecclesiasticarum Dissert.* 4. *cap.* 2. §. 6., & Beveregium *Codice Canonum Ecclesiae Primitivae illustrato lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 15., qui Apostolum per *Presbyteros* significare *Episcopos* demonstrant.

(4) *Loc. cit.*

Pisas accessisse (1); deinde allegari S. Isidorum Hispalensem, qui in Sermone apud Muratorium (2) inscripto *de S. Petro*, ait hunc Antiochia Romam petentem, divinitus ad flumen Arnum appulisse, ac in vicinia Urbis Pisarum sex menses moratum esse: id quod sentit etiam Fridericus Vicecomes, qui post medium saeculum decimum tertium Pisanam rexit Ecclesiam, in Sermone (3) habito in Templo S. Petri ad gradus, dicens: *Petrus Antiochia volens navigare Romam, ut ubi erat caput iniquitatis, ibi esset caput sanctitatis, placuit Domino, & Beatae Mariae Dominae nostrae, ut primo applicaret ad hunc locum, qui vocabatur* ad gradus Arnenses, *& quia hyems erat, traxit moram hic per totam hyemem, scilicet per sex menses, in quibus ipse cum aliis sociis suis, scilicet Dionysio, & Eleuterio, & aliis manibus suis fecerunt istud Altare, & Ecclesiam parvulam:* Afferri praeterea Gregorium & Innocentium hujus nominis secundos, quorum alter in Epistola (4) ad Canonicos Pisanos anno 727. missa, sic eos alloquitur: *Vobis gubernandam trado Ecclesiam* S. Petri ad gradus *prope litus maris in agro vestro positam, & ab Apostolorum Principe Petro, ut bene fertur, aedificatam, in qua majores vestros salutari primum Baptismatis unda regeneratos fuisse certo asseritur:* Alter vero haec (5) ad Pisanos Consules anno 1137. scribit: *Igitur Filii Dilectissimi sic agite, atque perditissimis Christianae Reipublicae hostibus majorum vestrorum instar fortes resistite in ea fide, cujus primordia, & clarissimum lumen ab ipsomet Apostolorum Principe, & Divini Legislatoris Vicario jam vos edoctos, atque salutaris Baptismatis lavacro regeneratos fuisse* glo-

(1) Apud Muratorium *T. VI. Scr. R. Ital. col.* 166.
(2) *Tom. cit. col. laud.*
(3) Extat MS. Florentiae in Bibliotheca olim S. Crucis, nunc Mediceo-Laurentiana.
(4) Est apud Martinium *in Appendice ad Opus citat. pag.* 139. *seq.*
(5) Innocentii epistolam exhibet Martinius *Op. cit. pag.* 148.

gloriamini. Tandem adduci quasdam picturas, quæ in Ecclesia S. Petri ad gradus videntur, quaeque totam historiam accessus Apostoli Petri ad litus maris reprehesentant. Ac hujusmodi picturis fidem habendam esse censent, quod referente Roncionio (1) factae sint saeculo decimo sub Joanne XIII. Summo Pontifice.

At erunt procul dubio, qui existimabunt, haec, & hujus generis alia monumenta, si non populari quadam trutina, sed juxta verae Critices regulas examinentur, nihili ducenda esse. Et re quidem vera memoratus Liber recentior (2) est, quam ut in re antiquissima fidem facere possit. Nec est, quod quis opponat illius auctorem, quemadmodum Hugo ipse memoriae prodidit, in eo consarcinando Aegesippi, Clementis Papae I. Eusebii, Orosii, aliorumque veterum Scriptorum operibus usum esse; nam ut ita res sit, semper tamen relinquitur graviter dubitandi locus, consarcinatorem, quae de Pisano S. Petri itinere narrat vulgarem sequutum illorum temporum traditionem, suopte ingenio inseruisse, cum nemo veterum unus litteris consignaverit, illum ad hanc Urbem aliquando venisse. S. Isidorus, vel quisquis est Auctor operis *de vita & morte Sanctorum*, *qui Deo placuerunt*, sive *de ortu*, *& obitu Patrum*, ex quo Sermo citatus excerptus est, *adeo saepe deprehenditur mendax*, *ut levissimam apud cordatos homines auctoritatem obtineat*, inquit eruditissimus Fogginius (3): Igitur quis, bone Deus, certo credet Historico minus accura-

(1) *Op. cit. lib. 2. cap. 16.*

(2) Mansius scientia, ac dignitate illustrissimus *Differtazione in difesa del Primato nella Cristianità di Toscana della Chiesa di Lucca pag. 185. edit. 1753.* existimat hujus libri Auctorem esse Godefridum Viterbiensem, qui Opus suum usque ad annum 1186. perduxit. Idem Opus *Pantheon* inscriptum vulgavit Muratorius *T. VII. Scr. R. Ital. col. 357. & seq.*, omissa tamen priorum saeculorum historia.

(3) *De Romano Divi Petri itinere*, *& Episcop. Exercitat. 9. pag. 185.* Baronius etiam, ut caeteros mittam, *in notis ad Martyrologium Roman. ad diem 25. Julii litt.* A, idem de hoc Auctore fert judicium.

curato, & ea quae sex fere saeculis ante ipsius aetatem contigerunt, narranti? Sed fac citati operis Auctorem diligentem, ac veracem esse, inde tamen nihil commodi accipere possunt Pisani pro Sancti Petri ad eorum Urbem adventu asserendo, quippe quod verba superius recitata leguntur quidem in eodem Sermone juxta exemplar a Muratorio vulgatum; at non dubito, quin ab aliquo impostore adjecta ea sint, siquidem in aliis editionibus, & MS., quibus usus est Jacobus Brevilius Monachus Sancti Germani, desiderantur. Friderico Vicecomiti fucum fecit Sermo depravatus B. Isidoro adjudicatus, ut illius verba luculenter demonstrant: *Sed qualiter*, inquit, *B. Petrus venit huc, & quomodo ista consecratio* (Ecclesiae S. Petri ad gradus) *facta fuit, est sollicite inquirendum, & ad perpetuam memoriam est notandum, secundum quod dicit B. Isidorus Hispalensis* (1). Itaque Friderici auctoritatem nihil omnino moror, quemadmodum etiam nihili facio Caroli IV. Imperatoris assertionem, Apostolum Pisas accessisse, cum teste Innocentio VI. Summo Pontifice (2), Carolus ipse anno 1355. Pisis manens hujusmodi historiam didicerit *tam ex vulgaris assertionis fama, quam per quoddam scriptum sub titulo Prologi S. Isidori de B. Petro Apostolo sigillatim denominatum, ibidemque repertum*.

Gregorii II. verba ante adducta exscripta sunt ex ejus Epistola, quam una cum aliis diversorum Pontificum Romanorum publicavit Martinius (3): *Verum hujusmodi epistolae*, ait Orlendius, *vix publicam lucem aspexere, ut statim apud nonnullos emunctae naris viros eruditos inter apocryphas sint habitae; apud alios vero saltem dubiae fidei* (4). Institutum nostrum non patitur, ut earum Episto-

(1) *Sermone cit.*

(2) *In literis, quae incipiunt:* Splendor aeternae gloriae &c. *Extant in Addition. ad II. Synodum Pisanam Archiepiscopi Frosini par. 2. cap. 1. & in Pisana antiquis. tradit. Differtat. Historia Canonica-Legali.*

(3) *Appendice cit. pag. 135. & seq.*

(4) *Op. indic. cap. 20. pag. 855.*

stolarum singulas ad examen vocemus; quod vero ad eam spectat, de qua in praesentia sermo est, spuriam esse affirmamus: nec rationes desunt, quae id ostendant; imprimis enim ea in Epistola legitur, quod Canonicorum Pisanorum Coenobium *constructum ab immemorabili esse dignoscitur*. At hujusmodi Canonicorum Collegium vel tum Pisis nondum erat, cum Grimaldus (1) non obscure significet, post Gregorii aetatem institutum fuisse; vel si erat, nunquam certe Gregorius eo tempore illud *ab immemorabili* constructum dixisset; sed impostor procul dubio respexit ad Epistolam praesertim Gelasio I. adjudicatam, & Ivoni Archipresbytero Pisano inscriptam, quam pariter sinceram non esse ostendemus (2). Ad haec, illius Epistolae Auctor ita fatur ad Pisanos Canonicos: *Jura demum, immunitates, & privilegia a fidelissimis filiis nostris Romanis Imperatoribus, Regibus, Ducibus, aliisque Christianis Principibus eidem Ecclesiae S. Petri, & Canonicae S. Mariae concessa confirmamus*. Igitur caecus est, qui non videt, laudatam Epistolam post Gregorii II. aetatem scriptam fuisse; nam quinam sunt Imperatores illi Romani, qui ante annum 729. Ecclesiae S. Petri, & Canonicorum collegio privilegia concesserant? An fortasse Romulus Augustulus, vel qui eum praecesserunt? Credant hoc alii, ego certe nunquam credam, cum vix, ac ne vix quidem persuadere mihi possim iis temporibus Sanctae Mariae Congregationem exstitisse, de qua in perspicuis, certisque monumentis posteriorum dumtaxat saeculorum occurrit memoria. Tandem Epistola nostra notas habet chronologicas ea aetate inusitatas, & omnino diversas a notis Epistolarum sincerarum Gregorii; illa enim his notis insignitur: *Datum Laterani anno salutis 729.*, istae autem his (3), vel similibus: *Data idibus*

(1) Vid. ejus diploma apud Ughellium *Tom. III. in Grimaldo Episc. Pisano*.
(2) *In Joanne I.*
(3) *T. VIII. Collect. Concil. col. 167. & sequent. edit. Coleti*.

bus Maii imperante Domino piissimo Augusto Leone a Deo coronato magno Imperatore anno 3. Imperii ejus Indict. 11. Itaque Epistola, quam Gregorii dicunt, nulli praesidio esse potest Patronis S. Petri ad hanc Urbem adventus. Sed neque iis favet Innocentius II. non solum quod Romani Pontifices in suis literis, ubi de fide, aut moribus non agitur, vulgares traditiones aliquando sequi soleant, sed maxime quod secundum Pisanorum sententiam, apud quos isthaec opinio jam tum invaluerat (1), ille loquatur, non vero secundum propriam, ut ex ejus verbis aperte colligitur. Ex picturis, quae in Ecclesia Sancti Petri videntur, nihil probari posse ingenue quoque fatetur Orlendius (2), siquidem *Periti artis pingendi existimant, opus illud saeculum decimum tertium nequaquam antevertere.*

Non eo a me disputata haec sunt, quod aperte, ac praefidenter inficiari velim, S. Petrum Pisas accessisse, sed ut ostendam, monimenta, quibus hujusmodi opinio innititur, non clara, & aperta, sed obscura potius, ac dubia esse. Caeterum, si qui sint, qui putent, sententiam negantem Apostolum huc venisse, detrimentum aliquod afferre posse fidelium pietati (etsi superstitio potius, quam pietas ea dici debeat, quae mendaciis, & impostorum illusionibus fundata est), ideoque aliter opinandum esse censeant, ii arbitrio suo utantur; sunt enim hac in re judicia libera.

Cum incertum sit, utrum Apostolorum Princeps sacris nostris Cives Pisanos initiaverit, dubium pariter est, an primum Episcopum iis concesserit. Neque enim assentiri illis possum, qui opinantur, S. Petrum constituisse Pisanum Antistitem S. Torpetem, vel S. Perinum; nam primus in Neronis Imperatoris aula fuit, postquam etiam Pe-

(1) Confer *Decretum a Petro Pisano Archiepiscopo editum anno* 1116. apud Orlendium *lib. cit. cap.* 21. *pag.* 863. *& seq.*
(2) *Cap. indic. pag.* 865.

Petrum ipſum ad hanc Civitatem veniſſe ajunt, quemadmodum non ſolum ex ejus Actis apocryphis (1) erudimur, ſed probabiliter quoque colligitur ex Apoſtolo Paullo in Epiſtola ad Philippenſes (2) in hunc modum ſcribente: *Salutant vos Sancti, maxime autem qui de Caeſaris domo ſunt:* ubi Sanctorum nomine Paullum ſignificare voluiſſe non Senecam in primis, ut Erneſtus Salomon Cyprianus (3) contendit, ſed maxime Torpetem exiſtimamus (4): nomine autem Caeſaris indicare Neronem, non Chriſtianum quendam e ſeptuaginta Chriſti diſcipulis Epiſcopum poſtea Coroneae Caeſarem appellatum, ut Graeci recentiores opinantur, cenſemus (5). Alter vero nullum cultum in hac Dioeceſi unquam obtinuit, nullum Templum, nulla Ara Deo in ejus honorem a religioſiſſimis, gratiſſimiſque Piſanis dicata fuit; ex quo, niſi vehementer fallor, aperte deducitur Sanctum Perinum horum Epiſcopum non fuiſſe; alioquin ſi ille Cives Piſanos Chriſtianis inſtitutis recenter eruditos rexiſſet, & hi nihilominus nullum erga ipſum venerationis, acceptique Beneficii publicum monumentum extuliſſent, reprehendi, & ſubaccuſari ingrati animi vitio optimo jure poſſent.

Si quis a me quaerat, quid ego ſentiam de tempore, quo Piſani verae Religioni nomen dederunt, breviter dicam, me in ea verſari opinione, ut credam, eorum non-

(1) Apud Bollandianos *Tom. IV. Maii ad diem 17. cap. 1. pag. 7.*

(2) *Cap. 4. v. 22.*

(3) *In notis ad S. Hieronymum de viris illuſtribus in Bibliotheca Fabriciana p. 67.*

(4) V. Baronius *in notis ad Martyrologium Rom. ad diem 17. Maii*, Eſtius *ad cit. Apoſtoli verba*; & P. Lazerius *Diſſert. De Perſecutionibus in Eccleſ. excitatis aevo Apoſtolico n. 9.*. Adrianus Baillet *in vitis Sanctorum T. II. ad diem cit. col. 283.* ait, ſententiam eſſe Eccleſiae Torpetem ex iis fuiſſe quos Paullus Sanctos appellat; ſic enim ſcribit de S. Torpete loquens: *l' Egliſe a intention d' honorer la memoire de l' un des premiers Chretiens de la ville de Rome qu' elle ſuppoſe avoir ètè officier de la maiſon de l' Empereur Neron, & être compris parmi les fidelles, qui ſalverent les Philippiens dans la lettre, que Saint Paulleur ecrivit.*

(5) Conſule Calmetium laudata Paulli verba exponentem, & Lazerium *ibidem*.

nullos Christi cultores aetate quoque S. Petri extitisse, sed maximam Civium partem secundo tantum vel tertio saeculo meritum Christo honorem, & debitum exhibuisse; quo tempore alii etiam Etruriae populi, imprimisque Florentini numerose Evangelio crediderunt, ut existimant viri eruditissimi (1). Nulla quidem certa monimenta supersunt, quae superiorem opinionem perspicue ostendant, nihilo tamen minus ea reicienda esse non videtur, si gravissimis coniecturis fides habenda est. Etenim secundi saeculi initio plures in Bithynia fuisse Christianos testis est Plinius in litteris ad Traianum Imperatorem anno circiter 104. scriptis (2): in Germania etiam, Gallia, & Hispania medio circiter saeculo laudato multos suave Evangelii jugum tulisse ex S. Iraeneo (3) erudimur: apud Graecos aliasque barbaras nationes non pauci erant, qui per ea tempora Christum venerabantur, ut S. Justinus (4) litteris consignavit: in tota Asia, Aegypto, Affrica, Sarmatia, Dacia, Brittannia, aliisque locis vel ipsis Romanis inaccessis extremo secundo, & ineunte tertio saeculo maximam nostrorum turbam versatam esse narrat Tertullianus (5). Quod si duobus primis aere vulgaris saeculis, tertiique initio tot fuerunt in omnibus fere mundi partibus, qui Christiana instituta sequebantur, vix, ac ne vix quidem credibile est, Religionem nostram mirum in modum non floruisse in hac Pisana Civitate, ad quam cum longè minus ab Urbe Roma distet quam regiones memoratae, facilius, citiusque pervenire potuerunt, qui idololatriam delerent, & veri Dei cultum stabilirent.

Sub

(1) Lamius *lib. de Eruditione Apostolorum cap.* 11. *pag.* 190. *edit.* 1738., & Petrus Fogginius *op. cit. exercitat.* 14., quae est *de primis Florentinorum Apostolis.*

(2) *Lib.* 10. *num.* 97. Confer etiam Tertullianum *in Apologetico pag.* 3. *edit. Paris.* 1675.

(3) *Lib.* 1. *adversus Haereses cap.* 10. *pag.* 49. *edit. Massuet.*

(4) *Dialogo cum Tryphone Judaeo pag.* 345. *opp. edit.* 1615.

(5) *Lib. adversus Judaeos cap.* 7. *pag.* 189. *edit. cit.*

Sub his temporibus Episcopum etiam Pisanis datum arbitror. Quis enim persuadere sibi poterit Pisas Antistite caruisse saeculo secundo, vel saltem tertio, quibus multi erant Episcopi in Gallia, Hispania, & Germania (1), in Oriente (2), Affrica (3), & in vilissima quoque Italiae nostrae parte (4)? Certè illius aetatis consuetudo jam usque ab Apostolorum ducta temporibus ferebat, ut Pastores iis praesertim Ecclesiis praeficerentur, quae in urbibus sitae erant; quemadmodum antea notavimus. Itaque si nihilominus in oppidulis etiam Italiae Episcopos saeculo tertio constitutos videmus, quid est, quod in Pisana Urbe satis illustri Episcopum tunc fuisse nullum credamus? Sed perspicua monumenta, ex quibus Praesules Pisani ante saeculi quarti initium viventes deprehendi possent, temporis edacitas consumpsit; hinc horum seriem a Gaudentio exordimur, quem Pisanis praefuisse anno 313. pulchro, & luculento S. Optati Milevitani testimonio (5) comprobatur.

(1) Vide S. Irenaeum *loco indic.*
(2) Praeter Eusebium, & alios veteres legatur hac de re clarissimus Lequienius *in Oriente Christiano*.
(3) Adeundi S. Cyprianus *epist. 71. ad Quintum pag. 196. edit. Oxonien.*, & S. Augustinus *lib. 3. de Baptismo contra Donatist. cap. 10. pag. 112. T. IX. Opp. edit. Maurin.*
(4) Confer *epistolam S. Cornelii Papae ad Fabium Antiochenum* apud Eusebium *lib. 6. Hist. Eccles. cap. 64. ed. Taurin.*
(5) *Lib. 1. de Schismate Donatistarum pag. 23. ed. 1702. Dupini.*

CAPUT II.

Ecclesia Pisana Metropolitano nomine, ac dignitate exornatur.

QUod in Insula Sardiniae a Saracenis occupata factum alibi (1) narravimus, res nimirum Christianas ad infelicem statum redactas fuisse, idipsum in Insula Corsicae eorum tyrannide pressa accidisse non dubito. In hoc saeculo undecimo ineunte servili Barbarorum jugo liberata vi, & potentia Pisanorum, ac Genuensium, ut instituta nostra magis reflorescerent summopere curarunt Romani Pontifices, praecipue S. Gregorius hujus nominis VII., qui idcirco anno 1077. eo misit Landulphum Pisanum Episcopum electum, ut errores evelleret, fidem catholicam consolidaret, mores corrigeret, & populos Romanae Ecclesiae nomine regeret; quod cum incredibili diligentia, ac dexteritate fecisset, tum ipse, tum sui successores totius Corsicae Legati ab eodem Pontifice anno sequenti instituti sunt, ac ditati reddituum, qui a Corsis exigebantur quadam portione; Landulphus nempe dimidio, duo verò proximi successores quarta illorum parte (2).

Anno 1091. vigesima tertia mensis Maii die Urbanus II. permotus Daimberti Episcopi, Civium Pisanorum, Mathildis Comitis precibus, & consideratione, quod *multum jamdudum obsequii Pisanorum gloriosa nobilitas Romanam sibi Ecclesiam fecit obnoxiam* memoratam Insulam Ecclesiae Pisanae donavit, *ea scilicet conditione interjecta, ut*

per

(1) *Dissertat. praemiss. Sard. Sac. cap. 3. n. 16. pag. 49.*
(2) Vide quae dicentur *in Landulpho n. 26.*

per annos singulos Lucanae monetae libras 50. Lateranensi Palatio, remota qualibet occasione, persolveret (1).

Tametsi Pisani Antistites jam inde a tribus lustris Romanae Ecclesiae Legati in Corsica constituti fuissent, ut superius diximus, raro tamen in eam navigabant, praepediti fortassis a dissentionibus, quae de illius jure Pisanos inter, ac Genuenses continuo ardebant. Hanc ob caussam, cui & negligentia Pastorum, & eorum, qui Insulae dominabantur insolentia accessit, *ab Apostolicae Sedis obedientia, & devotione* eadem Insula sese subtraxerat, *& dissolutioni, ac dissipationi dedita Ecclesiastici ordinis pene* deseruerat *disciplinam*. Itaque ut his malis prudenter occurreret Urbanus, & munere aliquo compensaret Dagobertum, Pisanamque Civitatem de Romana Ecclesia immortaliter meritam, Daimbertum ipsum, ejusque successores anno 1092. XI. Kal. Majas perpetuo elegit in laudatae Insulae Archiepiscopos, ut eam reformarent, iisdem potestatem fecit Episcopatus illius regendi, Praesules consecrandi, & Pallium *intra Ecclesiam tantum ad Missarum celebranda solemnia* certis quibusdam diebus deferendi. Constant haec omnia ex litteris Urbani (2), quae dubitandum non est, quin sincerae sint, quippe quae ex una parte nullum praeferunt suppositionis indicium; ex altera vero, quod illae continent, alia etiam perspicua monumenta tradunt; nam ut cetera (3) mittam, in tabula anno 1094. mense Octobri confecta (4), Daimbertus vocatur *gratia Dei Metropolis Pisanae Civitatis Archiepiscopus*; & Bertholdus Constantiensis (5) eorum temporum Auctor in suo Chronico scribit: *Dominus Papa Urbanus jam-*

(1) Consule Urbani litteras *in Append. monum.*
(2) *In Appendice monument.*
(3) Litteras nempe Callixti, & Honorii II., quas damus *in Append. monum.*
(4) Apud Muratorium *T. III. Antiquit. Ital. medii aevi col.* 1099. Daimbertus vocatur Archiepiscopus in aliis etiam monumentis, quae ubi ipsius Daimberti gesta narrabimus, indicare non omittemus.
(5) Apud Urstitium *part.* 1. *Germaniae Histor. Illustrium pag.* 372.

jamdudum de Roma profectus Natalem Domini in Tuscia gloriosissime celebravit ; in qua Provincia Pisanus Episcopus nomine Dagobertus ei studiosissime servivit, quem ipsa jamdudum Archiepiscopali Pallio, & potestate sublimavit, quod eatenus Pisanensis Sedis Episcopus habere non consuevit. Hinc evidenter patet, turpiter falli Petrum Diaconum (1) asserentem Gelasium II. omnium primum Pisis Archiepiscopatum instituisse ; & Annalium rerum Pisanorum collectorem, qui narrat (2) memoratum Pontificem tanta dignitate Ecclesiam Pisanam exornasse, ut Pisanis Civibus gratiam referret, qui Saracenos ex Insulis Balearibus expulerant : *Gelasius II. Papa*, inquit, *in retributione tanti doni, quod Pisani Romanae Ecclesiae, & toti mundo de Majoricana victoria fecerant, Pisas venit, & consecravit majorem novam Ecclesiam Pisanorum, ac concessit Archiepiscopatum Civitati Pisanae, & dedit, quia usque tunc tantum Episcopus erat*. Anonymum hunc exscripsit, ut videtur, Sozomenus Pistoriensis (3), qui idem sentit, ac sententiam suam iisdem fere verbis exprimit.

Per eadem tempora, quibus Episcopus Pisanus Corsicae Metropolitanus creatus est, honore quoque Legati Apostolicae Sedis in Sardinia ab Urbano insignitus fuit (4). Statim in hac jurisdictionem exercere coepit Daimbertus, qui tunc Pisanam Ecclesiam regebat, siquidem ex veteri epistola cujusdam Joannis Monachi ad Richardum Cardina-

(1) *Chronico Monasterii Cassinensis lib. 4. cap. 64. T. IV. S. R. Ital. pag.* 534. Petrum errare, vidit quoque Angelus *de Nuce*, qui idcirco *in adnotat. ad laudat. loc.* inquit „ quod Auctor noster dixit *primus instituit* dicendum „ *confirmavit*.

(2) Apud Ughellium *T. X. Ital. Sac. col.* 101. Ex Pisanis Historicis Auctor item *Gestorum Triunphalium per Pisanos factorum* apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital. col.* 105. asserit Gelasium, non Urbanum hanc Ecclesiam ad Metropolitanam dignitatem evexisse. Sed aliter putat Auctor *Breviarii Historiae Pisanae T. cit. S. R. Ital. col.* 169. Siquidem post laudatorum Annalium postrema verba subiungit : *excepto Daiberto &c.*

(3) *In Chronico T.* 1. *S. R. Ital. col.* 38. *edit. Florent.*

(4) Confer litteras Innocentii II. Alexandri III. Innocentii III. & Honorii III. quas damus *in append. monumentorum*.

nalem, & Abbatem Monasterii S. Victoris Massiliensis a clarissimis viris Martenio, & Durandio publicata (1) liquet, Daimbertum ipsum habito in Urbe Turritana omnium Insulae Antistitum Concilio Torchitorem Judicem Galluriensem excommunicationis poena affecisse: *Super omnia ista* (verba sunt epistolae laudatae) *misit Dominus Papa Legatum suum aput Sardiniae, & jam Archiepiscopum Pisano viro prudentissimo venit aput Turris, vocavit Archiepiscopos, & Episcopos Sardiniae, ut venirent ad Sanctum Synodum. Venerunt omnes in hunc locum, & vocaverunt ex parte Apostolica istum Ereticum, ut reverteretur ad gremium Sanctae Matris Ecclesiae; sed iste maledictus, & impurissimus Tyrannus obduratus est sicut lapis adamantinus, ut nullus ferre, neque accedere in eum potest. Fecit itaque, ut Archiepiscopi, & Episcopi omnes contristati sunt valde, clamabant una voce omnes: anatematiza, anatematiza, & confirmavit Legatus, & Episcopi cum Concilio, omnes Principes Sardiniae .... maledixerunt, & condemnaverunt eum, & traxerunt in potestate Daemoniorum.*

In Corsica verò res aliter accidit; nam Urbanus ipse praesentiens, quod *Corsicani Episcopi ad Pisani Antistitis consecrationem accedere penitus recusabant; Romanae Ecclesiae scandalum pertimescens, & gravem inter Pisanos, & Januenses oriri discordiam videns, concessionem ipsam mutavit* (2); quocirca nec Daimbertus, nec Petrus proximus eius successor non solum Urbani tempore, sed ne aetate quidem Paschalis II., qui post Urbanum ipsum Romanam Sedem conscendit, obtento privilegio uti potuerunt, etsi Pisanus Praesul non semel Paschali imprimis supplicasset ut quae eius decessor statuerat, executioni mandare vellet (3). Nomen tamen *Archiepiscopi* cum Daim-

(1) *T. I. veter. monumentorum col. 522.*
(2) Callistus II. *In litteris antea cit.*
(3) Callistus *ibidem.*

Daimbertum, tum Petrum servasse in controversiam revocari nequit; de primo enim constat ex antiquis monumentis, quorum nonnulla superius indicavimus, & alia indicabimus, ubi de Daimberto erit nobis sermo: de altero verò ex instrumentis annis 1109., 1110., & 1115. confectis quae extant in hoc Archiepiscopali Tabulario, & a Muratorio (1) vulgata sunt. Haec cum ita se habeant, miror sane, Mittarellium, & Costadonium (2) viros alioquin eruditissimos affirmare, quod *in omnibus chartulis, privilegiis, & monumentis Archivii Pisani Archiepiscopatus Petrus noster semper se Episcopum Pisanum nominat, nunquam Archiepiscopum, nisi ab anno* millesimo centesimo decimo octavo.

Paschali II. vita functo, in ejus locum anno modo citato Gelasius item II. suffectus est. Hic ut vim, & insidias Mauritii Burdini Henrici V. Imperatoris potentia in Pseudo-Pontificem Gregorii VIII. nomine electi, vitaret, Roma in Galliam petens, Pisas appulit anno superius memorato mense Septembri (3); quo ad finem properante, die scilicet 26. majorem Pisanam Ecclesiam sacram fecit, Metropolitanam dignitatem, & caetera, quae Pisanis Praesulibus Urbanus II. concesserat, rata habuit, quemadmodum erudimur ex Romanorum Pontificum litteris (4), & ex veteri Codice apud Constantinum Cajetanum (5), in quo de Gelasio haec notata sunt: *Romanus igitur Pontifex inter Missarum solemnia ipsius dedicationis die ipsam Sanctam Pisanam Ecclesiam tam privilegio, quam ore proprio coram innumerabilibus turbis Tusciae in Metropolitanam confirmavit sublimitatem*. Legitur etiam in eodem Codice, quod Gelasius *Crucem quoque* Pisanos Antisti-

(1) *T. III. Antiquit. Ital. medii aevi col.* 1111. *& seq.*
(2) *Tom. III. Annalium Camaldul. lib.* 26. *ad ann.* 1118. *pag.* 177.
(3) Falco Beneventanus *in Chronico* apud Muratorium *T. V. S. R. Ital. col.* 92.
(4) Callisti nimirum, & Honorii II. *in Append. monum.*
(5) *In notis ad vitam Gelasii* apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag.* 404.

tistites *ante se deferre ob insignem Metropolitanae Legationis honorem tam per Dioecesim Pisanam, quam per Corsicanam Insulam privilegio stabilivit*. Sed ego cum eruditissimo Thomassino (1) censeo Honorio II. potius quam Gelasio Pisanos Praesules hoc acceptum referre debere. Etenim in epistola ad Rogerium Archiepiscopum anno 1126. missa sic ille scribit: *sanè per Pisanam Parrochiam, & Insulam Corsicanam Crucem ante Te, & tuos successores deferri concedimus* (2).

Extremo mense Septembri, vel ineunte Octobri Gelasius profectus est Pisis, Genuam navigaturus; post cujus discessum *Petrus Pisanorum Archiepiscopus cum Petro Cardinali Ecclesiae Romanae Legato, & cum Ecclesiae Pisanae Canonicis, atque cum Ildebrando Judice, & Pisanorum tunc Consule, aliisque Pisanis Civibus in Corsicam ivit, ibique honorifice receptus in conspectu Cleri, & populi Corsicani Maranensem electum, & ipsius Ecclesiam consecravit, aliorumque Corsicae Pontificum obedientiam & fidelitatem recepit anno Dominicae Incarnationis* 1119. juxta Pisanorum usum (3). Porro haec omnia facta esse in Concilio, quod Petrus habuit, censent viri clarissimi Mittarellius, & Costadonius (4), quorum hæc sunt verba: *Ad Ecclesiasticae disciplinae reparationem, residente etiam Petro Cardinale S. Susannae Legato Pontificio pro Gelasio, Concilium Episcoporum celebravit [Petrus Archiepiscopus] in Maranensi S. Mariae Cathedrali, in quo Concilio pariter confirmatae fuere donationes factae Monasterio Insulae Gorgonae, & agnita demum ab omnibus Episcopis jurisdictio Archiepiscopi Pisani in Insulam Corsicae. Subscripsit Actis Concilii primus post praefatum Legatum Petrus Archiepiscopus Pisanus, & post Petrum Baro Subdiaconus S. R. E., tum Landulphus Episcopus Alerien-*

(1) *Vet. & Nova Eccl. Disciplina part. 1. lib. 1. cap. 45. n. 3.*
(2) Quam ante laudavimus.
(3) Auctor *Gestorum triumphalium per Pisanos factorum loco cit.*
(4) *Loco superius indic.*

riensis, inde Theobaldus Episcopus Maranensis ...... atque Guilielmus Episcopus Nebbiensis.

Aegerrimo tulerunt animo Genuenses, a Gelasio tantum honorem Pisanos consequutos esse; quamobrem dissidia inter duas Respublicas orta sunt: *Jannenses autem*, inquit Honorius II. Summus Pontifex, *honori Pisani Populi invidentes, & eorum incrementum aequo animo non ferentes, hujus rei sumpta occasione guerram contra Pisanos moverunt; unde caedes, incendia, & multae Christianorum captivitates, peccatis exigentibus, contigerunt, & debaccando in Christiano Saracenis multa crevit audacia* (1); & Auctor *Gestorum triumphalium per Pisanos factorum* scribit, quod post Petri Archiepiscopi, aliorumque e Corsica, *honorabilem reditum velox fama Tusciam, & Longobardiam continuo replevit, resonans Ecclesiam Pisanam Metropolitanam dignitatem assequutam in Corsicam ivisse, ibique Episcoporum, & Ecclesiarum celebrata consecratione, & Episcoporum fidelitatibus receptis, Episcopos, & Corsicae Ecclesias per Gelasii Romani Pontificis concessionem suo juri subdidisse; unde factum est, ut invidia Diaboli super alterius bonis semper dolens, atque moerens, immanissime bruta corda Januensium inflaret, & eorum ora superbissima pessime foedaret. Audientes namque Ecclesiam Pisanam tanto honore exaltatam, & gloriosiorem habitam, velut amentes effecti, contra Pisanos fremebant illico feraliter, & dentibus frendebant dicentes sicut homines insanientes, Urbem Pisanam in tantum honorem non esse sublimandam, & ei satis sufficere, si Patrum suorum honore contenti fuerint* (2).

De his omnibus Christianae Religionis incommodis dolebat, ac vehementer angebatur Gelasii successor Callixtus

(1) *Epistola citata.*

(2) *Loco cit.* Vide item *Epistolas Callixti in Appendice &c.*, *Breviarium Historiae Pisanae T. 6. S. R. Ital. col.* 169. Jacobum de Varagine *in Chronico Januense par. 11. cap. 19. col. 35. T. IX. S. R. Ital.*, & Caffarum *lib. 1. Annal. Genuensium T. VI. S. R. I. col.* 254., sed hic Bellorum Pisanos inter & Genuenses rationem non adducit.

tus II. hinc etsi anno 1120. mense Majo cùm Pisis, quo ex Galliis accesserat, esset, multisque a Civibus afficeretur honoribus (1), decessorum suorum decreta is confirmasset (2); Romam tamen profectus a Genuensibus intelligens, quod nisi Pisanus Antistes jurisdictione privaretur, quam in Corsicae Insula exercebat, hujusque Episcopi a Summo Pontifice, ut ante Gelasii tempora mos erat, consecrarentur, nunquam inter duas Respublicas bella cessarent; commotus etiam a Clero, populoque Romano, qui a Genuensibus subornatus, & instructus asserebat, *magnum esse Romanae Ecclesiae detrimentum, nisi concessa dignitas Pisanae auferretur Ecclesiae* (3); habito in Basilica Vaticana Episcoporum Concilio (4) postremis anni 1120. diebus, privilegium Pisanis ab Urbano concessum, ut concitatas discordias sanaret, irritum fecit, mandans Corsicae Praesulibus, ne amplius auderent consecrationem a Pisano Pontifice accipere (5). Non plurimum tamen fortasse fallar, si dixerim, Callixti decretum admissum tunc non fuisse. Etenim, ut praeteream, antiquas

(1) V. Cardinalem Aragonium *in vita Callixti pag.* 420. *T. III. S. R. I.*

(2) Callixtus *in priori epistola* sic ait: *cujus* (nempe Gelasii) *nos vestigia subsequuti cum ad Pisanam Ecclesiam convenissemus, devotionem populi, & Cleri attendentes, & eorum petitioni clementius annuentes, idipsum favoris nostri assertione firmavimus.* Consule etiam *alteram epistolam Callixti*, nec non *epistolam Honorii II. in Appendice &c.*

(3) Honorius *in Epistola cit.*

(4) Coletus *T. XII. Concil. col.* 1323. existimat Concilium hoc, quod plurimos dies duravit ad an. 1121. referendum esse, sed non dubito, quin ad finem anni praecedentis spectet, cum litterae Callixti, ex quibus idem Concilium nobis affulget, scriptae sint 3. nonas Januarii anno 1121.

(5) Troncius *Annali Pisani ad ann.* 1120. *pag.* 59. negat, Callixtum haec statuisse: *dicono alcuni*, scribit ille, *che sotto questo Pontefice* (Callisto) *fosse agitata la lite di questa consecrazione, e che fosse risoluto per togliere l' inimicizie tra la Republica di Pisa, e Genovese, aspettarsi la detta consecrazione alla Sede Apostolica; ma come può essere questo, se il privilegio di Callisto è chiaro, ed è certo, che la determinazione di questa lite non seguì se non sotto il Pontificato di Innocenzio II. nel Concilio di Pisa?* Sed tum ex duabus Callixti epistolis, tum ex epistola Honorii II., aliisque veteribus monimentis exploratum est, Troncium hallucinari. Determinatio vero Innocentii alia fuit a determinatione Callixti, ut postea dicemus.

quas Genuensium Historias, quae alterum non absimile ejusdem Callixti decretum, de quo loquar paullo post, efferunt, de hoc ne verbum quidem habere ; anno communi 1123. Pisanus Antistes Metropolitana dignitate privatus nondum erat, & adhuc ardebant dissidia inter duas Respublicas jam inde a lustro ob eandem dignitatem excitata ; ut manifestum est ex sequenti inscriptione (1) :

Hoc opus est factum post Partum Virginis actum
Anno milleno centeno bis duodeno ;
Tunc jam currebat lustrum, quo bella gerebat
Janua Pisanis nimis Archipraesule claris .
Consul Pisanus quidam per saecula clarus
Nomine Rodulfus probitatis nectare fultus ;
Sic placuit cuncto populo famulamine multo ,
Quod juxtas Arnum meruit me sistere magnum .

Genuenses tamen animum non desponderunt, quinimmo efficacius stimulare Callixtum, eique suadere *Romanam Ecclesiam* belli inter duas celebres Respublicas *caussam, & fomentum existere* (2), peregisse videntur ; quocirca Pontifex pacis amore ductus anno 1123. Romam vocatis utriusque Reipublicae Legatis caussam examinandam commisit duodecim Archiepiscopis, totidemque Episcopis, quorum nomine cum eidem Pontifici significasset Gualterius Ravennae Antistes aequum esse Corsicae Praesules ab Archiepiscopi Pisani jurisdictione eximere, die sequenti coram universo Concilio in Basilica Lateranensi habito, res decreto firmata fuit . Litterae (3) Callixti, ex quibus haec apparent, datae sunt anno superius citato 8. idus Aprilis.

Caffa-

(1) Quae olim videbatur in basi magnam statuam sustentante positam contra viam antiquitus *Portae Aureae*, tum *Gigantis*, deinde *della Sapienza* vocatam. Nunc autem exstat non procul ab eadem via in fronte domus nobilissimae *Lanfranchiorum* familiae.
(2) Honorius in litteris citat.
(3) Sunt in Appendice &c.

Caffarus, qui memoratò Concilio adfuit, nonnulla narrat, quae in Pontificiis litteris desiderantur, idcirco illustre eius testimonium (1) etsi longum hoc in loco recitare operae pretium puto „ In isto anno 1123. Callixtus Papa „ II. Romae in Lateranensi Ecclesia S. Johannis Synodum fecit, & Januenses, & Pisanos ad Synodum propter discordiam vocavit, ibique pluribus diebus lite „ Corsicae consecrationis a Cardinalibus, & ab Episcopis, & Archiepiscopis diu inter eos rationata, & non „ concordata; tandem domnus Papa postquam vidit Cardinales, & Episcopos discordare litis hujus consecrationis judices inde, qui litem justè definirent, posuit duodecim Archiepiscopos, & duodecim Episcopos, nomina quorum in privilegio Januensium scripta sunt, qui „ ab aliis se separantes, & in quadam parte Palatii semoti stantes, & multum inter se de Corsicanis consecrationibus certando, antiquum Regiſtrum Romanae „ Ecclesiae legere fecerunt, & ibi invenerunt, quod Pisani Archiepiscopatum Corsicae iniustè tenebant; & sic „ omnibus vigintiquatuor concordatis coram Papa in Basilica Palatii praesentibus Episcopis, & Abbatibus, & „ Archiepiscopis numero CCC. venerunt, & ibi Gualterius Ravennatensis Ecclesiae Archiepiscopus, qui sententiam consilio ceterorum taliter dixit: *Domine nos* „ *non sumus ausi dare sententiam coram Te, sed dabimus* „ *tibi consilium obtinens vim sententiae. Consilium meum,* „ *& sociorum tale est, ut Archiepiscopus Pisanus deinceps* „ *Corsicanas consecrationes dimittat, & ulterius de illis* „ *non se intromittat:* Papa verò audito consilio surrexit, „ & dixit: *Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Cardinales* „ *placet omnibus vobis hoc consilium?* Qui surrexerunt, & „ tribus vicibus dixerunt: *placet, placet, placet,* & Papa dixit; *& ego* ex parte Dei, & B. Petri, & mea lau-

(1) *Lib. 1. Annal. Genuensium col. 255. T. VI. S. R. Ital.*

„ laudo, & confirmo, & mane pleno Concilio cum o-
„ mnibus vobis iterum laudabo, *& confirmabo*. Archie-
„ piscopus vero Pisanus inter alios Episcopos sedens hoc
„ audito mithram, & anulum ad pedes Domini Papae
„ projecit, & irato animo dixit: *ulterius tuus Archiepi-*
„ *scopus, & Episcopus non ero*. Papa illico anulum, &
„ mithram cum pede longe projecit, & dixit: *Frater*
„ *male fecisti, & deinde poenitentiam proculdubio facies*.
„ Mane autem veniente Papa in pleno Concilio Corsi-
„ canae consecrationis sententiam dare praecepit, & Gre-
„ gorius Diaconus S. Angeli, qui postea fuit Papa Inno-
„ centius, sententiam dedit, sicut scripta est in privilegiis
„ Januensium. Sententia lata, statim Pisani a Romana
„ Curia sine licentia recesserunt; Januenses vero cum li-
„ centia Romanae Curiae, & cum triumpho, & gloria
„ Januam venerunt, & parlamento pleno privilegia, &
„ omnia, quae in Synodo gesta fuerunt, per ordinem
„ a Caffaro narrata fuerunt, sicut vidit, & audivit in sy-
„ nodo „. Etiam Jacobus de Varagine (1) scribit, in
Concilio Romae anno supra citato celebrato Pontificem
Pisanum jurisdictione, quam in Corsica exercebat, pri-
vatum fuisse. Nescio autem, unde Jacobus ipse hauserit
Callixtum, *Pisanos tanquam Ecclesiae rebelles* excommuni-
cationis quoque poena affecisse; cum id neque ex Ponti-
ficiis litteris, neque ex Caffaro eorum temporum auctore
constet. Credere fortassis aliquis posset, Callistum ex-
communicasse Pisanos, quod hi illius sententiam moleste
sustinentes *iniussu Pontificis abierunt, ac bellum facere Ge-*
nuensibus instituerunt, ut affirmat Sigonius (2). At vir do-
ctissimus in errore versatur; testis est enim Honorius II.
quod Genuenses *honori Pisani populi invidentes, & eorum*
incrementum aequo animo non ferentes, hujus rei sumpta
occa-

(1) *Op. cit. par. 11. cap. 20.*
(2) *De Regno Italiae lib. 10. col. 650. T. II. op. edit. 1732.*

occasione guerram contra Pisanos moverunt (1); ex quo praeclaro testimonio liquet Genuenses primos fuisse, qui ante memoratum Concilium Pisanis bellum indixerunt: post Concilium vero Genuenses ipsi vexarunt Pisanos, nec pacem inire unquam voluerunt, tametsi Honorius omne studium collocarit in iis adducendis ad illam faciendam, ut paullo post ostendemus.

Putat eruditissimus Muratorius (2), Pisanum Antistitem, qui audito consilio, quod Ravennae Archiepiscopus Callisto dedit, insulam, & annulum ad Pontificis pedes abiecit, Azzonem fuisse. Sed cum hic extremo anno 1121., vel incunte sequenti obierit (3), factum illud Rogerio potius Azzonis successori tribuendum esse videtur.

Pisanis honore a Callixto spoliatis, Genuenses bellum adversus eos non intermiserunt (4); sed majori cum aestu illud gesserunt. Etenim anno 1124. Pisanorum naves 22. e Sardinia venientes multis divitiis onustas coeperunt (5): aestate sequentis anni usque ad Portum Pisanum navigarunt, & mense septembri Plumbinum depopulati sunt (6): propter Arni ostia anno 1126. praelium cum Pisanis commiserunt, tum Portum Vadensem destruxere, deinde Plumbinum iterum occuparunt, ac tandem in Corsicam transfretantes Castrum Sancti Joannis, tercentosque Pisanos in suam redegerunt potestatem (7). Honorius II. Callixti successor Genuenses vehementer hortatus non semel est ad pacem cum Pisanis faciendam; sed cum videret se ole-

(1) *In litteris citat.*
(2) *Annali d' Italia ad ann.* 1123.
(3) *Vide seriem Archiepiscoporum num.* 30.
(4) Honorius in literis citatis „ *Ceterum*, inquit, *neque suis* (scilicet Callixti), *neque nostris temporibus inter Pisanos, & Januenses est adhuc concordia consequuta*.
(5) Vide Caffarum col. 256., & Jacobum de Varagine *ibidem*.
(6) Caffarus *ibidem*.
(7) Caffarus *col.* 257.

oleum, operamque perdere (1), statuit indulgere Rogerii Archiepiscopi, & Consulum Pisanorum precibus, qui eidem supplicaverant, ut Pisanae Ecclesiae dignitatem, quae *sine praecedente ipsorum .... culpa, & absque judicio ablata* (2) fuerat, restitueret. Ne quis autem conqueri merito posset, Honorium inconsulte, ac temere sententiam tulisse, ipsemet utriusque Reipublicae Legatos Romam vocavit, rursumque ad pacem eos hortatus est. Pisani Sacramento etiam interposito promiserunt Summi Pontificis mandatis obtemperare. At Genuenses, licèt Honorius iterum, ac tertio diem iis dixisset, *neque tenuerunt, neque pro se excusationem canonicam direxerunt*. Itaque Pontifex Maximus anno 1126. mense Julio pluribus Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus *in Sacro Lateranensi Palatio in nomine Domini congregatis* (3) de illorum sententia, & *honoratorum virorum Petri Praefecti, Consulum, & aliorum Romanae Urbis Sapientum, atque Nobilium* assensu Pisano Praesuli jus restituit consecrandi omnes Episcopos Insulae Corsicae juxta veteres concessiones Urbani, Gelasii, & Callixti: vocandi eosdem Episcopos *ad Synodum tam in Metropolitana Pisana Ecclesia, quam in ipsa Insula*, per quam etiam ut Crucem deferre posset potestatem fecit.

Res Pisani Antistitis in Corsica ab Honorio secundum veterem morem denuo constitutae in eo statu fuerunt, quoad Innocentius II. Ecclesiam Genuensem ad Metropolitanam dignitatem evexit; tunc enim variatae sunt, siquidem tres memoratae Insulae Episcopatus, Marianensis scilicet, Nebbiensis, & Acciensis ab jurisdictione Pisani Pon-

(1) Honorius loco cit. haec habet: *Nos autem utrosque diligenter ad pacem faciendam monuimus, sed pacem ab eis prece, vel monitis impetrare nequivimus. Januenses enim, qui ad nos venerant, se ad hoc non esse a populo suo missos, neque ejus mandata posse transgredi asserebant.*

(2) Honorius ibidem.

(3) De hoc Lateranensi Concilio nulla fit mentio in Conciliorum collectionibus.

Pontificis subducti fuerunt. Quo anno hujusmodi variatio acciderit, non una est Historicorum opinio. Notat Bernardus Guidonis (1), legi in quodam Chronico, eam accidisse anno 1140. Sicardus Episcopus Cremonensis (2), Gualvaneus Flamma (3), & Auctor Anonymus Historiae Pisanae (4) anno 1136. factam existimant; ad annum 1133. illam referunt Caffarus (5), Jacobus de Varagine (6), Petrus Cyrnaeus (7), Sigonius (8), & Ughellius (9); Pandulphus Pisanus (10), Cardinalis Aragonius (11) & Joannes Iperius (12), quos ego vehementer sequor, arbitrantur, Innocentium extremo anno 1132. Pisis morantem, ut duas Respublicas inter se jam inde a multis annis diffidentes componeret, & iis, a quibus plura acceperat beneficia, gratiam referret, Genuensem Ecclesiam Metropolitanam declarasse, & Pisanam, quam tribus in Corsica Episcopatibus privavit, aliis honoribus affecisse. Sunt in eadem sententia Saxius (13), & Muratorius (14), qui tamen ne refragari videantur Caffaro Auctori coaevo, asserenti ea facta esse Cornueti, ubi anno tantum 1133. Pontifex erat, ajunt, eo in oppido Genuensem Antistitem Pallium accepisse, & Innocentium litteras, quibus Pisis statuta firmaret, edidisse: quae certe anno su-

D pra

(1) *In vita Innocentii T. III. S. R. Ital. pag.* 453.
(2) *In Chronico T. VII. op. cit. col.* 596.
(3) *Manipulo Florum T. XI. op. cit. cap.* 167. *col.* 631.
(4) *To. XV. op. indic. col.* 975.
(5) *Op. laud. col.* 258.
(6) *Chronico Januensi par.* 10. *cap.* 2. *col.* 22. *par.* 12. *cap.* 20. *col.* 37.
(7) *De Rebus Corsicis T. XXIV. S. R. Italic. col.* 435.
(8) *De Regno Italiae libro* 10. *col.* 666. *T. II. opp. edit.* 1732.
(9) *T. IV. in Epis. Genuens. num.* 26. *col.* 859.
(10) *In vita Innocentii T. III. S. R. Ital. pag.* 433.
(11) *Vita Innocentii T. cit. pag.* 435.
(12) *In Chronico Sancti Bertini* apud Martenium, & Durandium *T. III. Thesauri Anecdot. col.* 636.
(13) *In notis ad Sigonium loco cit.*
(14) *Annali d' Italia ad ann.* 1132.

pra memorato 14. Calendas Apriles ſcriptae ſunt (1).

Narrat Anonymus Piſanus paullo ante laudatus, quod Innocentius eodem anno, quo Genuenſem Eccleſiam Metropolitano honore exornavit, Piſanum Praeſulem Archiepiſcopum primo fecit, Primatem totius Sardiniae Inſulae inſtituit, eique ſubiecit Epiſcopatum Populonienſem in Tuſcia, & alios cum in citata Inſula, tum in Corſica: *Papa Innocentio*, inquit, *pacificò Genova, e Piſa inſieme, e lo Veſcovo di Piſa . . . . . fecelo Arciveſcovo, e diedeli per ſuoi Suffraganei lo Veſcovo di Populogna, e quello di Lerici* (Alerienſis) *e quello di Sagona, e di Ghiaccia, e di Corſica, e di Città, e di Saltelli* (Galtellinenſis), *e di Sardigna, e fecelo Patriarcha in tutta la Sardigna; e quindi è Legato per la Chieſa di Roma*. Nihil ſane Anonymus noſter his verbis inquit, quod ab aliis etiam poſterorum memoriae mandatum non ſit. Etenim Piſanam Eccleſiam ab Innocentio II. ad Metropolitanam dignitatem evectam aſſerunt etiam Bernardus Guidonis, Gualvaneus Flamma, Petrus Cyrnaeus, Sigonius antea memorati, Marangonius (2), Manriquès (3), Platina (4), & Jacobus Arroſtius (5): Piſanum Antiſtitem factum ab ipſo Summo Pontifice fuiſſe Sardiniae Primatem ſcribunt praeter Bernardum, & Gualvaneum, Pandulphus Piſanus, Cardinalis Aragonius, & Joannes Iperius: quo tempore idem Innocentius Genuenſibus Archiepiſcopum dedit, ipſum juriſdictioni Piſani Praeſulis ſubieciſſe Populonienſem in Tuſcia, & alios duos in Sardinia Epiſcopatus, tradunt

Petrus

(1) Sunt apud Ughellium *T. IV. in Epiſ. Genuenſ. num.* 25. *col.* 859., ſed *Groſſeti*, non *Cornueti* datae dicuntur.

(2) *Croniche di Piſa ad ann.* 1130. *col.* 356. *Tom. I. S. R. Ital. edit. Florent.*

(3) *T. I. Annal. Ciſtercienſium ad ann.* 1132. *cap.* 7. *n.* 8.

(4) *In vita Innocentii II.*

(5) *Croniche di Piſa MSS. lib.* 1. *fol.* 21., quae ſervantur in publico Piſano Tabulario communiter dicto *la Cancellaria de' SS. Priori*.

Petrus Cyrnaeus, Baronius (1), uterque Pagius (2), & Paullus Troncius (3). Veruntamen affirmare non dubito, Pisanum Anonymum, & qui cum eo sentiunt multa peccare: peccant imprimis, dum ajunt, ab Innocentio II. hanc Ecclesiam Metropolitanam factam fuisse, quemadmodum testata res est ex iis, quae supra disseruimus: deinde falluntur, quando asserunt memoratum Pontificem elegisse Pisanum Archiepiscopum in totius Sardiniae *Primatem*, eique subjectos fecisse laudatos nuper Episcopatus, quo tempore Genuensem Ecclesiam ab jurisdictione Archiepiscopi Mediolanensis exemit; nam Innocentius unius tantum Sardiniae partis, nempe Turritanae *Primatem* constituit Pisanum Pontificem; & anno duntaxat 1138 Populoniensem, Galtellinensem, & Civitatensem Episcopos *Suffraganeos* dedit hujus Civitatis Antistiti: *pro bono pacis*, scribit anno citato Innocentius (4) ad Balduinum Pisanum Pontificem, *& recompensatione Episcopatuum, quos utique a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiae Pisanae concessos in Insula Corsicae a praedecessore tuo bonae memoriae fratre nostro Archiepiscopo Uberto accepimus, in Galluriensi Judicatu duos Episcopatus, Galtellinensem videlicet, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum tibi, tuisque successoribus, & per vos Ecclesiae Pisanae concedimus, & Metropolitano jure subjicimus, vosque Primatus honore super Turritanam Provinciam decoramus*.

Eodem anno Innocentius ipse Legationem in Sardinia ab Urbano II. Daimberto concessam, Balduino, ejusque successoribus ratam fecit, *Pallei* usum, & potestatem deferendi *Crucem* confirmavit, facultatemque dedit *Equo albo cum Nacco albo in Processionibus utendi* (5). Post Innocen-

D 2

(1 *Ad ann.* 1132. *num.* 2.
(2) Antonius *in Crit. Baroniana ad eundem ann. n.* 4., Franciscus *in Vita Innocentii II. num* 35.
(3) *Annali Pisani pag.* 67.
(4) Litterae sunt *in Appendice &c.*
(5) Confer. *litteras citat.*

centium alii quoque Summi Pontifices laudata privilegia Pisano Antistiti confirmarunt; Eugenius nimirum III. anno 1146. quarto Calendas Junii, & Adrianus IV. anno 1157. undecimo Calendas mensis citati (1).

Barasonus Judex Arborensis Genuensium favore totius Insulae Sardiniae Rex a Friderico I. Imperatore anno 1164. Ticini creatus inter alia Genuensibus ipsis sacramento spopondit, se auxilium illis praestaturum, ut si voluissent, eorum Archiepiscopus in *Primatem* & *Legatum* ejusdem Insulae eligeretur: *juro, quod si Jannenses voluerint laborare, ut Archiepiscopus eorum obtineat Primatum, & Legationes Sardiniae, bona fide inde sibi auxiliabor* (2). Nihil tamen factum est, vel quod Genuenses studium, curamque nullam adhibuerunt ad patrium Archiepiscopum Primatis, & Legati dignitate decorandum, vel potius, quod Barasonus ipse a Genuensibus in carcerem coniectus, ut alibi narravimus (3), datam fidem liberare noluit: quinimmo post quinquennium 7. Calendas Februarias Alexander III. jurisdictionem omnem in Sardinia Pisano Archiepiscopo ratam fecit (4).

Idem ipse Alexander anno 1176. tertio idus Aprilis Pisanum Pontificem fecit Primatem Ecclesiarum etiam Metropolitanarum Calaritanae, & Arborensis in Insula laudata, ac praeterea facultatem eidem elargitus est portandi *Crucem, vexillum scilicet Domini*, non solum per omnes

(1) Eugenii, & Adriani litterae sunt apud Vivianum *in praxi Jurispatronatus par. 1. lib. 3. cap. 2.*, & apud Machinum *lib. 2. defensionis Primatus Archiepis. Calaritani cap. 33.* Plura earumdem litterarum exemplaria descripta tum ex illarum autographo in Archivo Florentino *Reformationum* servato, tum ex quodam volumine, cui titulus: *Liber privilegiorum Archiepiscopatus Pisani*, quod olim erat in illius Tabulario, sunt adhuc in Archivo secreto Archiepiscopi.

(2) V. Barasonis instrumentum apud Ughellium *T. IV. in Archiep. Genuens. n. 27. col. 870.*

(3) *Dissertat. praemissa Sardiniae Sac. cap. 2. n. 18. pag. 11.*

(4) V. litteras Alexandri apud Vivianum, & Machinum *l. cit.*

omnes ipsimet subiectas Provincias, sed etiam *per spatium illud Volaterranensis Episcopatus, quo de Pisano Archiepiscopatu ad Populoniensem transitur* (1): quam facultatem una cum aliis privilegiis antea obtentis eidem confirmarunt Lucius III. anno 1181. secundo idus Novembris, Urbanus III. anno 1185. decimotertio Calendas Novembris, Coelestinus III. an. 1191. nonis Februarii (2), & Innocentius III. anno 1198 decimo Calèndas Aprilis (3). Quae autem esset jurisdictio, quam Pisani Archiepiscopi in Sardinia exercere poterant, declarat ipse Innocentius in sequentibus litteris ad Turritanum Antistitem, quae ab Ughellio (4) sine anni nota editae sunt, sed Raynaldo (5) judice spectant ad annum 1204. „ Licet venerabilem fratrem nostrum Pisanum Archiepiscopum, & ejus Ecclesiam non velimus super collato sibi a praedecessoribus nostris privilegio Legationis, & Primatus, quod nos postmodum confirmavimus, molestare; pati tamen nec volumus, nec debemus, ut beneficio Sedis Apostolicae abutatur & in gravamen subditorum assumat, quod ei ad illorum provisionem, & commodum est indultum. Cum igitur certis temporibus auctoritate nostra Legationis officium in Sardinia valeat exercere, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus cum terram ipsam juxta tenorem privilegii Ecclesiae Pisanae concessi datis temporibus visitarit, quamdiu in eadem Provincia fuerit, ei tanquam Legato Se-

„ dis

(1) Lege Alexandri litteras *in Appendice monum.*
(2) V. horum litteras apud Auctores citatos, & in Archivo &c.
(3) Innocentii literae sunt *in Append. &c.*
(4) *In Archiepiscopis Pisan. n.* 48.
(5) *Ad eum annum num.* 78. Nos, ut Innocentii litteras emendatiores vulgaremus, usi sumus earum exemplari, quod est in Archivo secreto Archiepiscopi in Libro, cui titulus: *Alleg. Juris divers. de Primatu Eccles. Pisanae;* ac descriptum fuit ex Bibliotheca Vaticana; & anno 1613. collatum cum autographo a Balthasare Ansideo ejusdem Bibliothecae Custode. Ughellius his ipsis litteras, ubi de Vitali loquitur *num.* 51. *col.* 424. perperam tribuit Honorio.

„ dis Apostolicae intendas; absenti autem, vel alio „ tempore venienti non teneberis auctoritate Legationis „ aliquatenus respondere: auctoritate vero Primatiae non „ plus potest in Provincia Turritana, quam Primatibus „ universis concedunt Canonicae sanctiones. Datum La- „ terani 5. nonas Julii. „

Anno 1208. quinto idus Maii Ecclesiae Pisanae privilegia rursus firmavit (1) Innocentius laudatus; quem anno 1218. imitatus est Honorius III. Patet id vero tum ex litteris, quas misit ad Vitalem Pisanum Archiepiscopum (2); tum ex aliis scriptis *Archiepiscopis, Episcopis, & Nobilibus viris Turritano, & Gallurensi Judicibus, aliisque Nobilibus per Sardiniam constitutis;* quas hic recitandas esse censemus: *Cum quidam praedecessores nostri Pisanis Archiepiscopis contulerint in Turritana, Arborensi, & Callaritana Provinciis Primatus, & in Sardinia Legationis honores, prout in privilegiis eorum apparet: Nos venerabili fratri nostro Vitali Pisano Archiepiscopo benigne concessimus, quod nostri praedecessores ipsius Archiepiscopi praedecessoribus concesserunt, cum Pisani [sicut vos credimus non latere] super iis, pro quibus interdicto suppositi fuerant, juraverint nostris mandatis humiliter obedire: ideoque universitatem vestram attente monemus per Apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Archiepiscopo in iis, quae in praedicta Terra sibi sunt ab Apostolica Sede concessa tanquam Primati vestro, & Apostolicae Sedis Legato debitum honorem, & reverentiam impendatis, ejusque salubribus monitis curetis devote, ac humiliter obedire. Datum Laterani nonis Februarii anno secundo* (3).

Ex

(1) Consule *ejus litteras* apud Balutium *T. II. lib.* 11. *n.* 80. 81. *pag.* 171. *& seq.*

(2) *In Appendice monumentorum.*

(3) Has litteras recitant Vivianus, Machinus, Ughellius, & Raynaldus, sed mancas. Integras nos eas damus ex hoc Archivo, in quo apographum servatur.

Ex duabus allatis epistolis compertum est, Sardos Antistites vel ineunte saeculo decimotertio oppugnare coepisse jurisdictionem, quam Pisani Praesules in Sardinia antea pacifice exercuerant. Sub Gregorio IX. quidam ejusdem Insulae Episcopi a Pisani Pontificis obedientia eximere se efficacius curasse videntur; quocirca Vitalis, qui eo tempore hanc Ecclesiam regebat, Romam concessit privilegiorum, quae Romani Pontifices decessoribus suis tribuerant, confirmationem impetraturus. Gregorius benigne excepit Vitalem, & licet falsus est, se non posse Sardorum caussam non audire, quippe qui instanter id flagitabant, nihilominus ob Vitalis nostri *devotionis fervorem, necnon & affectionem, quam ad Ecclesiam, & Civitatem Pisanam specialiter* ipsemet gerebat, Archiepiscopo consensit, ut liquet ex ejus litteris *Capitulo, & Clero Pisano* datis, quas recitat Ughellius (1).

Vitalis Pisas reversus in Sardiniam transfretavit anno 1235., ut Sardorum Antistitum audaciam frangeret, quod aegro animo tulit Gregorius, siquidem juxta probatam consuetudinem Pisani Praesules Legati, ac Primatis officio laudata in Insula fungi nequibant inconsulto Summo Pontifice; quamobrem idem ipse Gregorius graviter reprehendit Vitalem, in hunc modum ad eum scribens „ Si tua „ discretio, prout convenit, diligentius attendisset, quod „ honorem suum sibi merito subtrahit, qui honorem de- „ bitum alteri non impendit, si tui exercuisses officii de- „ bitum, dignitati Sedis Apostolicae per te non esset in „ aliquo derogatum. Nam cum sit moris, & consuetudi- „ nis approbatae, ut nequaquam Archiepiscopus Pisanus „ in Sardiniam accederet, aut ibi Legationis officium „ exerceret, nisi prius speciali super hoc a Sede Aposto- „ lica licentia impetrata, tu nullatenus hoc attendens, & „ ex eo indebitam occasionem assumens, quod Capitulo, „ & Cle-

(1) *In Archiepisc. Pisanis num. 51. col. 430.*

„ & Clero Pisano quasdam direximus litteras continen-
„ tes, quod jura tua, & Ecclesiae Pisanae volentes illi-
„ bata servari, non inhibueramus tibi, quin posses uti
„ libere jure tuo, a nobis nec petita licentia, nec ob-
„ tenta Sardiniam ipsam tanquam Legatus Apostolicae di-
„ gnitati derogare non veritus intravisti. Verum cum jura
„ Sedis Apostolicae nostris temporibus minui nequaquam
„ a nobis deceat tolerari, fraternitati tuae per Apostoli-
„ ca scripta mandamus, quatenus de caetero nullatenus in
„ Sardinia Legationis officium exercere praesumas, nisi
„ a Sede Apostolica licentiam obtineas specialem, alio-
„ quin indignationem Sedis Apostolicae poteris non im-
„ merito formidare. Datum Fulginei 2. nonas Octobris
„ Pontif. nostri anno nono (1).

Celeberrimus Muratorius vetus monumentum edidit (2) continens oblationem factam anno 1248. Reipublicae Pisanae ab Alberto, aliisque Nobilibus de Bangnaria de Corsica, in quo idem ipse Albertus, caeterique nobiles pollicentur, se nunquam consilium daturos, vel assensuros, ut Civitas Pisana Archiepiscopatum, aut alias dignitates amitteret; en illorum verba: *In perpetuum erimus, & erunt fideles Pisano Archiepiscopatui, & Pisanae Civitati: & promitto, quod non ero nec ipsi nobiles, vel aliquis eorum, neque fideles mei, vel fideles ipsorum nobilium erunt, vel aliquis eorum erit in consilio, vel facto, consensu, vel assensu, ut Pisana Civitas Archiepiscopatum amittat, nec Primatum, nec Legationem de Sardinea, & Corsica, nec aliquem Episcopatum de Sardinea, & Corsica, aut dignitatem, seu honorem, aut honores, quem, vel quos nunc Pisana Ecclesia, vel Pisana Civitas, aut Pisani Cives, seu fideles Pisani Communis nunc habent, aut disponente Domino in antea consequentur*. Utrum Albertus, nobilesque memorati id spopon-

(1) Has litteras publicavit Ughellius *in Vitali n.* 51.
(2) *Tom. IV. Antiquit. Ital. Medii Aevi Dissert.* 47. *col.* 235.

ponderint, quod revera Corsi Antistites una cum Sardis per ea tempora tentassent a cervicibus suis suave Pisanorum Pontificum jugum dejicere, vel potius, ut, etsi nihil ab iis tentatum esset, majorem inirent gratiam apud Rempublicam Pisanam, cui sciebant summopere cordi esse Ecclesiastica etiam jura in laudatis Insulis sarta tecta servare, mihi non constat.

Fridericus Vicecomes Antistes Pisanus anno circiter 1262. confirmationem privilegiorum, quae ejus decessores consequuti fuerant, obtinuit a Clemente hujus nominis IV., iisdemque usus est, siquidem totam Sardiniam tanquam Primas, & Legatus Sedis Apostolicae visitavit, quemadmodum diffusius narrabimus, ubi de Friderico ipso peculiarem sermonem habebimus. Sed post sexennium Cives Pisani ab eodem Summo Pontifice excommunicationis poena affecti, & Archiepiscopali, aliisque dignitatibus, privati sunt, quod a Corradini Romanae Ecclesiae hostis, qui in Italiam venerat, partibus starent, eumque ut Siciliae Regem venerarentur, & Carolo Andegavensi Comiti obedire nollent (1). Gregorius X. qui Clementi successit anno 1272. censuras Ecclesiasticas in eosdem ob ipsammet caussam confirmavit (2). His circiter temporibus Pisani ditionem Turritanam in Sardinia, imprimisque oppidum Sassaritanum occupaverant; hinc idem ipse Gregorius initio anni citati eis minitatus est, quod nisi *infra instans festum Purificationis* Sedi Apostolicae de iniuriis ipsi illatis facerent satis, progrederetur *ad privandum ipsam Civitatem Pisanam Episcopali dignitate, quae illi sola remansit, ac jure Civitatis, seu universitatis, & cujuscumque territorii, seu districtus, jurisdictione insuper, ac vasallis quibusli-*

(1) Vide Epistolas Gregorii X. paullo post laudandas. Confer etiam quae dicentur *in Friderico Vicecomite*.

(2) Adisis Raynaldum *ad eum ann. n. 46.*

buslibet (1). Minarum timore perculsi Pisani ad bonam frugem redierunt, ac Summo Pontifici supplicarunt, ut Civitatem a censuris relaxaret, ipsique honorem Archiepiscopatus restitueret; quorum alterum fecit Gregorius anno 1273. pridie nonas Junii per Joannem Viterbiensem Ordinis Praedicatorum Legatum suum, ut liquet cum ex monumentis a Raynaldo (2) vulgatis, tum ex Guidone de Corvaria, qui ad annum citatum ait: *die mercurii sequenti* (nempe sexta Junii) *ivit suprascriptus Legatus cum domino Archiepiscopo, & toto Clero Civitatis Pisarum ad Processionem per Civitatem ipsam benedicendo Civitatem, & homines* (3); alterum per seipsum eodem anno 12. Calendas Julias edita Florentiae Constitutione (4), qua decernit, Pisarum Antistitem imposterum omnibus uti posse privilegiis, & juribus, quibus utebatur, antequam Archiepiscopali dignitate privaretur. Utrum Primatis, ac Legati in Insulis Sardinia, & Corsica honorem adhuc obtineat Pisanus Pontifex, videbimus hujus Dissertationis capite quarto. Silentio tamen praetereundum non esse hoc in loco arbitramur, quod de Pisana Ecclesia, ejusque Archiepiscopo saeculo decimoquinto scriptum reliquit Joannes Carolus Florentinus; is itaque ad beneficia, quibus Pisani superioribus temporibus Sedem Apostolicam affecerunt, respiciens ait: *hinc ergo potuit provenire, ut dignior ceteris omnibus Italiae haec ipsa Pisanorum Metropolis esse meruerit: Nam qui ejus Civitatis Antistes declaratus sit, ut primum Metropolis solium attigerit Lateris Legatione dignatur. Deinde, nostro ut more loquamur, & Palati-*

(1) Gregorius in litteris, quarum fragmenta exhibet Rainaldus *loco cit.*; integras vero recitat clariss. Eques *dal Borgo Raccolta di scelti diplomi Pisani ec. n.* 31. *pag.* 149. *& seq.*
(2) *Ad eum annum n.* 33. *& seq.*
(3) *Fragmentis Hist. Pisanae T. XXIV S. R. Ital. col.* 680.
(4) Hanc dabimus *in Appendice monum.*

latinus Comes, & Corsicae, ac Sardiniae vocitatur Primas. Age vero, quod nonnullis anni diebus uti Pontifex Maximus Pallio utitur, stuppaque Templum ingredienti accenditur, ceterisque aliis Pontificiis insignibus honestatur, ut summus Pontifex, praeter capitis ornamentum, in ceteris judicetur. Eos quoque, quos Canonicos, seu Capellanos dicimus eisdem fere diebus primos quidem Cardinalium amictu ornatos, alios vero Praesulum vestimento decoros cum summa spectantium voluptate quisque intueri, ac magnopere venerari potest (1).

CAPUT III.

Tempus, quo Massanus, Civitatensis, & Galtellinensis Episcopi Pisano Pontifici ceu Metropolitano obtemperarunt, examinatur.

CUM Innocentius hujus nominis II. anno 1138. ut damna illata Pisanae Metropoli ob subductionem ab illius jurisdictione trium Episcopatuum in Corsica, Marianensis scilicet, Nebiensis, & Acciensis compensaret, tres alias Ecclesias, Massanam nimirum in Tuscia, Civitatensem, & Galtellinensem in Sardinia Pisano Archiepiscopo concessisset, e re futurum putavi, si brevissime disseram de tempore, quo illarum Praesules Pisanum Pontificem ceu Metropolitanum venerati sunt, ut quae olim fuerint hujus jura perspicue, distincteque agnoscatur. Itaque dubitari non potest, quin Episcopus Massanus Pisano Antistiti subiectus fuerit usque ad annum 1459., quo de-

(1) Apud Constantinum Cajetanum *in not. ad vitam Gelasii II. T. III. S. R. I. col. 599.*

cimo Calendas Majas Senensis Episcopi ad Metropolitanum honorem a Pio II. evecti *Suffraganeus* factus est, quemadmodum ex ipsius Pii Constitutione (1) erudimur.

Longe vero difficile est certo statuere, quo tempore Civitatensis, & Galtellinensis Episcopatus ab jurisdictione, & imperio hujus Metropolitani subducti sint. Anno 1198. quum Innocentius III. omnia privilegia huic Pisanae Ecclesiae confirmaret, memoratos Episcopatus eidem adhuc paruisse comperta res est ex litteris (2) ipsius Innocentii. Non multos post annos eosdem Episcopatus Romano tantum Pontifici subditos evasisse in Sardinia Sacra (3) affirmavi. Movebar autem ad id asserendum, quod Raynaldo (4) teste, Innocentius anno 1204. Praesules Ecclesiarum exemptarum in Sardinia cum proprio foro contempto coram Judicibus Laicis inter se litigarent, acriter obiurgaverit, ac minitatus fuerit, se illos adducturum *in perpetuam servitutem*. Ex hoc enim inferebam, quod si inter Praesules Sardos exemptos, idest Summo Pontifici *immediate* subiectos, quibus Innocentius minatus est perpetuam servitutem, nimirum subiectionem, ut ego quidem interpretor, Metropolitanis Insulae Sardiniae, Episcopi quoque sint numerandi; Episcopi illi sine dubio praeerant Ecclesiis Civitatensi, & Galtellinensi, siquidem aliarum Sedium Antistites antea etiam suberant laudatae Insulae Metropolitanis. In praeconceptam opinionem vehementius adducebar, observans, cum *in Notitia quinque Patriarchatuum*, quam ex Bibliotheca Regia Parisiensi eruditissimus Carolus a S. Paullo (5) omnium primus vulgavit, & collectam fuisse post duodecimum Ecclesiae saeculum opinatur Or-

(1) Est apud Ughellium *T. III. in Episc. Senensib. n. 71. col. 575.*, & apud Peccium *Serie de' Vescovi, & Arcivescovi di Siena n. 79. pag. 325. & seq.*
(2) *In Appendice monument.*
(3) *Pag. 276.*
(4) *Ad eum ann. n. 108.*
(5) *Ad calcem Geographiae Sac. pag. 59. edit. Clerici.*

Orlendius (1); tum in ea, quam clarissimus Schelstratius (2) edidit, & a viro Religioso, ejusque Abbate Milone anno 1225. collectam censet, inter Episcopos Pisanae Ecclesiae *Suffraganeos* recenseri tantum Massanum, Adiacensem, Sagonensem, & Aleriensem; Civitatensem vero dici *Domini Papae*, & Galtellinensem *exemptum*. Verum priorem sententiam retractare cogor; nam ex litteris (3) Honorii III. quae MSS. sunt in hoc Archiepiscopali Tabulario, & ex perspicuo testimonio Friderici Pisani Antistitis manifestissime apparet, non solum initio, sed etiam post medium saeculum decimum tertium Pisanum Pontificem Episcopatuum Civitatensis, & Galtellinensis Metropolitanum adhuc fuisse; alter enim in suis litteris ad Vitalem Archiepiscopum anno 1218. scriptis haec habet: *Pallei quoque usum fraternitati tuae concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisanae Ecclesiae perfruaris, & in consecrationibus trium Episcoporum in Corsica ..... duorum in Sardinia, & Populoniensis Episcopi, quorum Metropolitanus existis*; alter vero in Sermone (4), quem anno 1263. recitavit coram universo Clero, cum visitata Civitate, & Dioecesi Pisana, significavit velle se in Sardiniam navigare, ait: *Sed cum videretur Communi nostro, ut deberemus non solum tanquam Archiepiscopus, & Metropolitanus Episcopos Suffraganeos nostros Gallurensem, & Civitatensem, sed tamquam Primas, & Apostolicae Sedis Legatus totam Sardineam visitare coepimus infra nos plurimum titubare.* Quamobrem nunc arbitror, Praesules Sardos exemptos, quibus minatus est Innocentius, fuisse Praesules minorum Ecclesiarum, idest Abbates, & hujus generis alios Ecclesiasticos, qui soli Romano Pontifici suberant, non autem

Epi-

(1) *T. I. par. 1. Orbis sacri, & prophani in parergo pag. 97.*
(2) *T. II. Antiquit. Eccles. Illustrat. in Append. ad opus Geograph. pag. 754.*
(3) Quas damus *in Append. monum.*
(4) Extat Florentiae in Bibliotheca MS. olim Sanctae Crucis, nunc Mediceo Laurentiana.

Episcopos; & memoratas *Notitias* recentiores esse, quam Schelstratius, & Orlendius existimant, vel potius sequioribus temporibus additamentum aliquod passas esse.

Si quis a me quaerat, quandonam Civitatensis, & Galtellinensis Episcopatus a Metropolitana Pisani Archiepiscopi jurisdictione se subtraxerint, ingenue fatebor, me id certo nescire. Attamen si ubi ex Scriptoribus nulla propemodum lux affulget, coniecturis uti licet, dicam longe verisimile esse id accidisse ineunte saeculo decimoquarto. Etenim per illud tempus expulsis a Jacobo Aragonum Rege Pisanis ex tota Sardinia, quam Bonifacius VIII. ipsi Jacobo anno 1297. concesserat (1), quemadmodum multum detractum est, Rege ita volente, ex amplissimo Primatis, & Legati jure, quod Pisanus Antistes antea in laudata Insula exercebat, ita valde probabile est, hoc ipso tempore Episcopos Civitatensem, & Galtellinensem sese liberare a Metropolitano Pisani Archiepiscopi imperio curasse; id quod veritati magis consonum existimo, quotiescumque attendo, memoratos Episcopatus in Galluriensi (2) regione fuisse, quae post concessam Sardiniam Jacobo supra laudato, invita, ut ajunt, minerva Pisanis obtemperabat, uti ex Albertino Mussato (3) colligitur.

Non sum quidem nescius, in *Notitia* illa Ecclesiastica, quam Emmanuel Schelstratius (4) anno circiter 1347. ab Episcopo Catharensi collectam putat, Civitatensem Praesulem Archiepiscopi Pisani Suffraganeum asseri; sed procul dubio est id error collectoris, qui cum videret in antiquiori illa *Notitia*, ex qua suam exscripsit, Civitatensem Antistitem inter eos referri, qui iis temporibus Pi-

(1) V. *Sardiniam Sacram cap. 2. Dissertat. pag. 20. & sequent.*
(2) Id apparet ex monumentis a me indicatis *in Sard. Sacra pag. 275. nota 1.*
(3) *De Gestis Henrici Caesaris lib. 13. rubrica 2.* apud Burmannum *T. VI. par. 2. col. 163. Thes. Antiq. & Histor. Italiae*, & apud Muratorium *T. X. S. R. Ital. col. 522.*
(4) *Op. cit. pag. 763.*

Pisano Pontifici obtemperabant, censuit anno etiam paullo ante citato ita se rem habuisse. At id falsum esse perperspicua, certaque monumenta demonstrant; nam Clemens hujus nominis VI. in litteris (1), quibus anno 1344. in Episcopum Civitatensem in Sardinia (2) elegit Bernardum Rubeum de Ordine Fratrum Minorum, aperte ait, quod Sedes Civitatensis *ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet*. Idipsum tradit Innocentius VI. in litteris (3) ad Gerardum ejusdem Ordinis sodalem, quem anno 1353. octavo idus Novembris memoratae Sedis Pontificem creavit.

Tametsi praeter memoratam *Notitiam* (4) ab Episcopo Catharensi collectam, nullum aliud, quantum scio, vetus, exploratumque monumentum supersit, ex quo erudiamur, Galtellinensem quoque Episcopum initio circiter saeculi decimiquarti solius Romani Pontificis imperio parere coepisse, vix tamen, ac ne vix quidem dubito propter conjecturas superius allatas, quin ita factum sit. Nec est, quod quis opponat, Galtellinensem Praesulem anno 1302. die mensis Februarii sexta, cum vadimonium, quod ei constituerat Tancredus de Monte-rinaldi Vicarius Joannis Archiepiscopi Pisani deseruisset, a Tancredo ipso excommunicatum fuisse (5): ex quo inferri posse videtur, eo quoque tempore Pisanum Pontificem fuisse Ecclesiae Galtellinensis Metropolitanum. Etenim probabile est, quod quamvis Jacobus anno superius citato jam inde a lustro Sardinia potiretur, attamen cum nondum eam pacifice possideret, memorati Episcopatus non adhuc Pisanae Metropolis jugum excussissent. Dici etiam potest, ut Barbosa

(1) Apud Waddingum *T. VII. Annal. Minorum pag.* 538. *edit. Rom.*
(2) Ecclesiam Civitatensem, cujus Episcopus factus est Bernardus fuisse in Sardinia aperte ait Waddingus *T. cit. ad eum ann. n. 6. pag.* 313., & ego id perspicue ostendi *in Sard. Sac. pag.* 276. *in notis*.
(3) Apud Waddingum *T. VIII. op. cit. pag.* 436.
(4) In hac enim Galtellinensis Episcopatus dicitur *exemptus*.
(5) Consule monumentum, quod post Ughellium, ac Troncium ipse dedi *in Episcop. Galtellinens. n.* 3. *pag.* 282.

sa (1), Ughellius (2), & Cantelius (3) recte animadvertunt, quod Joannes Archiepiscopus per Tancredum Vicarium suum in Galtellinensem Praesulem egit auctoritate Primatis, & Legati in tota Sardinia, non Metropolitani laudatae Ecclesiae Galtellinensis.

Tribus memoratis Ecclesiis a Metropolitana Pisani Antistitis potestate subtractis, hic in praesentia Episcopatus duntaxat Adjacensem, Sagonensem, & Aleriensem in Insula Corsicae *Suffraganeos* habet, ut apud Ughellium videri potest. Non desunt tamen quidam Scriptores, qui longe plures Episcopos Pisanae Metropoli obtemperare litteris consignarunt. Salmoniani Operis continuator (4) ait, omnes Corsicae, & Sardiniae Antistites Pisanum Pontificem tanquam Metropolitanum venerari, ut sequentia ejus verba satis indicant: *l' Arcivescovo di Pisa ha per Suffraganei i Vescovi di Corsica, e di Sardegna.* Labbeus (5) refert, quod Pisano Archiepiscopo *subiiciuntur a quibusdam* Episcopatus *Livurnensis, & Civitatensis, seu de Civitate Solis, necnon Massanensis.* At in magnis erratis illorum opinio est. Salmonii continuatorem jure carpit immortalis Joannes Lamius (6) occasione refellendi perplures errores, in quos ille Etruriam describens lapsus est. Auctores, de quibus loquitur Labbeus, adeo turpiter falluntur, ut mirum sit, virum eruditissimum vel levissimam iis tribuisse fidem: constat enim ex litteris Pii II., quas antea indicavimus, Massanum Episcopum jam inde ab anno 1459. Senensi Pontifici subiectum esse. Celebris Etruriae Portus Liburnum nunquam Sedes Episcopalis fuit, sed ejus spiritale regimen apud Pisanum Archiepiscopum est.

(1) *De Officio, & Potestate Episcopi par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 7. *pag.* 153. *edit.* 1656.
(2) *In Archiepisc. Pisanis n.* 55. *col.* 445.
(3) *Historia Civili, & Eccles. Metropolitanarum Urbium par.* 3. *dissertat.* 6. *c.* 5.
(4) *Lo stato presente di tutti i Paesi ec. T. XXI. pag.* 3.
(5) *Breviario Geograph. Episc.* §. 4. extat *Apparatu* 1. *ad Concil. col.* 583. *edit. Coleti.*
(6) *Novelle Letterarie Fiorentine dell' anno* 1760. *n.* 2. *col.* 21.

est. Oppidulum, olim Civitas Solis, in ditionis Magni Etruriae Ducis finibus Flaminiam versus positum est (1), nec unquam peculiarem Episcopum habuit. Sed quantum conjicio memoratis Auctoribus fucum fecit *Notitia* Ecclesiastica ab Episcopo Catharensi anno 1347. collecta, in qua cum Civitatensis Ecclesia Pisano Pontifici subjecta dicatur, hanc non in Sardinia, sed in ditione Magni Etruriae Ducis extare putarunt; cumque in hac ditione nullum aliud oppidulum sit, quod *Civitas* proprio nomine vocetur praeter illud nunc communiter dictum *Terra del Sole*, huic & Episcopum adjudicarunt, & parere Archiepiscopo Pisano scripserunt.

CAPUT IV.

Pontifex Pisanus olim fuit, & nunc etiam est Primas, & Legatus natus Insularum Sardiniae, & Corsicae.

POst Saracenorum expulsionem ex Insula Sardiniae Ecclesiis Turritana, & Arborensi Metropolitana dignitate, & honore saeculo aerae Christianae undecimo decoratis (2) totius laudatae Insulae Primatem fuisse Calaritanum Antistitem testis locupletissimus est Victor hujus nominis III. Summus Pontifex, qui cum resciisset miserrimum statum, in quo Ecclesiae Sardiniae erant ob Antistitum negligentiam, in haec verba an. 1087. quarto Calendas Septembris scripsit ad Jacobum Praesulem Calaritanum: *Quae merito ita indigno animo tulimus, ut quasi ad proceden-*

(1) Confer Baudrandium *Lexico Geographico* ad verbum *Civitas Solis*.
(2) Consule *Sardiniam Sacram cap. 5. Dissertat.*, *& in Episcop. Turritanis pag. 146.*, *ac Arborens. pag. 238.*

dendum contra illorum Episcopos compulsi fuerimus, praecipue contra fraternitatem tuam, qui Primas es dictae Insulae, cui Ecclesiarum negotia deferenda sunt. Ideo enim Sedes Apostolica, cui licet indigne praesidemus, per diversas mundi Provincias Episcopos, Archiepiscopos, & Primates instituit, ut recte singularum Ecclesiarum gereretur administratio (1). Ex his autem Victoris verbis manifestissime apparet, Calaritanum Antistitem per ea tempora fuisse Sardiniae Primatem non secundi, sed primi ordinis; nam Summus Pontifex in suis litteris perspicue distinguit Archiepiscopos a Primatibus; hinc aperta res est, vehementer errare Joannem Franciscum Faram patria Sassaritanum, & Episcopum Bosanensem affirmantem (2), quod in Sardinia nullus unquam Primas fuerit. Absit vero, ut in sententiam eamus Ambrosii Machini (3), qui contendit, Calaritanum Praesulem Primatis ordinis primi honorem jam inde a S. Petri Apostoli temporibus obtinuisse; tametsi enim libenter concedamus Machino, Calaris Antistitem quarto etiam aerae Christianae saeculo Metropolitana dignitate (4) fulsisse, eique obtemperasse non solum Insularum Majoricae, Minoricae, & Ebusi (5), sed fortassis

(1) Victoris litterae sunt apud Machinum *lib. 2. defens. Primatus Archiep. Calar. cap. 9. pag. 51. seq.*, & apud Papebrochium *in Append. ad Acta Luciferi A. Cal. n. 123. ad diem 20. Maii.*

(2) Apud Machinum *op. cit. cap. 44.*

(3) *Cap. 8. pag. 49.* Idem sentit Innocentius Cironius *Compilatione quinta Epistol. Decretalium Honorii III. lib. 5. tit. 18. cap. 6. pag. 229. edit. 1645.* sic enim inquit: *forte Cives Pisani eo temeritatis progressi erant, ut usurparent Judicatum Calaritanum ad Sedem Apostolicam spectantem, exemplo Archiepiscopi Pisani, qui sub Innocentio III. dignitatem Primatus Sardiniae, & Corsicae Calaritano debiti a mille tercentis annis, affectavit.*

(4) V. *Sardinia Sac. cap. 5. Dissertat. n. 3.*

(5) Adeundi Carolus a S. Paulo *lib. 2. Geograph. Sac. pag. 46. edit. cit.*, Ruinartus *in notis ad lib. 4. Victoris Vitens. de Perseq. Afric. pag. 393. ed. 1694.*, Cantelius *op. cit. par. 3. Dissertat. 6. cap. 6.* His accedere videtur Gonzalez *in not. in lib. 1. Decret. tit. 5. cap. 6.*, quibus omnibus praeivit Auctor *Notitiae Sacrae Patriarchatus Romani* dicens: *Calaris Metropolis Sardiniae, & Insularum Balearium.* Hanc *Notitiam* post Carolum a S. Paulo edidit Orlendius *ad calcem T. I. Orbis Sac. & profani p. 4.*

taffis etiam Insulae Corsicae Ecclesias (1); nunquam tamen Machino ipsi dabimus, Calaritanum Pontificem fuisse primi ordinis Primatem (2), siquidem nec in Insulis Balearibus, nec in Corsica, nec in ipsa Sardinia ante saeculum undecimum alii erant Archiepiscopi, qui illi parerent.

Cum nulla Romanae Sedis edicta Calaritanus Archiepiscopus proferret, quibus Primatum suum tutaretur, nullaque dignitatis illius ipse adhiberet insignia, integrum sibi esse duxerunt Romani Pontifices Primatum Sardiniae, cui libitum erat deferre (3). Quamobrem Urbanus hujus nominis II. Pisanos Antistites totius Sardiniae Legatos Apostolicae Sedis primo declaravit, deinde Innocentius II. anno 1138. Provinciae Turritanae; tandem Alexander III. anno 1176. caeterarum Sardiniae Provinciarum, Calaritanae scilicet, & Arborensis Primates constituit: *pro devotione quoque*, verba sunt Alexandri, *& honestate tua, frater Hubalde Pisane Archiepiscope, personam tuam, & per te Pisanam ampliori Ecclesiam munere volumus decorari;*

 Tibi

(1) Confer Carolum Cointium *T. VII. Annal. Eccles. Franc. ad an.* 815. *n.* 11., & Papebrochium *op. cit. cap.* 11. *num.* 104.

(2) Anno 1623. una cum corpore Luciferi Calaritani Antistitis inventa est inscriptio relata a Machino *op. cit. cap.* 12. *pag.* 61., *& in defensione Sanctitatis Beati Luciferi pag.* 190., quae est hujusmodi:

„ Hic jacet B. M. Luciferus Archiepiscop. Calaritanus
„ Primarius Sardiniae, & Corsicae Can. Filius S. R. E.
„ Qui vixit annis LXXXI. K. die XX. Maii.

Idem ipse Machinus hanc inscriptionem ad tempus *humationis, aut translationis corporis S. Luciferi* refert, eademque utitur *cap.* 12. *pag.* 61. ad probandum quarto Ecclesiae saeculo Antistitem Calaritanum fuisse Primatem. Sed ex hac inscriptione nihil commodi capere potest Machinus; nam *esse suppositam ad supplantandum populum, illumque alliciendum adorationi Luciferi* affirmat Turritanus Archiepiscopus *in oppositione contra Luciferum* apud Machinum *pag.* 3. Papebrochius autem etsi illam sinceram existimat, tamen invictis rationibus demonstrat *T. V. Maii in Actis Luciferi cap.* 11. *n.* 106. post annum 1330. sculptam fuisse.

(3) Cantelius *Differtat. cit. cap.* 5.

Tibi ergo, tuisque successoribus Primatum super Calaritanam, & Arborensem Provincias datum concedimus, & auctoritate Sedis Apostolicae confirmamus; ita quidem, ut eos ad Concilia vocandi, excessus eorum corrigendi, & in doctrina Apostolica confirmandi, atque cetera omnia, quae ad jus Primatus pertinent, in eos exercendi habeatis liberam potestatem. Verumtamen supradictarum duarum Provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisas sine conscientia Romani Pontificis; super Turitanam verò Provinciam dignitatem Primatus, sicut a praedecessoribus nostris Ecclesiae Pisanae concessum est, habeatis (1).

Pontificem Pisanum Apostolicae Sedis Legati munere non semel in tota Sardinia functum esse exploratae fidei est; nam exeunte saeculo undecimo Daimbertus Pisanus Archiepiscopus Turribus Synodum celebravit, ad quam *vocavit Archiepiscopos, & Episcopos Sardiniae*, qui in ea communi suffragio Torquitorem Judicem Galluriensem excommunicarunt (2). Aliam Synodum habuit Ubertus anno 1134., vel sequenti in loco, qui dicebatur *Ardera* (3): monumentum, ex quo memorata Synodus nobis innotescit, sic incipit: *Ego Ubertus Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Romanae Sedis Legatus in perpetuum*; definit autem: *facta sunt haec consilio, & assensu Archiepiscoporum, & Episcoporum, atque Abbatum, nec non Clericorum apud Arderam praesidentium* (leg. praesentium) *anno Domini* 1135. *Ego Ubertus Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Apostolicae Sedis Legatus fieri jussi, & subscripsi*. Balduinus anno 1139. diplomati Ugonis Episcopi Othanensis, seu Ortillensis in Sardinia his verbis subscribit: *Ego Balduinus Pisanus Archiepiscopus, & Romanus Legatus* (4).

Idem

(1) Epistola, quae est *in Append. monum.* Vide etiam *cap. 1. hujus Dissert.*
(2) Confer. *Sard. Sacram in Dissertat. cap. 2. §. 4. in Judic. Gallur.*
(3) Consule *Uberti Epistolam* apud Gattulam *par. 1. Hist. Abbatiae Casinens. pag.* 353., & apud Mansium *T. II. Supplem. ad Concil. Veneta - Labb. pag.* 425.
(4) *Tom. III. Annal. Camaldulens. in Append. n. 247. col.* 379.

Idem ipſe Balduinus anno circiter 1146. Judicem Arborenſem poena excommunicationis affecit, quemadmodum ex illuſtri S. Bernardi ad Eugenium III. Pontificem Maximum ſcribentis loco erudimur: *quae Sanctae memoriae Balduinus Piſanus Archiepiſcopus fecit in Sardinia de excommunicatione Arvorenſis Judicis, quia non niſi juſte hoc virum bonum feciſſe credimus, veſtra auctoritate ratum, & inconcuſſum manere rogamus* (1). Villanus ab Eugenio ipſo mandatum accepit, ut coram ſe vocato Haymone Epiſcopo Sulcienſi, qui Pontifici Calaritano tunc parebat, litem, quae inter Haymonem ipſum, & Rainaldum Caſinenſem Abbatem erat, dirimeret: ut cauſſam finiret, quam Turritanus Archipresbyter moverat contra Monaſterium S. Mariae de Tergo (2). *Fredolus de Anduſia Abbas Maſſilienſis ab Archiepiſcopo Piſano Primate, ac Legato in Sardinia, & a Conſtantino Antiſtite Calaritano Eccleſiae S. Saturnini ceſſionem obtinuit*, inquit vir eruditiſſimus Dionyſius Sammarthanus (3). Verum cum ceſſio haec facta fuerit anno 1163., vel potius ante plures annos, quo tempore Piſanus Pontifex etſi Primas in Provincia Turritana eſſet, nondum tamen Primas erat in Provincia Calaritana, ubi Eccleſia S. Saturnini ſita erat, eandem ceſſionem fecit Piſanus Antiſtes, non ut Primas, ſed tantum ut Legatus Apoſtolicae Sedis. Sub iiſdem temporibus Alexander III. Villano ſuperius laudato commiſit, ut Bonitum Calaritanum Praeſulem, & Monachos inter ſe litigantes de quibuſdam poſſeſſionibus componeret: Villanus autem contra Bonitum ſententiam tulit, decernens controverſas poſſeſſiones ad Monachos ſpectare (4).

Neque

(1) *Epiſt.* 245. *T. I. opp. col.* 243. *edit. Mabillonii.*
(2) V *Eugenii litteras* apud Gattulam *op. cit. pag.* 155.
(3) *T. I. Galliae Chriſtianae in Hiſt. Abbatum Maſſil. col.* 688. *edit. novae.*
(4) Martenius *T. I. Veter. monument. col.* 653.

Neque dicendum, Pisanos Archiepiscopos haec omnia in Sardinia gessisse ut Legatos Apostolicae Sedis extra ordinem, eo prorsus modo, quo plura hujuscemodi in tota Insula non semel gesserunt Calaritani, Turritanique Praesules (1); non vero ut Legatos ordinarios, seu quemadmodum ajunt, natos. Etenim certa, exploratаque monumenta capite hujus Dissertationis secundo indicata luculenter ostendunt, Pisanos Antistites in totius Sardiniae Legatos ab Urbano II. electos fuisse, eamque dignitatem multos alios Summos Pontifices ipsis confirmasse: Ubertus semet appellat Legatum *in perpetuum:* tandem vix, ac ne vix quidem verisimile est, quod Pisani Praesules nisi in memorata Insula jus Legati ordinarium habuissent, toties delecti essent ad ejusmodi munus obeundum, cum in Sardinia Archiepiscopi, & Episcopi plures extarent, quibus Romani Pontifices Legati munus opportunius committere poterant.

Itaque manifestissime apparet, Praesules Pisanos jus ordinarium Legati Apostolicae Sedis in tota Sardinia exercuisse, id quod reipsa neque Machinus Calaritanus Antistes praefidenter negat; qui tamen aliter sentit de jure Primatis; edito namque Calari anno 1639. libro secundo *defensionis Primatus Archiepiscopi Calaritani* omni studio oppugnare conatur (2) jurisdictionem, quam Pisani Antistites tanquam Primates jam inde ab antiquis temporibus habere in tota Sardinia merito contendunt; ac primo

(1) Consule *Epist.* 329. *Innocentii III.* apud Balutium *T. I. pag.* 183.; *Epistolam Richi Archiep. Calarit.* apud Gattulam *T. I. par.* 1. *op. cit. pag.* 427., & apud Mansium *T. II. op. indic. col.* 789.; *Epistol. Alexandri IV.* apud Raynaldum *ad ann.* 1255. *num.* 17. Vide etiam *Epistol.* 102. 103. *Innocentii III. lib.* 14. apud Balutium *T. II. pag.* 554., apud Raynaldum *ad an.* 1203. *n.* 68., *ad ann.* 1204. *n.* 78., apud Gonzalez *lib.* 2. *Decretal. tit.* 24. de jurejurando *cap.* 22. Lege item *Epistol. Innocentii IV.* apud Raynaldum *ad ann.* 1252. *n.* 33., & *Acta visitationis Friderici Archiep. Pisani*, quae nos exhibebimus.

(2) *Cap.* 36. *pag.* 152. & *seq.*

mo quidem ait Machinus laudatus, quod *indulta Apostolica* (1) *tam Primatus concessi Pisano super Provinciam Turritanam, quam etiam super Provincias Calaritanensem & Arborensem . . . . . non sunt in forma probanti*. II. inquit, quod etsi Pontificiae litterae, quibus Pisanus Calaritanae, & Arborensis Provinciae Primas factus est, essent *in forma probanti*, nihilominus forent irritae, & nullae; Alexander enim III. ut ex illius testimonio paullo ante recitato erudimur, eam tantummodo Pisani jurisdictionem in memoratis duabus Provinciis ratam esse jubet, quam alii Romani Pontifices concesserant; utitur namque verbis *datum concedimus*. Porro cum nihil antea jurisdictionis Pisano fuerit, nihil etiam postea fuisse consequens est. Quod si quis dicat privilegium primò ab Alexandro concessum etsi nullum, ratum tamen evasisse ob aliorum Summorum Pontificum litteras, quibus idem privilegium confirmatum fuit; respondet Machinus, quod *ut sint valida indulta confirmatoria, debet esse prima concessio valida . . . . . & ita in indultis confirmatoriis debet esse inserta prima concessio. . . . . imo requirebatur, quod fuissent obtenta cum citatione partis, & cognitione causae. Illa autem indulta Pisani confirmatoria fuerunt sine insertione primae concessionis, sine citatione partis, & cognitione causae, ac sine mentione litis, ac defectuum primae concessionis*. III. Privilegia a Pisano Praesule obtenta nulla sunt utpote *subreptitia, & obreptitia duplici ex causa. Prima quia in nullo illorum fit mentio praejudicii Regni Sardiniae, quod illi inferebatur; erat enim grave incomodum Sardiniae Regno habere Primatem extra illud residentem, ad quem recurrendum labores, pericula, expensae, longae, & periculosissimae navigationis damna essent subeunda . . . . Secunda quia in nullo indultorum fit expressa mentio, nec revocatio antiqui juris a Calaritano acquisiti* cir-

(1) Quae indicavimus *cap. 2. hujus Dissertat.*

circa Primatum Sardiniae ab initio nascentis Ecclesiae. IV. Eadem privilegia sunt *invalida*, *quia non fuerunt usu recepta*. V. Pisani quod pluries Ecclesiae Romanae inimicis adhaeserint non semel excommunicati, & omnibus juribus, ac privilegiis Ecclesiasticis privati fuerunt; igitur etsi eadem jura, ac privilegia ipsis concessa legitima olim fuissent, jam inde a pluribus saeculis abolita sunt.

Verum quis levissima non videat haec Machini argumenta? Innocentius II. in suis litteris aperte ait, se Pisanum Pontificem Turritanae Provinciae Primatem constituisse gravissima ratione permotum, ut nimirum Civibus Pisanis de Ecclesia Romana optime meritis rem gratam faceret; & Alexander III. inquit, quod *ad majorem honoris cumulum Pisanae Civitatis*, *ut Pisana Ecclesia cum universo ejusdem populo Civitatis in fidelitate & devotione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae jugiter perseveret*, *& in ipsa quotidie augmentetur*, eandem dignitatem illi concedit *super Calaritanam*, *& Arborensem Provincias*. Itaque si privilegia haec *in forma probanti* non sunt, quaenam, per Deum immortalem, ejusmodi erunt? Lubenti animo patior, quod verba, quibus Alexander utitur in concedenda Ubaldo Antistiti Pisano dignitate Primatus in Provinciis etiam Calaritana, & Arborensi, prima facie ambigua videantur: *Tibi ergo*, inquit Alexander Ubaldum alloquens, *tuisque successoribus Primatum super Calaritanam*, *& Arborensem Provincias datum concedimus*, *& auctoritate Sedis Apostolicae confirmamus*: Veruntamen perperam ex iis infert Machinus, nihil dari ab Alexandro, nisi quod prius concesserant Romani Pontifices illius decessores; ideoque nihil Pisano datum fuisse, cum reipsa nihil hujusmodi antea illi concessissent. Ac Vivianus (1) quidem, ut ostendat, Ubaldum novum privilegium a memorato Summo Pontifice obtinuisse, ita ratiocinatur: *in secundo in-*

(1) *In praxi Jurispatronatus par. 1. lib. 5. cap. 1.*

indulto superius allegato anno 1176. *dicit* (Alexander) *quod vult Ecclesiam Pisanam ampliori munere ornare, & sic aliquid de novo concedere, videlicet Primatum super Calarit., & Arborens. Provincias eidem concedendo, prout ibi explicat; & illud verbum* datum *ita est intelligendum, idest Primatum datum* [*idest quod antea Pisano Archiepiscopo concessum erat super Turritanam Provinciam*] *super Callaritan. & Arborens. Provincias concedimus; & quod sit nova gratia, & concessio patet, quia in dicto indulto post dictam novam concessionem addit*; super Turritanam verò Provinciam Primatus dignitatem &c. *Et illud verbum* datum *debet intelligi intransitive, non transitive, idest datum, scilicet quod ex hoc nostro indulto damus, ut cum dicimus personam Petri, intelligimus intransitive, idest, quae est Petrus.* Sed ut manifestius appareat, Alexandrum litteris anno 1176. ad Ubaldum missis novum privilegium Pisano elargitum esse, illudque ratum, & firmum fuisse, graviora, magisque perspicua argumenta afferenda sunt. Sit primum: Hujusmodi privilegium Pisanis Archiepiscopis confirmarunt Lucius, Urbanus, Coelestinus, & Innocentius III, ut capite hujus Dissertationis secundo notavimus: ergo memorati Summi Pontifices idem privilegium legitimum existimarunt, cùm verisimile non sit, quod illud confirmassent, si nullum credidissent.

At enim, inquiet Machinus (1), Calaritanus Antistes postquam etiam laudati Summi Pontifices citatum privilegium ratum fecerunt, juribus Primatis, quae in Sardinia sibi arrogabat Pisanus, repugnavit; nam ille saeculo decimotertio ineunte litem cum hoc de iisdem habuit, teste Roffredo Butiensi Beneventano (2), qui Pisani caussam egit: ex quo sequitur, Calaritanum vel iis temporibus putasse, privilegia, quae venditabat Pisanus, nulla

 esse,

(1) *Cap. cit. §. 1. pag.* 160.
(2) Apud Barbosam *Tract. de Officio, & Potest. Episcopi par.* 1. *tit.* 3. *cap.* 7. *num.* 10.

esse, ideoque dignitatem Primatis ad seipsum spectare, quae certe non *fuit illi sublata per dictam litem*, *immo per litem fuit illi confirmata*. Initio saeculi decimitertii nonnullos Sardiniae Antistites subducere se a Pisani Pontificis jurisdictione curasse, alibi (1) narravi; sed non ita certum est, in iis fuisse Calaritanum, ideoque cum eo Pisanum judicio contendisse, ut asserit Machinus. Fac nihilominus, Machinum vera affirmare, non video sane, quid commodi capere ex hoc ille queat; tametsi enim caussae exitus ex Roffredo citato, quem legere nunquam potui, mihi non constat, ex aliis tamen veteribus monimentis aperte colligitur, Calaritanum litem perdidisse; nam Honorius III. anno 1218. litteris datis *Archiepiscopis*, *Episcopis*, *&* *Nobilibus viris Turritano*, *&* *Gallurensi Judicibus*, *aliisque Nobilibus per Sardiniam constitutis*, iis praecepit, ut Pisano Legato, & Primati *debitum honorem*, *&* *reverentiam* impenderent, *ejusque salubribus monitis* curarent *debite*, *&* *humiliter obedire*; Gregorius IX. anno 1235, & Urbanus IV. anno circiter 1262. antiqua privilegia Legati, & Primatis Sardiniae Antistiti Pisano confirmarunt. (2).

Argumentum secundum: Praesulem Pisanum Sardiniae Primatem esse fassus est Albertus Turritanus Archiepiscopus in suis litteris anni 1176, in quibus ait, se donasse Ecclesiam S. Georgii *de Oleastreto Hospitali S. Leonardi de Stagno Pisano* „ precibus Domini Willelmi (*Uberti*) „ Pisani Archiepiscopi Sardiniae Primatis, & Apostolicae „ Sedis Legati. „ Nec audiendus est Machinus (3), qui ut hujus gravissimae rationis vim elevet, primo utitur solita illa responsione nullius quidem roboris, nimirum citatas donationis litteras non esse *in forma probanti*; deinde ait, se dubitare, utrum illae sincerae sint, *cum in iis defi-*

(1) *Cap. 2. huius Dissertat.*
(2) Vide *cap. Dissertat. citatum*.
(3) *Ibidem*.

deficiat dies, & mensis, qui est defectus substantialis, & ex die, & mense apparet, ut creditur, donationem esse inverisimilem, ex eo quod illo die non erat Villanus Archiepiscopus Pisanus, sed Ubaldus, qui tempore indulti Alexandri III. ejusdem 1176. *tertio idus Aprilis erat Pisanus Archiepiscopus*: quot enim antiquae tabulae a Muratorio, Martenio, Mabillonio, Lamio, aliisque propemodum infinitis praestantissimis viris editae sunt sine diei, mensis, & aliquando etiam anni caracteribus, de quarum tamen sinceritate nunquam apud eruditos est dubitatum? Quamobrem non video, cur ob defectum diei, & mensis caracteris inter apocrypha recensendum sit Alberti instrumentum, quod Alexander IV. litteris suis, quibus anno 1259. memoratam donationem confirmavit, inseruit, & Waddingus (1) omnium primus ex Tabulario Vaticano publicavit. Ann. 1176. Villanum jam decessisse jure scribit Machinus; at in laudato instrumento Pisanus Archiepiscopus vocatur Willelmus errore, uti arbitror, veteris amanuensis, qui cum reperiisset in instrumenti autographo litteram U, quae Ubaldum indicabat, rescripsit Willelmum; cumque in Pisanorum Antistitum fastis hujusmodi nomen inauditum sit, quidam Auctores & ii quidem magni, atque nobiles restituerunt Villanum (2). Unum tamen est, ne quid dissimulem, quod prima fronte sententiam nostram oppugnare videtur, ac est hujusmodi: Albertus memoratus in altero instrumento anno 1164. confecto, de cujus sinceritate ambigi non potest, semet appellat Sardiniae Primatem, & Legatum; in illius enim calce legitur: *hoc autem actum est consilio, & auctoritate Domini Alberti Turritani Archiepiscopi Sardiniae Primatis, ac Sedis Apostolicae Legati:*

 quis

(1) *T. IV. Annal. Ord. Minor. in Regesto Pontif. num. 60.*

(2) Vid. Sbaraleam *T. II. Bull. Francis. in not. ad Bullam* 478. *Alexandri*. In Tabulario etiam Monasterii S. Laurentii huius Civitatis exstat Alberti instrumentum, ac in eo Pisanus Pontifex non *Villanus*, sed *Villel.* appellatur.

quis nam vero sibi persuadebit, Turritanum Praesulem, quem titulum anno 1164. sibimetipsi tribuerat, post duodecim annos Pisano Pontifici tribuere voluisse? Igitur memoratae litterae anni 1176, in quibus Albertus Turritanus vocat Pisanum Sardiniae Primatem, & Legatum, apocryphae sunt, aut saltem dubiae. Verum tametsi fatear, instrumentum anni 1164. confictum non esse, illud tamen depravatum contendo. Etenim Annalium Camaldulensium Auctores eruditissimi (1) ajunt, se citatum instrumentum edidisse ex apographo e Sardinia anno 1626. misso; quo tempore cum Turritani Archiepiscopi jam coepissent Sardiniae Primatis, & Legati titulum sibi usurpare, caecus est, qui non videt, verba illa *Sardiniae Primatis, ac Apostolicae Sedis Legati* ab aliquo impostore adjecta fuisse.

Sed ut eo nostra revertatur oratio, unde paulisper digressa est, Albertus, aliique viri nobiles *de Banguaria de Corsica*, quorum verba alibi (2) recitavimus, anno 1248. testati sunt, Pisanum Pontificem dignitate Primatis, & Legati Sardiniae fulsisse: idipsum testantur plures Historici nonmodo recentes, ut Papebrochius (3), Ughellius (4), Raynaldus (5), Thomassinus (6), & Gattula (7), sed etiam veteres; nam Sicardus Cremonensis Episcopus ait: *Innocentius II. reversus Pisas inter Pisanos, & Januenses pacem composuit, & recolens beneficia sibi a Pisanis, & Januensibus collata Pisanae concessit Ecclesiae Primatum Sardiniae* (8); & Cardinalis Aragonius (9) inquit: *de consueta igitur Apostolicae Sedis liberali-*

(1) *T. IV. in Append. n. 12. col. 22.*
(2) *Cap. 2. huius Dissertat. in fine.*
(3) *Ad diem 20. Maii in Actis Luciferi Pontificis Calaritani cap. 11. pag. 219. edit. Ant.*
(4) *Initio Historiae Eccles. Pisanae.*
(5) *Ad annum 1198. num. 24.*
(6) *De Beneficiis par. 1. lib. 1. cap. 38. n. 5.*
(7) *Par. 2. Access. ad Hist. Casinens. pag. 495.*
(8) *In Chronico T. VII. S. R. Ital. col. 596.*
(9) *Vita Innocentii II. T. III. S. R. Ital. pag. 435.*

ralitate Primatum Ecclesiae Pisanae concessit (Innocentius) *super Sardiniae Insulam*; eodem modo loquuntur Pandulphus Pisanus (1), Bernardus Guidonis (2), Gualvaneus Flamma (3), Joannes Iperius (4), & Anonymus Pisanus (5); ex quibus nonnulli tametsi in eo erraverint, quod crediderint, Innocentium II. in totius Sardiniae Primatem Pisanum Antistitem elegisse, inde tamen inferri jure non potest, quod hallucinati etiam sint in adjudicanda eidem hac dignitate, cùm eorum plerique iis temporibus vixerint, quibus Pontifices Pisani in Sardiniam non raro petebant; & ex iis quidam, imprimisque Pandulphus, id fortassis propriis oculis viderit. Historicis consentiunt Juris Pontificii Doctores, nimirum Turrecremata (6), Auctor additionum marginalium ad Glossam (7); Barbosa (8), Gonzalez (9), Jacobatius (10), aliique sexcenti a Viviano (11) laudati.

Tertium argumentum: Alexander Primatis honorem in Sardinia Pisano concedens, aliique Summi Pontifices eundem ipsi confirmantes, facultatem illi dederunt, ut excessus omnium Episcoporum laudatae Insulae corrigere pos-

(1) *Vita Innocentii T. cit. pag.* 433.
(2) *Ibidem.*
(3) *Manipulo Florum T. XI. op. cit. cap.* 167. *col.* 631.
(4) *In Chronico S. Bertini* apud Martene, & Durand. *T. III. Thes. Anecdot. col.* 636.
(5) *Hist. Pis.* apud Muratorium *T. XV. S. R. Ital. col.* 957.
(6) *In cap.* Provin. *vers.* Sed insurgit quaestio &c. *distinct.* 99.
(7) *In cap.* Diffinimus *distin.* 22.
(8) *Loco paullo ante citato*, ubi pluribus ostendit, Pisanum Archiepiscopum Sardiniae, & Corsicae Primatem esse. In alio opere, quod postea composuit, & *Collectanea Doctorum in libros Decretalium* inscripsit *lib.* 2. de Praescriptionibus *tit.* 26. *cap.* Si diligenti 17. quid argumentis pro Pisano adductis respondeat Calaritanus in medium affert, sed priorem sententiam non retractare ex ejus verbis sub hujus capitis finem exhibendis patebit.
(9) *Loco mox citando.*
(10) *De Concil. part.* 1. *art.* 1. *n.* 254. „Sunt etiam, *inquit*, Primates in Ita„lia, Archiepiscopus Pisanus &c. „
(11) *Loco superius indic.*

posset, eosque in doctrina Apostolica stabilire. Itaque si demonstravero, Pisanum haec in Sardinia gessisse, dubitari non poterit, quin Alexandri privilegium ratum, & firmum fuerit. Porro explorata monumenta ostendunt, Ubaldum Archiepiscopum Pisanum in Sardos Praesules animadvertisse; cùm enim eorum quidam errassent, illorumque scelus Ubaldus ipse reprehesentasset Urbano III, hic Archiepiscopo nostro ita respondit: *Cum quidam Episcopi Sardi, sicut nobis est ex tua parte propositum, quibusdam pecuniam, sicut juramento tenebantur adstricti, non solverint, & quidam Episcopus ipsius Terrae in die Dedicationis Ecclesiae Ordines, cum dies ille ad hoc institutus non fuerit, celebraverit: quidam etiam juraverint aliquando, quod Fratri, vel Sorori, Patri, vel Matri loqui non debeant, aut quodlibet ejus subsidium ministrare; a nobis quid de hujusmodi faciendum sit, tua fraternitas requisivit. Nos itaque denegare nolentes, quod a nobis charitate suggerente postulare videris, D. T. praesentibus litteris respondemus, quod in Episcopos illos, qui suum transgressi sunt juramentum, est tanto gravius vindicandum, quanto majori praeeminent dignitate, & eorum exemplo facilius alii potuerunt ad similia provocari: Episcopum autem, qui die, quo non debuit, celebravit Ordines, canonica disciplina corrigere, & Ordinatos a susceptis Ordinibus debes reddere expertes, donec apud nos, vel successores nostros restitutionis gratiam consequantur: illi verò, qui jurant non loqui Patri, vel Matri, vel Sorori, vel Fratri, aut eis humanitatis subsidium exhibere, absolvendi sunt ab illius observantia juramenti, cùm illicitum sit, & omni contrarium rationi; injuncta tamen eis de hoc, quod male juraverint, poenitentia competenti* (1). Duo autem hoc in loco notanda sunt, ut

(1) Urbani litterae sunt *lib.* 1. *Decretal. Tit.* 11. de Tempor. Ordinat. *cap.* 8. Scriptas fuisse anno 1186. asserunt Pithaei Fratres *in Observat. Chronologicis ad easdem litteras lib. cit. pag.* 37.; *lib.* 2. *Tit.* 24. de Juramento *cap.* 12. *pag.* 117. *edit. Taurinens.* 1746.

ut clarius percipiatur id verum esse; quod paullo ante affirmavimus; alterum est, Ubaldum ad Summum Pontificem scripsisse non quidem, ut potestatem acciperet Sardos Episcopos multis criminibus reos puniendi; nisi enim agnovisset Archiepiscopus ad semetipsum spectare illorum caussam, patrata ab eis delicta Romano Pontifici non significasset; sed ut poenae genus Praesulibus sontibus infligendum Urbanus indicaret; hinc Gonzalez recte ait: *cum ad ipsum Pisanum Praesulem ut Primatem spectasset jurisdictio in Episcopos Sardiniae, ideo super eorum excessibus consuluit Romanum Pontificem* (1): alterum est, Pisanum non castigasse memoratos Episcopos ut Metropolitanum, siquidem Metropolitanus erat duorum tantum Episcoporum in Sardinia, Civitatensis nimirum, & Galtellinensis; Praesules autem delinquentes, quorum caussam judicare Ubaldus debebat, non duo, sed multo plures erant, ut ex Pontificiis litteris manifestum est. Ad haec anno 1199. circiter idem ipse Ubaldus sententiam tulit adversus Archiepiscopum Arborensem contendentem cum suis Canonicis, qui ut Innocentius III. refert (2), nullum alium in ea caussa Judicem voluerunt praeter Pisanum Pontificem: *sed in praesentia dicti Archiepiscopi Pisani partibus constitutis cum Canonici Arborenses ibidem vellent suum Archiepiscopum convenire, ne provocationis beneficio responderet eis se tuentem, renunciantes appellationi ad Sedem Apostolicam, quam fecerant, quod nollent habere Pastorem nisi Pisanum Archiepiscopum responderunt*: & licet Innocentius ipse Pisani judicium resciderit, id certe non egit Pontifex, quod ille sententiam ferendi non habuerit potestatem, sed quod *post appellationem . . . interpositam, & iter arreptum ad Sedem Apostolicam veniendi, lite non contestata, praesertim in criminali, contra eum* (Arborensem Prae-

(1) *In notis ad cit. Urbani litteras.*
(2) *Epist.* 329. *lib.* 1. apud Balutium *T. I. pag.* 184.

Praesulem *testes recepit*. Praeterea Fridericus Vicecomes Pisanus Antistes anno 1263, non vero biennio post, uti scribit Vivianus (1), totam Sardiniam visitavit, multa Ecclesiastica decreta constituit, sacras functiones gessit, multosque alios jurisdictionis actus exercuit (2). Fallitur autem Machinus (3), dum ait, Sardiniam visitatam a Friderico fuisse *non tanquam a Primate, sed tanquam a Delegato Sedis Apostolicae*; nam in Sermone, quem Fridericus coram Clero recitavit, antequam in memoratam Insulam concederet, haec habet: *Cum videretur Communi nostro ut deberemus . . . . tamquam Primas, & Apostolicae Sedis Legatus totam Sardiniam visitare* (4); & in Actis visitationis inquit: *Archiepiscopus vero Stultus Turritanus nomine Frater Prosper Monachus Cisterciensis natione Lombardus de Regio tunc erat Romae, sive in Curia, quia Legatus fuerat Sardineae, & Corsicae invidens nobis, & Pisano Communi impetravit litteras tacita veritate ad nos, quod non uteremur Legatione; & ad Praelatos Sardineae, quod non obedirent, cum non fuerit intentionis Domini Papae revocare Legationem ipsius . . . . Praedictae tamen litterae non pervenerunt ad nos in Sardinea, licet pervenerint ad Praelatos; Nuntii enim fuerunt capti in Castello de Castro a Castellanis, & fuerunt missi ad preces Judicis, & Archiepiscopi Arboreae. Nos vero diximus, quod si non tanquam Legatus, esto quod litterae essent verae, tamen tanquam Primas, & Patriarcha totius Sardineae debebamus admitti, quod factum est.*

Quod opponit tertio loco Machinus nihil moror, cum vanum, futileque sit. Et re quidem vera, nonne idem fere incommodum, eademque pericula, quae omnes Episcopi Sardi Pisas venientes experti fuissent, experie-

ban-

(1) *Loco citato*.
(2) Confer *Acta Visitationis, quae exhibeo in Friderico*.
(3) *Opere cit. pag.* 161.
(4) Vid. *excerpta ex Sermonis 93. in Friderico*.

bantur quoque Civitatensis, & Galtellinensis Antistites ad hanc ipsam Civitatem accedentes; & Corsicani Praesules Calarim petentes? & nihilominus Machinus Pisanum Archiepiscopum ceu Metropolitanum Ecclesiarum Civitatensis, & Galtellinensis merito agnoscit; ac Pontifices Calaritanos Primates Corsicae fuisse contendit. Quid quod si ratio Machini alicujus esset momenti, probaret etiam subreptitia fuisse privilegia, quibus quatuor majoribus Patriarchiis jam inde ab antiquis temporibus plures Episcopatus a Sedibus Patriarchalibus longe positos: Summi Pontifices subiectos fecerunt? Itaque nec subreptitia, nec obreptitia Pisanorum Antistitum privilegia dici debent ob priorem rationem, quam Calaritani Primatus defensor in medium adducit: multò verò minus talia dicenda sunt ob rationem alteram. Etenim statim ac Pisanus in Sardiniae Primatem electus est justissima caussa, dignitate Primatis orbatus intelligebatur Antistes Calaritanus, qui eam nullo edito diplomate ostendere poterat, nullaque illius adhibebat insignia, ut cum Cantelio superius observavimus. Privilegia concessa Pisano usu recepta fuisse perspicuè, distinctèque probant monumenta paullo ante allata; unde sponte sua ruit quartum Machini argumentum. Explorata res est, Pisarum Urbem excommunicationis poena affectam, & Metropolitana dignitate, ceterisque honoribus Ecclesiasticis privatam fuisse, non quidem ab Innocentio IV., uti scribit Machinus (1), sed a Clemente IV., quod partibus faverit Corradini (2). Verùm in dubium revocari nequit, quin Gregorius X. hanc Urbem a Censura absolverit, eique dignitates omnes, & honores Ecclesiasticos, quibus antea potiebatur, anno 1273. restituerit (3).

(1) *Cap.* 57. *op. cit. pag.* 163.
(2) Vid. hanc historiam in *Friderico Vicecomite*.
(3) Confer *Cap.* 2. *hujus Dissert.*, *&* *laud. Historiam*.

Non me latet, Machinum (1) respondere, quod *non constat de tali restitutione in forma probanti; & quod post illam fuit Pisanus iterum privatus*; initio scilicet saeculi decimiquarti, & decimisexti, ut ipse Machinus antea affirmaverat: primò quidem, quod Civitas Pisana a partibus steterit Ludovici Bavari Imperatoris, & Nicolai V. Anti-papae contra Joannem XXII. verum, legitimumque Pontificem; secundò quod Conciliabulum habuerit adversus Julium II. Sed haec Machini responsio nullo negotio refellitur: principio enim quis unquam sanae mentis affirmabit, non constare, Gregorium X. antiquas dignitates, & honores Archiepiscopo Pisano restituisse *in forma probanti*, cùm Gregorius ipse clarè, & apertè in suis litteris decernat, eundem Archiepiscopum imposterum uti posse omnibus privilegiis, & juribus, quibus utebatur, antequam Archiepiscopali honore privaretur (2)? Quod Antistes Pisanus propriam dignitatem amiserit initio etiam saeculi decimiquarti, & decimisexti tam falsum est, quam quod maximè. Pisas accedentibus Ludovico Imperatore, & Nicolao Pseudo-pontifice, etsi Cives plerique omnes laudatos Ecclesiae hostes cum honore exceperint, Simon tamen Saltarellius Archiepiscopus, ne Schismaticis assentiri cogeretur, Florentiam aufugit; unde postea Pisas rediens mandante Joanne XXII. Nicolaum Anti-papam, qui se ad bonam frugem receperat, a Censuris Ecclesiasticis absolvit (3): ex quo colligitur, Pisanam Ecclesiam privilegia sua ea occasione sarta tecta servasse, tametsi Civitas poenis Ecclesiasticis castigata fuerit (4). Anno 1511. Pisis celebratum fuisse Concilium adversus Julium II. Summum Pontificem auctoribus Maximiliano Imperatore, & Ludo-

(1) *Op. cit. pag.* 165.
(2) Leguntur *Literae Gregorii in Appendice*.
(3) Consule *Litteras Joannis, quas indicabimus in Simone Saltarellio*.
(4) Adeundi Villanius *Hist. Fiorentine lib.* 10. *cap.* 144. *col.* 690. *Tom. XIII. S. R. Ital.*, & Auctor *Chronici Pisani col.* 1000. *Tom. XV. S. R. Ital.*

Ludovico Galliae Rege, certa res eſt. Sed Piſani Epiſcopis ſchiſmaticis non conſenſerunt; immo cùm illorum mens Piſano *populo innotuiſſet, arreptis, quae furor ſubminiſtrabat, armis, omnes eos perfugere coegit, qui ea de causa illic convenerant,* inquit Ughellius (1), auctoritate, uti reor, innixus memorati Pontificis, qui de Antiſtitibus laudatis loquens, ita ſcribit: *nam modò Piſis, unde cum ignominia ejecti ſunt* (2). Longe minus veriſimile eſt Praeſulibus ſchiſma in Eccleſia efficere tentantibus, eorum cognita fraude, conſenſiſſe Piſanum Archiepiſcopum Caeſarem Riarium, ut qui magnis propinquitatis vinculis Julio II. conjunctus erat. Itaque vehementer errat Machinus ſcribens, quod Piſani Conciliabulum *foverunt, & ſua protectione, & patrocinio tutaverunt*; ideoque falſum eſt, quod ille ſubjungit, nimirum: Piſani ipſi *iterum privati fuerunt ipſo jure omnibus privilegiis, feudis, & quacunque dignitate Eccleſiaſtica.*

Ex monumentis hactenus productis manifeſtiſſimè apparet, quoad Reſpublica Piſana Sardiniae Inſulam gubernavit, Piſanum Archiepiſcopum illius Primatem, & Legatum fuiſſe. Videndum nunc eſt, utrum eadem dignitate ornatus etiam fuerit tum poſt initium ſaeculi decimiquarti, quo laudata Inſula in pacificam poſſeſſionem Jacobi Aragoniae Regis venit, tum ſequioribus temporibus; ut aperte dignoſci poſſit, an Antiſtes Piſanus nunc etiam Sardiniae Primas, & Legatus merito appellari queat. Tametſi libenter patiar, Piſanis e Sardinia expulſis, horum Archiepiſcopo nequaquam licuiſſe, Aragoniae Regibus vetantibus, eandem, quam antea, ampliſſimam juriſdictionem in Inſula exercere, illamque paullatim ita detractam ipſi fuiſſe, ut nunc tandem *quidquid erat juris, & poteſtatis obli-*

(1) *T. III. num.* 71. *col.* 481. Conſule etiam Leandrum Alberti *Deſcrizione di tutta l' Italia fol.* 29. *edit. Ven.* 1561., & Franciſcum Guicciardinum *Iſtoria d' Italia lib.* 10. *pag.* 478. *edit. Venet.* 1567.

(2) *Bulla convocationis Concilii Lateranenſ. V. Tom. XIX. Hiſt. Concil. col.* 576.

obliteratum prorsus sit, superstite sola nominis pompa, ut inquit Thomassinus (1); nunquam tamen concedam Primatis, & Legati honore legitimè privatum fuisse. Etenim Archiepiscopus Pisanus anno 1400. Presbyterum, nescio quem elegit *in Parochum* Ecclesiae S. Mariae in Dioecesi Turritana positae (2): id autem fecit jure Primatis, cum alio titulo facere nequiret. Ad haec, Bonifacius IX. anno citato Calendis Februarii litteras (3), misit ad Pisanum, Arborensem, ac Turritanum Pontifices, quibus eos bonorum ad Monachos Casinenses in Sardinia spectantium patronos constituit: porrò Bonifacius non ob aliam caussam hujusmodi munus Praesuli Pisano commisit, nisi quia Primas, & Legatus illius Insulae erat, ut rectè animadvertit eruditissimus Gattula (4). Praeterea in omnibus antiquis Diplomatibus, aliisque publicis Actis, quorum permulta Pisis (5) asservantur, Pisani Archiepiscopi seipsos appellant Sardiniae Primates, & Legatos; quem titulum etiam Paris de Grassis Bononiensis (6) sub Julio II., & Leone X. Magister Caeremoniarum, in Pisano Pontifice agnovit.

Ineun-

(1) *De Beneficiis part. 1: lib. 1. cap. 38. n. 5.*

(2) Ex Actis productis in caussa, de qua paullo post agam diligenter.

(3) Apud Gattulam *part. 6. Access. ad Hist. Casinens. pag.* 495.

(4) *Ibidem*.

(5) Cum in secreto, tum in publico Archiepiscopatus Tabulario.

(6) *In Diariis suis ad annum* 1517; ejus verba sunt hæc: *diebus istis Reverendissimus D. Cardinalis Grimanus, qui Patriarchatum Aquilegiensem resignavit in favorem nepotis sui, petiit a me in Consistorio secreto quis locus de jure pertinebat, & conveniebat eidem Patriarchae; respondi prima facie quatuor Patriarchas, de quibus in cap.* antiqua de privil. *loci praeeminentiam habere supra omnes Oratores, & Praelatos Romanae Curiae, sed alios quatuor videlicet* Bituricensem, Aquilegiensem, Venetum, sive Gradensem, & Pisanum *non habere locum aliquem nisi promotionis suae, sicut alii Primates, & Archiepiscopi; quod hoc anno contigit in Bituricensi, qui in Concilio Lateranensi tanquam Patriarcha locum praeeminentiae supra omnes Praelatos, & Oratores Regum, ac Principum habere voluit, & quidem semper instanter tentavit; sed per me de consilio, & assensu Papae, & omnium Cardinalium tunc in Concilio manentium rejectus fuit, sicut supra in vigilia omnium Sanctorum latè notavi; et si in Bituricensi hoc novissimè servatum fuit, non videbam quonam dare possem locum praeeminentiae Aquilegiensi, qui pari passu ambulat* cum Bituricensi, & Veneto, & Pisano; *& sic me excusavi &c.* Hoc Paridis

Ineunte saeculo XV. Antonius Pontifex Calaritanus omnium primus, quantum scimus, nomen Primatis Sardiniae, & Corsicae sibi arrogavit. Id ne Machinus (1) quidem inficiatur, qui tamen dum ait, quod *antiquiora procul dubio instrumenta invenirentur*, ex quibus constaret, alios quoque vetustiores Calaritanos Praesules sese Primates Insularum Sardiniae, & Corsicae vocasse, *nisi accidisset combustio Archivi Calaritani*, vereor, ne Lectoribus suis fucum faciat; nam si immunia a flammis evaserunt tot monumenta ex Tabulario Calaritano deprompta, quibus Machinus ipse usus est in contexendo catalogo (2) Praesulum Calaritanorum, cur ea omnia periisse dicemus, quae ducere nos in cognitionem possent, longe ante saeculum decimumquintum, Calaritanos Pontifices Primatis titulum sibi tribuisse? Calaritanorum exemplum secuti postea sunt Turritanus, & Arborensis Archiepiscopi, quorum uterque (3), referente Machino (4), tempore Paulli V. & nomen, & dignitatem Primatis sibi asserere coeperunt. Verum nihil inde Pisano Pontifici praejudicii infertur; Turritanus enim Antistes litem intendit Calaritano, non quod ille Primatis titulum ambiret, sed ut probaret, Calaritanum ipsum injustè eum sibi arrogasse: *de Turritano* ita legitur *in Pisana Primatiae*, quae MS. servatur (5) in Tabulario secreto Archiepiscopatus, *verba ulterius non facio, quia ipse potius*

ridis testimonium est in secreto Tabulario Archiepiscopi Pisani in Libro, cui titulus: *Allegationes Juris &c.*, quod ex autographo exscribere fecit Paullus Alaleone, ut constat ex illius subscriptione. Florentiae in celebri Bibliotheca Magliabechiana servatur *Diariorum* Paridis de Grassis exemplar MS. in plura volumina *in fol.* tributum; relatumque testimonium legitur *fol.* 235. *Cod.* 53. *Classe* 37.

(1) *Op. cit. cap.* 13. *pag.* 62., *& cap.* 45. *pag.* 200.

(2) Exstat *ad calcem operis cit.*

(3) Archiepiscopus tamen Arborensis Joannes Briselotus initio etiam saeculi decimisexti Sardiniae Primas vocatur in quadam Inscriptione, quam exhibet Cosmas de Villiers *Tom. I. Bibliothecae Carmelitanae col.* 802.

(4) *Cap.* 36. *pag.* 161.

(5) Exstat in libro, cui titulus: *Alleg. Juris divers. de Primatu Eccles. Pisanae*.

tius pro contradicendo Calaritano judicium movit, *quam pro huiusmodi titulo*, *& nomine sibi appropriando*; hinc in primis supplicibus libellis (1), quos Romano Pontifici, Sacraeque Congregationi negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium praepositae exhibuit Alphonsus de Lorca Praesul Turritanus rogabat duntaxat, ut Calaritano prohiberetur laudatum titulum adhibere; in altero S. Rotae Auditori Lancellotto dato Andreas Baccalar Alphonsi successor ingenue fatebatur, quod *nemo Archiepiscoporum Sardiniae fuit adhuc designatus Primas* (2); & anno 1592. idem ipse Alphonsus, anno autem *1606.* Archipresbiter Turritanus vocarunt Primatem Sardiniae Pontificem Pisanum (3): *Arborensis vero Archiepiscopus*, Machino (4) judice, *solum post dictam novam praetensionem Turritani praetendit quoque se esse Primatem*, *fundando se in eo*, *quod non datur maior ratio*, *cur Turritanus*, *& non ipse possit noviter uti titulo Primatis*, *& hanc dignitatem praetendere*: Calaritanus tandem, qui nervos omnes diligentiae, industriaeque suae contendit in probando sibimetipsi, non Pisano dignitatem Primatus Sardiniae, & Corsicae convenire, multa quidem cum vetera, tum recentia monumenta profert. At vetera ostendunt duntaxat, olim reipsa hoc honore decoratum fuisse Calaritanum, quod libenter concedimus; sed jam demonstratum est superius, Innocentium II. & Alexandrum III. eundem honorem justis de causis Pisano Pontifici tribuisse; recentia verò nullius sunt momenti, nec ad rem praesentem faciunt. Ut autem id evidenter pateat, exhibenda ea sunt verbis ipsis Machini „ eundem titulum Primatis Sardiniae, & „ Corsicae detulerunt Calaritano Calixtus III. in suo re„ scripto dato *Romae apud S. Petrum* 15. *Kal. Octobris* „ 1456.

(1) Quos mox indicabo.
(2) Videatur Machinus *cap. cit. & cap.* 34. *pag.* 140.
(3) Consule Barbosam *in Collect. Doctorum in lib.* 2. *Decretal. Tit.* 26. *cap.* 17.
(4) *Cap.* 36. *pag.* 161.

„ 1456, & Alexander VI. 4. *Kalend. Martii* 1469. . . . .
„ Pius V. in quodam Brevi dato *Romae* 3. *Idus Junii anno* 1567, in quo confirmans quandam sententiam datam ab Auditore Camerae Apostolicae, vocat eum Primatem Regnorum Sardiniae, & Corsicae. Idem praestat in alio *dato Romae die* 26. *Septembris ejusdem anni*; & in alio dato Romae 3. *nonas Martii ejusdem anni* in favorem Augustini Sabater tunc Secretarii Curiae Calaritanae; & in alio dato *Romae* 1. *Septembris anni* 1569., in quo declaravit Archiepiscopum Calaritanum Judicem spoliorum Archiepiscoporum, & Episcoporum totius Regni, ubi non solum habentur verba enunciativa Primatus, sed etiam dispositiva, ibi, *tibi tanquam Archiepiscopo Primati dicti Regni*, *& Metropolitano pariter committimus &c.* Et in alio Brevi dato *Romae eodem anno* circa solutionem expensarum factarum in caussa declarationis spoliorum, & illorum applicationis Ecclesiis vacantibus: & in alio directo Archiepiscopo Calaritano dato Romae *die* 24. *Januarii anno* 1572. super caussas spoliorum Archiepiscopi Arborensis ad instantiam Capituli Arborensis, ubi etiam habet verba dispositiva, ibi, *tibi tamquam Sardiniae*, *& Corsicae Primati praecipimus &c.* Et Sixtus V. in quodam Brevi dato Romae 1. *die Novembris* anni 1585. in caussa spoliorum Episcopi Bosanensis ad instantiam cujusdam mulieris Bosanensis cum Capitulo illius Ecclesiae, ubi similiter habet verba dispositiva, ibi, *Fraternitati tuae*, *Frater Archiepiscope*, *cui ut Primati Sardiniae dictorum spoliorum defensio competit*, *praecipimus &c.* . . . . . . Idem constat ex aliis Brevibus Clementis VIII, & Pauli V., quae longum esset referre. Haec autem testimonia Summorum Pontificum probant verum Primatum Calaritani „. Hactenus Machinus (1), qui

(1) *Cap. 9. pag. 52. & seq.*

qui si eadem monumenta diligenter, & animo ab omni affectu vacuo perpendisset, proculdubio vidisset, ex his non apparere, Sardiniae Primatum proprie sumptum Calaritano Antistiti convenire. Etenim laudata monumenta id unum ostendunt, scilicet Calaritanum antiquiorem esse Metropolitanum in tota Sardinia. Patet hoc verò ex prioribus verbis superius recitatis Pii V., qui eum non Primatem, sed Archiepiscopum Primatem Sardiniae, idest antiquitate primum appellat; hinc Pius ipse, & Sixtus V. Calaritanum Praesulem Judicem spoliorum constituunt, non vero eidem committunt officia veris Primatibus propria: tum *ex Decisione S. Rotae Romanae coram R. P. D. Ghislerio in causa Calaritana Primatus; Veneris 27. Aprilis* 1640, ubi Callisti, Pii, & Sixti testimonia pro Antistite Calaritano de sola Metropolitana dignitate explicantur; sic enim ibidem legitur: *Calixtus Tertius vocavit Archiepiscopum Calaritanum. Sanctae memoriae Pius Quintus in Brevi dato Romae 24. Januarii 1562. & in alio Brevi ejusdem 9. Calend. Septembris 1569. Praesulem Calaritanum Archiepiscopum appellavit, prout fecit deinde Sixtus V. de anno 1585. 9. Calendas Novembris in Brevi dato Romae apud S. Petrum.*

Sed inquient fortassis Calaritani Primatus defensores: Pius V. in litteris ad Calaritanum missis anno 1572. die 24. Januarii haec habet: *tibi tanquam Sardiniae, & Corsicae Primati praecipimus &c.* Hoc autem in loco per Primatem non Metropolitanus antiquior, sed verus Primas intelligi debet, siquidem Corsicae Metropolitani sunt Pisanus, & Genuensis Antistites, non Calaritanus. Ego tamen vereor, ne illud *& Corsicae* additamentum sit; nam Pius in litteris scriptis anno 1569. Calendis Septembris vocat Pontificem Calaritanum Archiepiscopum Primatem Sardiniae tantum: quomodo ergo in litteris post triennium datis eundem appellat Primatem *& Corsicae?* Accedit,

dit, quod in *Decisione* citata, & in altera anni 1638, ubi Summorum Pontificum testimonia exhibentur, quibus innixa Sacra Rota definivit pro Calaritano contra Turritanum, memoratum Pii testimonium omittitur; nunquam tamen credam, quod omissum illud fuisset, cùm pro Calaritano gravius, illustriusque sit aliis.

Nihil tamen firmius, validiusque est ad probandum, memoratos Summos Pontifices nunquam aut declarasse, aut credidisse Calaritanum Archiepiscopum verum Sardiniae Primatem esse, historia controversiarum, quas hac de re Calaritanus, Turritanus, Arborensis, & Pisanus Praesules inter se habuerunt. Itaque eam breviter narrare operae pretium puto. Sub anno 1589. Calaritanus Antistes, *sumpta occasione visitandi Inquisitores haereticae pravitatis Insulae Sardiniae, residentes in Civitate Turritana, de mandato generalis Inquisitoris Hispaniarum, & Sardiniae, praetendebat se conferre ad Civitatem Turritanam, & in ea, ac per illius Dioecesim ferre Crucem, & alia insignia, quibus Primates in signum jurisdictionis uti solent, & ob id in tantam incidit cupiditatem, quod non contentus, quod temere usurpare tentaverit titulum, & nomen Primatis, de facto, & temere conjecit in carceribus nonnullos Clericos Turritanos, quia ipsum noluerant appellare Primatem* (1). Quamobrem Turritanus anno citato libellum supplicem dedit Summo Pontifici, in quo eundem rogabat, ut hujusmodi Calaritani ausa reprimeret (2). Sixtus hujus nominis V., qui tunc Pontifex erat, commisit Cardinali Sennonensi Sacrae Congregationi *Episcoporum, & Regularium* Praefecto, ut inquireret, an exposita a Turritano vera essent, nec ne: memoratus verò Cardinalis die 24. Januarii, & die 4. Augusti anni superius laudati scripsit

(1) Videatur *Pisana Primatiae MS.*, quae est in *libro superius citato*, cui titulus *Allegat. Juris &c.*

(2) *Supplex libellus* exstat *in libro nunc citato*.

psit Archiepiscopo Calaritano, *quod informet de juribus suis, & transmittat copias authenticas statim* (1). Quandoquidem Calaritanus Antistes distulit, ac procrastinavit privilegia, quae ipse ostentabat Sacrae Congregationi exhibere, sed clanculum controversum titulum, quem se non habere optime noverat, a Summo Pontifice obtinere curabat (2); Turritanus libellum supplicem dedit memoratae Congregationi, quae mense Septembri exeunte jussit, ut *citetur D. Salvator Ischierdo, Procurator D. Archiepiscopi Calaritani, ad producendum, & deducendum omnia per omne genus probationis super asserta praetentione assertae Primatiae, quam sine Sedis Apostolicae erectione propria auctoritate nititur usurpare; necnon etiam ad substituendum aliquem Procuratorem loco sui, quatenus velit ab Urbe recedere, alias procedetur ad determinationem causae attento, quod sunt multi menses, quod Reverendissimo Archiepiscopo Calaritano intimatae sunt litterae Sacrae Congregationis, & etiam habuit secundas litteras ad idem tendentes ultimo, ut jura sua, si qua haberet, deduceret, ad hodie per totam, vel quamprimum, & antequam recedat ab Urbe* (3). Iisdem verbis Salvator ipse citatus fuit die 16. mensis Octobris (4). Sed cum nihil responderet, die ejusdem mensis 24. Turritanus alium libellum supplicem memoratae Congregationi exhibuit, in quo de inobedientia accusabat Calaritanum, & amplissimos Patres rogabat, ut eidem Calaritano titulum Primatis sibi usurpanti *imponghino perpetuo silentio* (5). In jus denuò vocatus fuit Calaritani Procurator, qui comparens subterfugere quamcumque responsionem

(1) *Litterae Cardinal. Sennonensis sunt in eodem libro.*
(2) Confer *primum libellum supplicem*, quem Turritanus porrexit Sacrae Congregationi *in lib. cit.*
(3) Hae litterae ex Archivo Sac. Congregationis exscriptae anno 1624. leguntur *in lib. indic.*
(4) Confer *litteras citatorias ibidem.*
(5) Extat libellus supplex *in lib. indic.*

nem conatus est (1). Anno 1590. die 9. Januarii Sacra Congregatio decrevit caussam ad Rotam Romanam deferri; at Summus Pontifex id prohibuit, praecepitque *assignari debere terminum competentem Calaritano ad probandum de jure suo, quo elapso interdicatur, nisi probaverit, & Sacra Congregatio mandavit intimari oretenus comparenti pro Archiepiscopo Calaritano* (2).

Exitum hujus litis coram sacra Congregatione habitae incompertum esse scribit Paullus Troncius (3), sed ex quibusdam Actis MSS. liquet, quod Calaritanus tandem respondit, & *in Sacra Congregatione Illustrissimorum DD. Cardinalium super Episcopis fuit resolutum producta per Calaritanum non sufficere pro fundamento suae intentionis, & quod mitteret alia jura, quae habere asserebat infra terminum competentem, quo elapso deffinitive terminaretur causa; & interim fuit ordinatum, quod se abstineret ab usu hujus tituli Primatiae* (4). Memoratae Congregationis decreto vetitum fuisse Calaritano uti titulo Primatis asserit etiam Fara (5); quod ne Machinus (6) quidem inficiatur; tametsi ut ejusdem decreti vim elevet, sequentem adhibet responsionem: *negatur dari tale decretum in forma probanti, & esto daretur, quod negatur, haberet manifestam nullitatem utpote datum sine cognitione causae, citatione partis, & aliis solemnitatibus de jure requisitis*: quam sanè responsionem falsam prorsus esse luculenter ostendunt, quae hactenus narravimus.

Haec cum ita sint, quotus quisque est, qui persuadere sibi possit, Pium, & Sixtum V., aliosque Pontifices Calaritanum appellantes, Machino teste, Archiepiscopum Pri-

(1) Troncius *in Summario causae &c.*
(2) Troncius *ibidem*. Vide etiam decretum Sacrae Congregationis *in lib. cit.*
(3) *Ibidem*.
(4) Videatur *Pisana Primatiae cit.*
(5) Apud Machinum *op. cit. cap.* 45. *pag.* 199.
(6) *Cap. indic. pag.* 201.

matem Regni Sardiniae, aut declarasse, aut credidisse eum verum esse Primatem? Certe, nisi ego vehementer fallor, vix, ac ne vix quidem probabile est, Summum Pontificem Sixtum exhibito sibi a Turritano libello supplici, in quo Calaritanus accusabatur, quod temere Primatis titulum adhiberet, praecipere voluisse Cardinali Sennonensi, ut inquireret, an Calaritanus merito se Primatem Sardiniae diceret, si tum ipse, tum ejus decessor Pius V. Primatis dignitatem in illo agnovissent. Addo, quod nullo pacto dubitari potest, quin a Calaritano exhibitae fuerint Sacrae Congregationi Callisti, Pii, & Sixti litterae, quas venditat Machinus. Itaque cum haec nihilominus definierit monumenta *producta per Calaritanum non sufficere pro fundamento suae intentionis*, ac ulterius decreverit, Calaritanum abstinere se ab adhibendo Primatis titulo, necessario sequitur, memoratos Pontifices nunquam in ea fuisse sententia, ut crederent Calaritanum verum Sardiniae, & Corsicae Primatem.

Sacrae Congregationis mandatis non obtemperavit Calaritanus, sed Primatis titulum usurpare, & perturbationibus afficere Turritanum perstitit; hinc novus Archiepiscopus Andreas Baccalar Calari ortus *ad tollendas hujusmodi molestias, & jactationes facto verbo cum Sanctissimo per agentes ejusdem Archiepiscopi Turritani de anno 1606. vigore commissionis manu Sanctissimi signatae fuit commissa causa jactationis, & molestiae contra Archiepiscopum Calaritanum in Rota Illustrissimo D. Cardinali Lancellotto tunc Rotae Auditori, coram quo factis quibusdam actis, numquam deventum fuit ad conclusionem causae, quia Archiepiscopus Turritanus tunc temporis existens erat patria Calaritanus, & duo ejus ex fratre nepotes, quos valde amabat, erant capitulares Ecclesiae Calaritanae, unus scilicet Decanus, & caput Capituli, & alius Canonicus* (1). Etiam Machinus

(1) *Pisana Primatiae ante cit.*

nus (1) scribit, quod laudatus Antistes Turritanus initio *promovit jus, quod a suo antecessore jam fuerat incboatum*, sed cur postea incoepto destiterit, hanc adducit rationem, scilicet ob acceptas litteras anno *1609.* die 23. Novembris a Philippo III. Hispaniarum Rege, qui Andreae Archiepiscopo, ejusque *Suffraganeis* jubebat, ut revocarent Archipresbyterum Turritanum cognomento Figo, quem Romae constituerant Procuratorem, & a lite de Primatu Sardiniae cessarent, quod factum est; Turritanique hac de re litteras Philippus Romam misit ad Oratorem suum Ducem Taurizani, ut eas Romano Pontifici exhiberet (2).

Calaritanus interea optimam nactus occasionem non omisit omnem solicitudinem, atque operam adhibere, ut ad votum definiretur caussa, quod summopere cordi erat etiam Oratori Regis Hispaniarum, qui libellum supplicem obtulit Romano Pontifici, in quo eum enixe rogabat, ut postquam juxta Calaritani studium sententia lata esset, hanc decreto suo firmaret: *da un Gentiluomo Curiale intesi l' altro giorno, come dall' Ambasciator di Spagna era stato dato a Nostro Signore un memoriale, e caldamente raccomandato, nel quale si conteneva, che decisa che fuße in Rota il dubio dato* coram Lancellotto: an Archiepiscopus Calaritanus sit Primas, & Vexillifer S. Romanae Ecclesiae, *qual credeva, che dovesse risolversi affirmativamente: sua Santità ne facesse confermazione:* ita Roma scribebat anno 1611. die 25. Februarii ad Sallustium Taurusium Archiepiscopum Pisanum Paullus Troncius (3).

Cum ex his litteris idem ipse Taurusius intellexisset, quae Romae agebat Calaritanus, ut Primatus Sardiniae dignitatem Pisano eriperet, & sibi tribueret, ille statim per laudatum Troncium *committi causam jactationis contra* Cala-

(1) *Cap.* 43. *pag.* 103.
(2) *Cap.* 14. *pag.* 65.
(3) Autographum litterarum Troncii est *in lib. antea indic.*

Calaritanum, Turritanumque Pontifices *in Rota obtinuit* coram Domino de Ubaldis (1): deinde Romam concessit (2), ut monumenta, quibus jura sua sarta tecta servaret, colligeret. Cum Taurusii, tum Francisci Boncianii tempore, qui anno 1613. mense Novembri Taurusio ipsi successit, plura litis instrumenta edita sunt, sed neque hujus, neque illius anno 1619. defuncti aetate, caussa tametsi ad varios Judices delata, definita est. Barbosa, qui anno circiter 1621. *Collectanea Doctorum in quinque libros Decretalium* scribebat, ita de controversia Pisanum inter, & Calaritanum loquitur: *Ego verò cum hoc hodie sciam controversiam de hoc Primatu inter Pisanum, & Calaritanum Sacrae Rotae commissam esse, & utrobique agitatam, ejusdem Rotae judicio determinandam relinquo, quam cum fel. recordat. Paulus V. multis annis pendere intellexisset, agnoscens ex illa odia, seditiones, & jurgia inter partes ut plurimum oriri, cupiens eam debito fine terminare maturo judicio Reverendissimo D. meo Marco Aurelio Maraldo ejus Datario dignissimo commisit, ut partibus auditis referret ad effectum extinguendi litem; qui auditis saepe in contradictorio, & seorsum partibus, Pisani instantissimè petierunt causam remitti ad Rotam ea causa, quod novas scripturas compulsare vellent, & sic causa remissa litteras compulsoriales obtinuerunt 25. Septembris 1619. Postea per Pisanos nullis compulsatis scripturis idem D. Paulus V. pro faciliori expeditione de novo causam commisit Illustrissimis DD. Cardinalibus Millino, Verallo, & Cobellutio, qui auditis partibus, eorumque informationibus in scriptis receptis referrent postea omnia, quae conducere viderentur ad praefatae litis extinctionem, sed eius morte, quae illico accidit*

(1) *Pisana Primatiae laud.*

(2) Confer Troncium *Annali Pisani ad an.* 1124. *pag.* 184. „ l'anno 1611. „ ero in Roma con Mon. g. Arcivescovo Tarugi, & insieme voltavamo „ quei Registri (*Honorii III.*) per causa della Primazia della Chiesa Pi- „ sana.

cidit, omnia in suspenso remanserunt, & in eodem statu hodie reperiuntur, prout mihi nuntiatum fuit a quodam viro integrae fidei, & opinionis (1). Julianum Mediceum, qui anno 1620. in locum Francisci suffectus est, litem jam inchoatam persequi in animo habuisse scriptum reliquit Paullus Troncius (2) ejus Vicarius Generalis; sed utrum cogitata executioni ille mandaverit, nec Troncius ipse indicat, nec ullum est, quantum scio, monumentum in Tabulario Archiepiscopatus, ex quo id appareat. Servatur tamen in eo *Processus compulsorialis vigore litterarum Sacrae Rotae fabricatus pro Illustrissimo, ac Reverendissimo Archiepiscopo Pisano contra Illustrissimos, ac Reverendissimos Archiepiscopos Calaritanum, & Turritanum* coram D. Laurentio Capponio J. U. D. Metropolitanae Ecclesiae Florentinae Praeposito, Protonotario Apostolico, & Judice Compulsore, ex quo *processu* fit manifestum, Scipionem de Pannochieschis ex Comitibus Ilcii Pisanum Pontificem anno 1639. sopitam controversiam suscitare optasse; siquidem curavit, ut diplomata plurium Summorum Pontificum, privilegia Pisano concessa complectentia, ex Archivo Florentino *Reformationum* exscriberentur, & cum Autographis a publicis Notariis conferrentur. An acta aliqua confecta post laudatum annum sint, mihi non constat; illud scio, neque Scipionis tempore caussam decisam fuisse, ideoque res Pisani Archiepiscopi in priori statu perstitisse.

Sed ut evidentius fiat, quod postremo loco asseruimus, ad Antistites Calaritanum, ac Turritanum incredibili aestu inter se litigantes, revertamur, eorumque caussae exitum investigemus. Defuncto Andrea Baccalar Pontifice Turritano, Gavinus Manca de Cedrellas, qui anno 1613. illi successit, litem contra Calaritanum restauravit (3). Hujus vestigiis ingressus est Didacus Passamar, qui Ecclesiam Turrita-

rita-

(1) *In lib. 2. Decretal. de Praescript. tit. 2. pag. 636.*
(2) *In Summario alibi cit.*
(3) V. Machinus *cap. cit.*

ritanam anno 1624. regere coepit; & quamvis Hispaniarum Rex anno 1619, & sequentibus, instantibus imprimis Sardiniae Pro-regibus, qui Calaritani caussae favebant, pluribus litteris (1) interdixerit Turritanis Praesulibus, ne titulum Primatis sibi usurparent, deque eo cum Calaritano in Romana Curia contenderent, illi tamen Regia mandata nequaquam fecerunt; quamobrem tandem aliquando ad caussae decisionem ventum est. Itaque anno 1637. die 27. Novembris a Sacra Rota Romana coram R. P. D. Motmanno definitum fuit, Sedem Calaritanam antiquiorem esse Turritana, & Arborensi; de majori enim, vel minori illarum Sedium antiquitate tantum disputatum tunc est, ut *ad ostendendum jus Primatialis dignitatis per assistentiam juris* ad Antistitem Calaritanum spectare, *sterneretur via*. Idipsum definitum fuit coram R. P. D. Ghislerio anno 1638. die 14. Junii, & 10. Decembris. Unusquisque sibi persuadebit, postquam non semel tantum, sed iterum, & etiam tertio Sacra Rota Romana decrevit, Ecclesiam Calaritanam vetustate antecellere Turritanam, decretum tandem fuisse, illam *Primatialis* dignitate fulgere; verùm res aliter accidit; anno enim 1640. die 27. mensis Aprilis nihil aliud coram laudato Ghislerio statutum est, quam quod antea definitum fuerat, nimirum Calaritanam Sedem esse Metropolim caeteris Sardiniae antiquiorem. Sed decisionis verba exhibenda sunt, ex quibus manifestum est, tantum abesse, ut Rota Romana *Primatus proprie sumpti* honorem Calaritano tribuerit, ut potius illum ei abjudicaverit: *cum disputaretur inter Archiepiscopos Calaritanum, & Turritanum, ac Arborensem, quaenam ex eorum sedibus sit antiquior Metropolis, Domini null habita ratione praetensionis ipsorum circa Primatum proprie dictum, qui con-*

(1) Has litteras recitat Dionysius Bonfant *Tractatu de Primatu Calaritano Calari edito anno* 1637. Earum quasdam refert etiam Machinus *cap. laud. pag.* 67. *& seq.*

consistit in Ordinatione omnium Ecclesiarum illius Regni; in convocatione omnium Episcoporum, & Archiepiscoporum ad Concilia; in concessione facultatis Episcopis, & Archiepiscopis Regni exeundi a suis Dioecesibus; & denique in aliis praerogativis, quas in praesentia non est opus recensere: respectu simplicis antiquitatis, & juris Metropolitici, non autem Primatus proprie sumpti, cùm esse possit, quod una Sedes sit aliâ antiquior, & nihilominus ex hac antiquitate nullatenus inferatur ad Primatum proprie dictum: duo dixerunt probari ad favorem Archiepiscopi Calaritani, quod scilicet illius Sedes sit Metropolis, & quod sit antiquior Metropolis.

Ambrosius Machinus contendit, Pisanum Archiepiscopum nunquam Primatem fuisse non modò Sardiniae, ut hactenus dictum est, sed ne Corsicae quidem, hac permotus ratione, quod nimirum nulla fiat de hujusmodi re mentio in litteris Pontificiis, quibus multa privilegia Pisano concessa olim fuerunt; *quod etiam ad Primatum Corsicae attinet, est hic animadvertendum, quod in nullo Pisani indulto sit mentio illius, sed solum Primatus Sardiniae, & tamen Primatum Sardiniae, & Corsicae Pisanus praetendit* (1). Verum tametsi ex Pontificiis diplomatibus, quae refert Machinus, non liquet, Pisano Antistiti honorem Primatus in Corsica concessum fuisse, illum tamen Landulphus, & qui post eum Pisanam Ecclesiam rexissent, acceperant a Sanctissimo Romano Pontifice Gregorio VII., qui Landulphum ipsum, ejusque successores Corsicae Legatos (2), seu Vicarios Apostolicae Sedis, ut scribit eruditissimus Thomassinus (3), instituit: Vicarii autem Apostolici olim & Pri-

(1) *Op. indic. cap. 37. §. 2. pag. 168.*
(2) V. quae dicemus *in Landulpho*.
(3) *Veteri., & Nova Eccles. Disciplina par. 1. lib. 1. cap. 37. n. 5.* Scipio Ammiratus *Istorie Fiorentine Tom. I. par. 1. ad ann. 1126. pag. 51. edit. 1648.* arbitratur, Pisanos Antistites honore Primatus in Corsica decoratos ab Urbano II. fuisse; loquens enim de Gothifredo Episcopo Florentino, inquit: *nell'*

mates dicebantur, & eandem potestatem habebant (1). Hanc, & non aliam fuisse rationem, cur Pisanus sese Primatem Corsicae inscribit, existimo; ea enim, quam adducit Machinus (2), quod nimirum Corsica, & Sardinia una censeretur Provincia Ecclesiastica, ac proinde quicumque hujus Primas esset, illius etiam Primas diceretur, mea quidem sententia, vel falsa omnino est, vel saltem perquam dubia; nam Corsicam, & Sardiniam jam inde a saeculo sexto duas fuisse Provincias Ecclesiasticas, nisi vehementer fallor, ex S. Gregorio Magno colligitur (3).

Sed quocunque modo Pisanus Pontifex Legati, ac Primatis in Corsica dignitatem acquisierit, illud exploratum est, eam revera obtinuisse. Etenim hujusmodi dignitatem in Pisano Antistite agnoverunt anno 1248. Albertus, aliique viri nobiles *de Bangnaria de Corsica* (4); saeculo decimoquinto Joannes Carolus Florentinus (5); medio circiter saeculo decimosexto Leander Albertius Bononiensis (6), ac Modestus Biliottius (7); & ipsi demum Pisani Prae-

nell' anno 1126. è fra quelli, che soscrivono alla Bolla di Onorio II. dove è confermato all' Arcivescovo di Pisa il Primato di Corsica conceduteli l' anno 1091. da Urbano II. Certe quidem Urbanus in suis litteris ad Daimbertum *in Append. monument.* exhibendis ait, *praedictam Insulam vice nostrae Pisanae Ecclesiae .... committimus, & condonamus*. Sed cum ex perspicuis monumentis appareat, Gregorium VII. Landulpho, ejusque successoribus Primatus honorem concessisse, dicendum est, Urbanum eundem honorem Pisanae Ecclesiae confirmasse.

(1) Confer Thomassinum *lib. cit. cap.* 30.

(2) *Ibidem*.

(3) S. Gregorius visitationem Ecclesiae Sagonensis, quae proprio Pastore carebat, commisit Leoni in Corsica Episcopo, ne verbo quidem scripto ad Januarium Sardiniae Metropolitanum. Vide *Gregorii Epist.* 78. *lib.* 1. *edit. Maurinorum*. Proprium item habebat Corsica Defensorem, ut ex Gregorii *epist.* 77. *lib.* 11. patet. Haec autem apertè ostendunt, Corsicam non Sardiniae Archiepiscopo, sed *immediate* Romano Pontifici paruisse, ideoque aliam a Sardinia ipsa fuisse Provinciam Ecclesiasticam.

(4) Confer illorum verba propè finem *cap.* 2. *hujus Dissertat.* recitata.

(5) Hujus verba dedimus *ad calcem cap. cit.*

(6) *Descrizione di tutta l' Italia fol.* 29. *edit. Ven.* 1551.

(7) *Chronico Monasterii Florentini S. Mariae Novellae*, cujus fragmentum recitat Ughellius *in Simone Saltarellio Archiepiscopo Pisano*.

Praesules, qui se Corsicae, & Sardiniae Primates, Legatosque (1) inscribere consueverunt in omnibus Actis, longè antequam de memorata dignitate inter Pisanum, Calaritanum, ac Turritanum Archiepiscopos lites orirentur.

Ex iis quidem omnibus, quae hoc in capite disputavimus, manifestum est, Pisanum Pontificem saeculo aerae vulgaris undecimo, & sequenti *Legati* & *Primatis* dignitatem in Sardinia, & Corsica legitimè obtinuisse, eamque pluries iis in Insulis exercuisse: initio saeculi decimiquarti

(1) In libro antea citato, qui est in Archivo secreto Archiepiscopi, legitur sequens testimonium Cancellariorum Curiae Archiepiscopalis ,, Nos infrascripti Notarii, & Cancellarii Pisanae Curiae Archiepiscopalis fidem facimus, & in verbo veritatis testamur, qualiter ab antecessoribus nostris in officio Cancellariae praedictae vidimus observatum fuisse in Actis publicis causarum vertentium in dicta Curia in sententiis latis & promulgatis tam ab ipsis Illustriss., & Reverendiss. Dominis Archiepiscopis, quam ab eorum pro tempore existentibus admodum Reverendis Dominis Vicariis, quod praefatus Illustriss., & Reverendiss. Dominus Archiepiscopus nominatur, & exprimitur Dei, & Apostolicae Sedis gratia Archiepiscopus Pisanus Insularum Corsicae, & Sardiniae Primas, & in eisdem Legatus natus. Idem testamur fuisse factum, & observatum, ut supra, in omnibus privilegiis Doctorum, qui lauream Doctoratus susceperunt in Pisana Universitate: idem in collationibus, & institutionibus Beneficiorum Ecclesiasticorum Pisanae Civitatis, & Dioecesis a praefatis Illustriss., & Reverendiss. Dominis Archiepiscopis, & eorum Vicariis pro tempore factis: idem in attestationibus, quae factae fuerunt a praedictis Cancellariis de Minoribus, & Sacris Ordinibus Ecclesiasticis collatis ab Illustrissimis, & Reverendissimis Dominis Archiepiscopis praefatis, & in litteris dimissoriis pro eis ab aliis Antistitibus recipiendis: idem in instrumentis concessionum emphiteuticarum, & quarumcumque aliarum, quae fiunt de bonis Archiepiscopalis mensae praedictae; & idem attestamur factum, & observatum fuisse per nos a tempore citra, quo fuimus Notarii, & Cancellarii dictae Curiae, & fieri, & observari ad praesens inviolabiliter nominando, appellando, & scribendo Illustriss. & Reverendiss. Dominum Sallustium Taurusium Politianensem modernum Archiepiscopum Pisanum Dei & A. S. gratia Archiepisc. Pis. Insularum Corsicae, & Sardiniae Primatem, & in eisdem Legatum natum. In quorum fidem &c. die 21. mensis Novembris 1610. stylo Pisano. ,, Tres Curiae Archiepiscopalis Cancellarii subscribunt, asserentes superius narrata vera esse, sequitur deinde testimonium *Priorum* Populi Civitatis Pisanae, ex quo liquet, Cancellarios esse *viros probos, & Legales, tales, ut eorum cujuslibet scripturis publicis semper, & ubique fuerit adhibita, & ad praesens adhibeatur plena, & indubia fides.*

ut multum ex amplissima Legati, & Primatis auctoritate ob rationem alibi adductam detractum Pisano fuerit, antiquum tamen honorem sartum, tectumque conservasse: exeunte saeculo decimosexto, & ineunte decimoseptimo Antistite Calaritano imprimis veterem dignitatem Pisano Praesuli eripere, & sibi asserere tentante, Rotam Romanam, cui caussae decisio commissa fuerat, nihil aut pro illo, aut adversus hunc statuisse; ideoque Pisani jura in statu pristino nunc etiam persistere.

CAPUT V.

De finibus Dioecesis Pisanae.

QUod Ecclesia ad Imperii Romani exemplar externam suam politiam, & regimen sic conformaverit, ut non solum unaquaeque Provincia Ecclesiastica eosdem fines, terminosque obtineret, ac Provincia civilis, sed etiam quaecunque peculiaris Dioecesis vel ampla, vel angusta esset, prout civilis cujusque Urbis, quae Sedes Episcopi erat, Magistratus majorem, vel minorem jurisdictionem haberet, plerique omnes eruditi, imprimisque Binghamus (1), affirmant. Tametsi haec regula nullas peculiares exceptiones admitteret, quod sane falsum est (2), nihil tamen commodi inde obtineri potest pro definiendis antiquis Dioecesis Pisanae finibus, cùm penitus ignorentur fines jurisdictionis Magistratus civilis, qui Pisis olim residebat. Non me latet, quosdam (3) esse, qui vetus Pisarum

(1) *T. III. Originum, sive Antiquit. Ecclesiast. lib. 9. cap. 1. & 2.*

(2) Vide Binghamum *lib. cit. cap. 2. §. 3.*, & celeberrimos Auctores *Diarii Litteratorum Florentin. T. II. par. 4. art. 3. pag. 58.*

(3) Adeundi Marangonius *Croniche di Pisa col.* 319., Troncius *Annali Pisani pag.* 11., ac Taiolius *Storia Pisana lib. 2. cap. 7.*, cujus exemplar humanissime mecum communicavit eruditissimus Eques Flaminius *dal Borgo* Pisanus in Patria Academia Jurisprudentiae Professor.

rum dominium ad Orientem dilatant usque ad locum non procul ab oppido Empulo Florentiam versus positum, qui Italice *Pietrafitta* vocatur; quòd ibi antiquitus esset lapis, in quo, teste Uberto Lanfranchio Archiepiscopo Pisano (1), haec inscriptio legebatur:

TITVS FLAMINIVS ET TITVS QVINTVS CONSVLES PISAE MILLIARIO XXXII.
HIC POSVERVNT FINES SVAE CIVITATIS. (2)

Sed cujus aetatis sit haec inscriptio, prorsus ignoratur; hinc ex ea colligi non potest, quinam fuerint imperii Magistratus laudati fines primis Ecclesiae Pisanae saeculis. Accedit, quod cum in memorata inscriptione notentur passus, argumento est, illam non ad lapidem terminos unius alicujus Provinciae indicantem, sed ad lapidem milliarium spectasse, & Ubertum aliter sentientem hallucinatum esse: *Essendo segnati i passi nell' inscrizione, è segno, che questa non è di confino, ma di lapide milliare, la quale non è stata ben letta da Uberto, oppure ei non la vidde, e se ne stette alle relazioni di gente trascurata, ed ignorante*, inquit doctissimus Lamius (3).

Orlendius (4) nihilominus existimat, saeculo Ecclesiae septimo Pisanum Antistitem suae Dioecesis fines Boream versus ad Apenninum usque extendisse; *siquidem*, inquit, *ex vita Sancti Peregrini compertum habemus, inter Antistites, qui ad ejus Sacrum Corpus tumulandum convenerant, & eorum unusquisque in suis Dioeceseos confiniis Sanctissimum virum obiisse contendebat, etiam Beatum Alexandrum Episcopum Pisanum recenseri: ut proinde tunc temporis Pisana*

(1) Instrumento, quod mox recitabo.
(2) Hanc inscriptionem referunt etiam Marangonius, ac Troncius *loco cit.* sed nonnihil diversam, ut observat Mannius vir clarissimus *Osservazioni Istoriche sopra i Sigilli antichi de' secoli bassi T. XI. Sigillo 8. pag. 84.*
(3) *Par. 1. Hodoeporici pag. 37.*
(4) *Par. 2. Orbis Sacri, & prophani lib. 3. cap. 28. pag. 989.*

sana Dioecesis ad Apenninum usque excurreret. At Orlendiana ratio nequaquam probat, locum, in quo Sancti Peregrini corpus sepulturae traditum est, revera ad Pisani Episcopi jurisdictionem spectasse, aut id contendisse eundem Pisanum; nam humationi memorati Sancti, ut in illius Historia legitur, praeter Pontificem Pisanum, adfuerunt item omnes Etruriae, & non pauci Galliae Cisalpinae Episcopi (1). Nemo autem sibi persuadebit, ex iis Pontificibus singulos contendisse, quod citatus locus in sua esset Dioecesi.. Accedit, quod Dempstero haec in Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum, ex Auctore, nescio quo, narranti perpaullum fidendum est, cum judice Usserio viro doctissimo *commenti genus* sit Dempstero ipsi *non minus familiare*, *quam librorum*, *qui nunquam scripti sunt ex ipsius otioso deprompta cerebro recensio* (2).

Multo verò minus citata regula nobis conducit ad agnoscendum, quinam extiterint Dioecesis Pisanae fines post saeculum aerae vulgaris undecimum; immo ad hanc ipsam Dioecesim habita ratione, eadem regula falsa omnino est. Etenim Pisae saeculo duodecimo imperium suum in Etruria longius latiusque explicabant, quam his temporibus, cum dominarentur in locis, quae erant a Turre *Benni ad Arnum*, *& ad Cannetum*, *& inde ad Barbiallam*, *& sicut trahit ab Ebula ad Montem Tignosum*, *& ad Burianum*, *& Quercetum*, *& ad Castrum Corniae*, *inde ad Scherlinum*, *& sicut trahit marina ad Portum Herculis*; *ab alia parte fluminis Arni sicut trahit Planesula*, *& comprehendit curiam Cintoriae*, *& sicut trahunt confinia inter Pisanos*, *& Lucenses usque ad Pontem Magioniae*, *& inde sicut sunt confinia districtus Pisanae Civitatis* (3). Loca autem, quae in hoc tractu continebantur, sunt sequentia, nimirum *Castrum Pec-*

(1) Vid. *Seriem Episc. Pisanorum num.* 4.

(3) *De Britan. Eccles. primordiis pag.* 463.

(3) Vide diploma Friderici I. Imperatoris apud Troncium *pag.* 96. *& seq.* & apud clarissimum Flaminium dal Borgo *Raccolta di scelti diplomi Pisani n.* 22. *pag.* 33.

Peccioli, *Castrum Montis Scutari*, *Ghezanum*, *Castellum Falsi*, *Camporena*, *Vignale*, *Leguli*, *Pons Rarunga*, *Lajaticum*, *Chianni*, *Aguiari*, *Pava*, *Petracassia*, *Gabretum*, *Gellum*, *Casalia*, *Sassa*, *Caselle*, *Cannetum*, *Monsviridis*, *Castillione Bernardi*, *Sasseta*, *Toranum*, *Campianum*, *Palaria*, *S. Gervasius*, *Mons de Castello*, *Mons Taupari*, *Marti*, *Corcarelli*, *Collegarli*, *Practilionum*, *Usiliarium*, *Cerretum*, *Trigaricum*, *Poruli*, *Alica*, *Petolum*, *Mons Belcarii*, *&* *Cumulum*, *Stibium*, *Mons altus*, *Comugnole*, *Pinochium*, *Ponsberae*, *Appianum*, *Gellum*, *Psianum*, *Rapida*, *Taule*, *Schetoruli*, *Tualda*, *Renisanum*, *Vignali*, *Campilia*, *Rocca Biserni*, *Rocca Palmenti*, *Donoraticum*, *Castagnetum*, *Segalari*, *Bolgari*, *Bibbona*, *&* *Castillione de Piscaria* (1), quorum locorum pleraque omnia spectabant ad Dioeceses Lucensem, Volaterranam, & Massanam, pauca ad Dioecesim Pisanam.

Sed ante saeculi undecimi finem hanc Dioecesim ampliorem fuisse, quam modò sit, legitur in antiquo monumento, quod exhibere fas est „ In nomine Sanctae, & in„ dividuae Trinitatis. Nos Ubertus Dei gratia Pisanorum „ Archiepiscopus, atque Consul recordationem facimus de „ jure Plebium Pisanorum, & contractatos, ut eas olim „ nostri antecessores habuerunt, & possederunt, & quali„ ter ab eis alienatae fuerint, sicut in scriptis invenimus, „ & ab antiquioribus audivimus. Tempore igitur Guido„ nis Episcopi nostri praedecessoris filii quondam Teuchi „ de Travalla nostra Civitas a Paganis destructa permansit „ anno Dominicae Incarnationis millesimo decimoquin„ to. Obeunte Episcopo supradicta nostra Civitas ferè „ per annos viginti absque Pastore extitit, sicque Lucen„ sis Episcopus rogatu Canonicòrum nostrorum Clericos „ Ple-

(1) Consule diplomata Othonis IV. apud doctissimum Lamium *in notis ad Chronicon Imperatorum Leonis Urbevetani pag.* 208., & Caroli IV. apud eundem *par.* 1. *Hodoeporici pag.* 76.

„ Plebium nostrarum ordinans, Ecclesias dedicans, no-
„ stras Plebes cum Canonicatus parte sui cum Civibus,
„ atque sequacibus fraudulenter subtraxit, sibique retinuit.
„ Nomina earum Plebium de Episcopatu ad Comitatum
„ pandamus, quo jure proprietate praedecessores nostri a-
„ nimae, & corporis retinuerunt. Fuit enim terminus in-
„ ter nos, & Florentinos, qui *Petrafitta* vocatur, ubi in
„ lapide marmoreo, qui adhuc extat, istae litterae ha-
„ bentur, & adhuc vigent: *Titus Flaminius, & Titus*
„ *Quintus Consules Pisae Milliario xxxii. hic posuerunt fi-*
„ *nes suae Civitatis;* ab hinc finis est nostri Episcopa-
„ tus, & Comitatus Plebium. Ergo nomina sunt haec:
„ prima *Emappolis*, quae corrupto nomine nunc *Empolis*
„ dicitur cum suis confinibus, quam Guido Comes De-
„ cimi subtraxit tempore Gerardi Florentini Episcopi:
„ secunda *Burgius Genesi*, quam Corradus Lucensis Epi-
„ scopus pignoris loco pro quinquaginta libris subripuit
„ anno Domini millesimo quadragesimo septimo, quam
„ ad hoc Episcopus noster praedecessor paratus fuit ante
„ terminum constitutum recolligere, debitumque persol-
„ vere; ipse verò minimè recipere voluit: taliter quidem
„ possessa est; tertia *Fabrica*; quarta *Cojanensis* (1); quin-
„ ta *Carratensis;* sexta *Barbinasia* (2); septima *Musianen-*
„ *sis* (3); octava *Lavianensis* (4); nona *S. Gervasius;*
„ decima *Padulensis*; undecima *Planensis* (5); duodecima
„ *Trianensis;* tertia decima *Milianensis* (6); quarta deci-
„ ma *Tripallensis;* quinta decima *Gellensis* (7); sexta de-
„ cima *Aquensis;* septima decima *Sibilianensis* (8). Ex
„ alia

(1) Tajolius, ac Troncius habent *Tojano*, & quidem rectè.
(2) Marangonius *Berbinaja*, Tajolius *Berbonaja*, Troncius *Cerbonara*.
(3) Troncius *Ofigliano*.
(4) Tajolius, ac Troncius *Lavajano*.
(5) Tajolius *Palanese*, Troncius *Palajese*.
(6) Troncius *Mugliano*.
(7) Troncius *Gegillarazza*.
(8) Tajolius *Sabicbanese*, Troncius *Subinanese*.

„ alia parte inter nos, & Lucenses terminus est, ubi di-
„ citur *Porta Beltrade*; ubi nostri Episcopatus, & Co-
„ mitatus finis imponitur; ex qua parte Guido Lucensis
„ Episcopus quandam Plebem, quae dicitur *Cervaria* (1)
„ nobis itidem violenter rapuit, sibique retinuit: &
„ ex ea parte inter alias tres nobis, quas Lucenses frau-
„ dulenter invaserunt. Prima quidem dicitur *S. Felici-
„ tas* (2); secunda *Camajora*; tertia *Litio* (3). Anno
„ Domini millesimo quinquagesimo sexto similiter nos,
„ & Wlterranenses terminus est, qui *Crusera* (4) dicitur,
„ ubi maximus lapis fixus est, ibi finis est nostri Epis-
„ copatus, & Comitatus; ex ea parte Teclimas Wlter-
„ ranensis Episcopus septem Plebes iniuriose subtraxit.
„ Prima quae dicitur *Fabrica* (5); secunda *Pecciolensis*;
„ tertia *Piniensis* (6); quarta *Pavansis* (7), quinta *Pa-
„ triensis* (8); sexta *Rivalsensis* (9); septima *Cojanensis*
(10), quae suprascripta est; & sunt nomina Plebium, quas nobis Lucenses, & alii suprascripti Episcopi rapaciter, & dolose subripuerunt ann. Domini 1054. jam post destructam Civitatem ab Agarenis ab insidiatoribus suis extracta frangenorum rupta est, & Pontes fracti sunt: nobilitas supradicti Episcopi Guidonis fere post quinque annos Plebes de Episcopatu suo visitatas, easque circa Pisanum montem: sunt quoque apud Plebem, quae Computum nuncupatur existente postea per insultum ab aemulatori-

(1) Marangonius, & Troncius *Cervara*.
(2) Troncius *S. Silvestro*.
(3) Troncius *Citro*.
(4) Tajolius, ac Troncius *Crisferra*.
(5) Troncius, qui sex tantum Plebes Volaterras versus Archiepiscopo Pisano ablatas existimat, harum primam fuisse ait Plebem *di Garbonese*.
(6) A Troncio *Plebs Piniensis* non memoratur; quemadmodum nec a Tajolio, qui pro ea meminit *Plebis de Capannule*.
(7) Troncius *Parra*.
(8) Tajolius *Patronese*.
(9) Marangonius *Rivaltense*, Troncius *Hivaltene*.
(10) Troncius *Coranese*.

bus suis vulnere percussus est, & sic fugam petiit. Voluit recuperare apud Monasterium, quod Sextus dicitur, Sanctitas Venerabili Gualfredi quondam Eracausi cum uxore ejus Eltruda, & filiis suis nobilissimis Pisanis Civibus aedificavit cum septem aliis Coenobiis, sed minime recuperare, abiit apud Castrum, quod Cintoria vocatur, ibi ex vulnere mortuus est, & sepulcrum ejus adhuc ibi manet; & post obitum eius supradictus Corradus Lucensis Episcopus tempestive per vim abstulit. Et alius terminus est ab exitu rivi, qui Contensa dicitur, ab hinc usque ad portam Beltrade, ibi finitus est antiquitus noster Episcopatus, & Comitatus anno millesimo decimo nono; unde nostri praedecessores Episcopi, & Consules Sanctae Romanae Ecclesiae, & regimini querimoniam fecerunt; unde adhuc quamplures testes Clericorum, Laicorum, Procerum, & Militum viventes habemus; etiam querimonia facta est supremis Pontificibus Victori, Nicolao, Alexandro, Gregorio, Urbano II., & Innocentio II.

Hoc monumentum tamen, quod ex Tabulario Vaticano Ughellius (1) primum edidit, & Paullo Troncio (2) teste, olim exstabat Pisis apud nobilissimos viros Griffios, non solum vir emunctae naris Joannes Lamius (3) existimat

(1) *In Episcop. Pisan. col.* 355.

(2) *Pag.* 12. Hujus monumenti meminere etiam Marangonius, & Tajolius *ibidem*. Orlendius *par.* 2. *op. cit. lib.* 3. *cap.* 28. *pag.* 989. postquam narravit, Troncium affirmare *Plebes* superius citatas in Dioecesi Pisana antiquitus fuisse, haec subjungit: *num autem id hauserit ex praefato Uberti Archiepiscopi monumento, an ex aliis documentis in Archiepiscopatus, & Capituli Tabulariis reconditis, hactenus mihi incompertum est*. Sed Troncius sibi ipse testis est, se id affirmasse auctoritate tabularum Uberti permotus; hinc Orlendius ostendit, se oscitanter solum Troncium legisse. Haec notare volui, ne quis Orlendii testimonio suspicetur, ex aliis certis, apertisque monumentis constare antiquam a quibusdam assertam Pisanae Dioecesis extensionem.

(3) *Par.* 1. *Hodoeporici pag.* 158. „ in questo scritto di Uberto, *inquit*, vi sono „ tanti errori, e inverisimilitudini, che o bisogna dire non essere di „ Uberto, oppure essere stato da questi scritto quello, che bene, e di „ certo non sapeva. „

mat, vel Ubertum auctorem non agnoscere, vel ipsum posterorum memoriae mandasse, quod vulgus narrabat, non quod sibi perspicuis monumentis cognitum erat; sed Orlendius (1) etiam, etsi valde proclivis ad sincerum credendum quidquid aliquam ostendebat antiquitatem, affirmat *monumenti praefati fidem nutare*, ideoque colligi ex eodem certò non posse, *omnes Plebes ibi recensitas aliquando intra Dioecesim Pisanam fuisse inclusas*. Et sanè citatum monumentum non paucos errores, resque improbabiles complectitur. Principio enim tam falsum est, quam quod maximè, Guidonem Episcopum Pisanum anno 1019. obiisse, eoque defuncto hanc Ecclesiam extitisse sine Pastore viginti fere annos; cum clarae distinctaeque, tabulae demonstrent, Guidonem proximum decessorem fuisse Azonis, qui ab anno saltem 1015. ad annum 1031. populum Pisanum gubernavit, & anno circiter 1039. successorem obtinuit Opizonem (2). Deinde a veritate distat, quod ibidem legitur, nimirum anno 1015, vel ut est in Chronicis Pisanis, anno 1005. destructam a Saracenis hanc Civitatem fuisse (3). Praeterea nullo pacto concedi potest, quod post Guidonis nostri mortem, anno scilicet 1047. Conradus Episcopus Lucensis oppidulum Sancti *Genesii pignoris loco pro quinquaginta libris subripuit* Ecclesiae Pisanae, propterea quia Conradus vixit saeculo decimo, ut ex Ecclesiae Lucensis fastis apparet. Tandem in serie Pontificum Volaterranorum a Benedicto Falconcinio, Ammirato, & Ughellio contexta locum non habet *Teclimas*, qui, ut in laudato monumento narratur, *septem Plebes iniuriose subtraxit* Pisano. Non est item hoc in loco silentio praetereundum, quod Historici Pisani inter se non conveniunt de tempore, deque ratione, qua complura loca ab hac Dioecesi avulsa sunt. Etenim Auctor Anonymus

 Chro-

(1) *Loco citato*.
(2) Confer *seriem nostram Episcop. Pisanorum n. 22. & seq.*
(3) Vide clariss. Lamium *Lettera 6. nelle Novelle Fiorentine del 1760. n. 22.*

Chronici Pisani, quod Mansius vir doctissimus *in Miscellaneis Balutianis* (1) vulgavit, narrat, id factum esse non quidem anno 1015. & quoniam proprio Pastore vacabat Ecclesia Pisana, ejusque cura Episcopo Lucensi demandata erat, ut Paullus Troncius, & alii scribunt, ac legitur in instrumento superius recitato, sed anno 1004. armorumque vi: *li Luchesi*, inquit, *veneno ad oste a Pisa, e preseno quasi tutto lo contado allo Vescovado, e parte di Collina, e parte di Valdera, ella corte di Samminiato, ello Valdarno, che oggi si dice di Luca, elli Fiorentini Empulli vecchio, e nuovo, e Volterra, e parte di Valdera, li quali tutti erano del Vescovado di Pisa.*

Quamquam vero citatum monumentum apocriphum credam, vel saltem tenuis auctoritatis, non eo tamen inficias, oppidum *Empulum* una cum Paroeciis (2) illius Plebi subiectis ad Pisani Episcopi jurisdictionem olim spectasse. Etenim Plebanum Empulensem saeculo nono, decimo, & undecimo ineunte Ecclesiae Pisanae tributum solvisse, compertum habeo ex libro quodam membranaceo de *Censibus* inscripto, in quo ita legitur (3):

„ Elpidius Plebanus Pleb. S. Andreae de Empulo ar-
„ gentum denari quatuor an. D. ad stil. Pisanum DCCCXXXX.
„ Nuccius Pleb. S. Andreae de Empulo argent. den.
„ quat. anno D. ad stilum Pis. DCCCXCI.
„ Monus Pleb. S. Andreae de Empulo argent. den.
„ du. anno D. ad stilum Pis. DCCCCXXXX.
„ Silvanus Pleb. S. Andreae de Empulo argent. den.
„ du. anno D. DCCCCXCII.

„ An-

(1) *Tom. I. pag.* 449.

(2) De Paroeciis, quae olim Plebano, nunc Praeposito Empulensi parebant, videatur eruditissimus Comes Sandonninius Eques Stephanianus, Canonicus Poenitentiarius Pisanus, & in Pisana Academia publicus Juris Pontificii Professor *del Gius de' Cherici infermi agli stipendj Ecclesiastici Consultazione responsiva ai dubbj nella causa Emporien. legati in distributionem pag.* 21. Confer item clariss. Mannium *T. XI. op. cit. Sigillo* 8. *pag.* 87.

(3) Adeundus Lamius *in Praefat. ad Hodoeporicum pag.* 19.

„ Andr. Plebanus S. Andreae de Emampoli argent. den.
„ du. anno D. ad stilum Pis. M.
„ Rober. Pleban. S. Andreae de Emampoli argent. den.
„ du. anno D. stilo Pis. MXII.

Quaedam etiam non leves conie&urae, ut me vir pereruditus Bartholomaeus Romagnolius patria Empulensis monuit, probant *Empulum* olim paruisse Episcopo Pisano. Atque, ut ceteras mittam, Ecclesia Empulensis jam inde ab antiquis temporibus *Officium*, & *Missam* celebrat eorum Sanctorum, sub quorum invocatione Deo dicata sunt Templa ad ejusdem Ecclesiae jurisdictionem spectantia. Hujusmodi vetustissimus mos viget etiam apud Ecclesiam Pisanam, a qua in Ecclesiam Empulensem derivasse arbitror. At id factum esse censendum est, quoniam Empulum olim in hac Dioecesi erat. Accedit, quod ita fert traditio, quam Clerus Empulensis expressit etiam in supplicatione exhibita Benedicto XIII. Pontifici Summo, a quo petiit, obtinuitque facultatem recitandi *Officium*, & *Missam* Sancti Raynerii praecipui Pisanorum patroni.

Quid verò sentiendum erit de decem, & septem aliis Ecclesiis *Empulum* versus, quae in tabulis Uberto adiudicatis memorantur? Certe quidem cum eae in vicis fere mediis inter *Empulum* ipsum, & oppidum, quod *Pontem ad Eram* vocant, multaque alia loca Pisanae Dioecesis positae sint, ad Antistitem Pisanum usque ad saeculum undecimum spectasse credere fortasse aliquis posset. Sed ego quod ad illarum quasdam attinet praefidenter nego, quod verò ad alias spectat, vehementer dubito, utrum ante saeculum superius citatum in hac Dioecesi extiterint, tametsi vix intelligam, qua ratione Pontifex Pisanus antiquitus gubernaverit *Empulum*, alia loca intermedia non item. Ecclesiam *Padulensem* S. Justi anno 991. subiectam fuisse Episcopo Lucensi, ex eo colligitur, quod Gerardus Antistes concesserit in emphiteusim Teudicio Comiti quaedam bona, quae laudatae Ecclesiae juris erant, &

decu-

decumas locorum ad eandem Ecclesiam attinentium (1). Idem affirmandum est de *Plebe* oppidi primò *Vico-Valleri* (2), postea *S. Genesii* appellati, siquidem anno circiter 880. haec *Mensae* Lucensi decumas solvebat (3). *S. Gervasii Plebem* in Pisana Dioecesi aliquando fuisse persuadere mihi non possum, cum in hac neque *Missa*, neque *Officium* ejusdem Sancti sub ritu duplici, vel semiduplici recitetur; sed potius arbitror, antequam saeculi decimi septimi initio Episcopo Miniatensi cederetur, omni tempore ad Lucensem Pontificem spectasse, in cujus Dioecesi S. Gervasii memoria etiam ante saeculum decimum celebrabatur (4). Ad eundem Lucensem Antistitem spectabant item saeculo octavo aliae Ecclesiae in vicis memoratis *Plebibus* finitimis positae; ut Ecclesia *de Capannule* (5), & Ecclesia S. Miniatis (6), quae saeculo duodecimo parebat Plebi S. Genesii, ut liquet ex litteris (7) Coelestini III. & sita erat in loco, qui olim *Quarto* dicebatur, nunc autem Civitas Sancti Miniatis *al Tedesco*, sumpto ab eadem Ecclesia nomine, quemadmodum existimat doctissimus Lamius (8).

Nullum sum nactus perspicuum monumentum, unde colligere queam falsum esse tum ceteras Ecclesias, quae sunt ad sinistram fluminis Arni a Florentino, Lucensi, & Volaterrano Episcopis, tum eas, quae sunt inter Boream, & occidentem solem ab eodem Lucensi saeculo undecimo subtractas fuisse Antistiti Pisano. Verumtamen cum haec assertio labili fundamento innitatur, auctoritate scilicet in-

(1) Vide Muratorium *Dissertazione 36. sopra le Antichità Italiane T. II. pag. 370. edit. 1766.*
(2) Consule Lamium *par. 4. Hodoeporici post Acta S. Genesii.*
(3) Instrumentum apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. M. Ævi col.* 1039.
(4) Adeundus Muratorius *T. V. op. cit. Dissert. 63. col. 309., & T. VI, Dissert. 74. col. 421.*
(5) Ex instrumento *Dissert. cit. col. 403.*
(6) Apud Muratorium *T. VI. Dissert. cit. col.* 405.
(7) Quas recitat Lamius *in Praefat. in par. 1. Hodoeporici pag. 165.*
(8) *Par. 4. Hodoeporici post Acta S. Genesii.*

instrumenti Uberto adiudicati, quod ob multos errores, quos complectitur, apocriphum censendum est, quis non videt, vehementer de eadem assertione ambigendum esse?

Examinandum nunc est, utrum Lucensis Pisano subtraxerit saeculo undecimo, & sequenti quasdam alias Ecclesias ad memorati fluminis dexteram positas. Ita quidem existimat Orlendius (1), qui de antiquis Pisanae Dioecesis finibus loquens, scribit in hunc modum: *bellis inter Pisanos, & Lucenses excitatis cum Lucenses occasione capta expeditionis Pisanae classis adversus Saracenos Baleares, Sardiniam, & Siciliam Insulas occupantes, nonnulla Pisanorum loca invasissent, suaeque ditioni adiecissent, etiam Plebes, seu Paroeciae in iis sitae in Lucensis Episcopi Dioecesim transierunt: illae praesertim, quae circa Bientinae lacum, & montem Pisanum adiacent*. Sed Orlendius hoc generaliter asserens, mea quidem sententia, hallucinatur. Videamus. Inter loca, quae montibus Pisanis Lucam versus adiacent, numerandus est vicus, qui nunc dicitur *S. Maria del Giudice*: inter ea vero, quae sita sunt secus Blentinae lacum recenseri debet *Sextum* (2), ubi olim celebre Monasterium S. Salvatoris extabat. At Ecclesia titulo Plebis ornata vici Sanctae Mariae anno etiam 941. in Dioecesi Lucensi erat, ut liquet ex tabulis a Puccinellio (3) relatis. Sextum item ad Lucensis Episcopi jurisdictionem spectasse non modo saeculo duodecimo (4), ac sequenti (5), sed etiam saeculo decimo

(1) *Loco paullo ante cit.*

(2) Monasterium Sextiense, quod antiquitus vocabatur *Abbatia S. Mariae Salmiani, e di Borgogna*, erat in Paroecia, quae nunc dicitur *Castri veteris*, duobusque milliariis circiter a Blentina distabat: ita mihi asseruit Sebastianus Donatus Lucensis vir magna eruditione praeditus, & hominibus litteratis ob praeclara ejus opera notissimus.

(3) *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag.* 193. *&* 205.

(4) Vide *diploma Henrici IV. T. III. Annalium Camaldulensium in Append. n.* 207. *col.* 304.

(5) Confer Cencium Camerarium *in Libro censuum* R. E. apud Muratorium *T. V. Antiquit. Ital. Dissertat.* 69. *col.* 851. 903.

mo ex eo manifestum est, quod Petrus Lucae Antistes anno 918. confirmavit, & consecravit Walfredum in Abbatem Monasterii Sextiensis S. Salvatoris jam electum (1). In ea versor opinione, ut credam, Blentinam quoque olim fuisse in Dioecesi Lucensi. Etenim Saximundus Diaconus post concessam anno 793. Joanni Lucae Episcopo portionem, quam ipse habebat in diversis Monasteriis, ac praesertim in *Monasterio S. Andreae in loco Blentina*, haec habet: *constituo* [Monasteria] *esse in potestate tua, domnus Johannes Episcopus, gubernando, ordinando, & faciendo qui, & qualiter volueris in omnibus* (2): at Muratorio (3) judice, *Canones erant, quibus decernebatur, Monasteria sub illius potestate Episcopi esse, in cujus Paroecia, sive Dioecesi sita erant*. Itaque cum saeculo octavo Blentinense S. Andreae Monasterium sub Lucensis Antistitis potestate fuerit, quidni dicemus Blentinam, in Dioecesi Lucensi extitisse? Sequioribus vero temporibus etsi Blentina quod ad civilem gubernationem attinet, vel ad Pisanum Pontificem, vel ad Pisanam Rempublicam, vel demum ad Pisanos Cives fere semper spectaverit (4), illius tamen spiritale regimen usque ad saeculum decimum quartum apud Lucensem Episcopum fuisse, ex eo colligi posse videtur, quod in duobus catalogis (5), quorum alter anno 1277, alter anno 1292. confectus est, ac in utrisque pene omnes Ecclesiae in Dioecesi Pisana positae recensentur, Ecclesia Blentinensis non memoratur. Dubitari tamen non potest, quin memorata Ecclesia in Dioecesi Pisana fuerit post medium saeculum decimum quartum, & initium sequentis cum id manifeste appa-

(1) Tabulae sunt *T. VI. Antiquit. &c. Dissert. 70. col.* 1005.
(2) Ex Tabulis *T. V. op. cit. Dissert.* 65. *col.* 411.
(3) *Dissertatione cit. col.* 418.
(4) Vide clariss. Targionium *Relazioni d' alcuni viaggi fatti in diverse parti della Toscana ec. T. I. pag.* 188. *& seq.*
(5) Horum primum ex Vaticano Archivo mox publicabo; alterum vulgavit Paullus Troncius *Annali Pisani pag.* 271. *e seq.*

appareat ex aliis duobus catalogis (1); ex quibus item apertum fit, in hac Dioecesi saeculis citatis extitisse quoque celebre *Hospitale de Alto-passu*; quod antea etiam ad hanc ipsam Dioecesim spectasse constat ex altero catalogo anno 1292. scripto, & a Paullo Troncio publicato.

Doctissimus Muratorius auctoritate innixus unius cujusdam veteris monumenti narrat, Monasterium Sancti Michaelis Archangeli *de Verruca* saeculo decimo *sub regimine, & potestate Episcopatus Sancti Martini*, hoc est Lucensis fuisse: *anno Christi 999*, verba sunt Muratorii, *Gherardus Lucensis Episcopus Majoni Abbati Ecclesiae, & Monasterii Domini, & Salvatoris positi in loco Sexto libellario ordine concedit Ecclesiam, & Monasterium S. Michaelis Archangeli positum in loco Verruca, quod est sub regimine, & potestate Episcopatus Sancti Martini, ita ut ipse Abbas, ejusque successores.... quotannis Ecclesiae S. Martini persolvant argentum solidos octo bonorum Lucensium* (2). Quandoquidem Sacri Canones, ita uti cum Muratorio supra diximus, decernebant, ut Monasteria sub illius Episcopi potestate essent, in cujus Dioecesi posita erant, ex allato testimonio colligi posse videtur Monasterium *de Verruca* in Dioecesi Lucensi olim situm fuisse. Sed revera, ut libere dicam, quod sentio, vix, ac ne vix quidem persuadere mihi possum, laudati Monasterii spiritale regimen apud Episcopum Lucensem aliquando extitisse; hinc existimo, illud sub ejusdem Antistitis potestate, & regimine fuisse jure duntaxat patronatus,

(1) Catalogum anno 1371. scriptum paullo post in lucem emittam; alter qui inscribitur *Extimum* servatur in Tabulario *Operae* Eccl[esi]ae Primati[a]lis. Hujus exemplar dono accepi ab eruditissimo Flaminio *dal Borgo* Equite Stephaniano, & in Pisana Academia publico Jurisprude[n]tiae Professore. Quantum capio, catalogus iste, qui notis chronologicis caret, spectat ad initium saeculi decimiquinti.

(2) *T. V. op. cit. Dissert.* 65. *col.* 414.

tus, cum vetera monumenta aperte demonstrent, quod patronus etiam Monasteriorum potestatem habebat Monasteria ipsa *regendi*, *gubernandi*, *usufructuandi*, *& ordinandi*, *qualiter ei placitum fuerit* (1).

Ex hactenus disputatis nemo est, qui non videat, planeque agnoscat, difficile admodum esse, & arduum antiquos Dioecesis Pisanae fines determinare non solum ob certorum monumentorum defectum, sed etiam ob eorundem finium temporarias mutationes, quae, quantum existimo, acciderunt saeculo undecimo, & duobus sequentibus occasione bellorum, quae Pisani cum Florentinis, & Lucensibus gesserunt; cum enim hi finitimi populi continuas inter sese pugnas haberent, atque e multorum locorum possessione se invicem deturbarent, unde confusio maxima in civili regimine oriri debuit, non minorem in rectione Ecclesiastica ortam esse verisimillimum arbitror (2). Sed longe facile est definire, quos fines, terminosque haberet Dioecesis Pisana tum saeculo XIII. exeunte, tum posterioribus temporibus. Quo rem totam conficiam in communem usum dabo duos catalogos, ex quibus praeter hujus Dioecesis fines, plures Ecclesiae, nonnulla Monasteria, ac non pauci vici rustici jam eversi clare, & aperte nobis innotescunt. En primus catalogus anno 1277. confectus, & ex Tabulario Vaticano exscriptus, quem acceptum refero eruditissimo aeque, ac humanissimo Praesuli, & Comiti Josepho Garampio Basilicae Vaticanae Canonico, memorato Tabulario Praefecto, nec non Clementi XIII. ab epistolis per notas scriptis.

„ Liber dominorum Jacobi Abbatis Monasterii S. Pauli „ Ripae-Arni, & Opithonis Prioris Canonicae S. Silve„ stri de Pisis recollectorum decimarum pro subsidio

Ter-

(1) Vide monumenta apud Muratorium *Dissert. indic. col.* 413.
(2) In bellorum tumultibus Dioeceses mutuis mutationibus obnoxias fuisse affirmat celeberrimus Muratorius *Dissert.* 64. *col.* 328. *T. V.*

„ Terrae Sanctae super Monasteriis, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis exemptis Civitatis, & Dioecesis Pisanae deputatorum per discretum virum dominum Alcampum Praepositum Pratensem, & Apostolicae Sedis Nuncium in Tuscia, & Maritima super decimis colligendis pro dicto subsidio Terrae Sanctae per me Clarentem Not. quondam Bonamici Scriptoris deputatum Not. per ipsum dominum Alcampum ad haec scribenda in anno Domini 1277. Indict. VII. pro tertio anno decimae colligendae; quae solutiones decimarum omnes scriptae sunt singulariter in hoc libro, prout inferius continetur; quarum solutionum ratio, sive computatio diligenter, & cum sollepnitate facta est per eosdem recollectores simul cum dicto domino Alcampo Praeposito Pratensi in praesentia Ven. Patris domini Rogerii Archiepiscopi Pisani, & dd. Petri Archipresbyteri, & Orlandini Canonici Pisan. testium.

„ Archiepiscopatus Pisanus.
„ Monasterium S. Savini.
„ Monasterium S. Michaelis de Burgo.
„ Monasterium S. Zenonis.
„ Hospitale S. Zenonis.
„ Monasterium S. Fridiani.
„ Hospitale S. Fridiani.
„ Monasterium S. Michaelis Discalceatorum.
„ Hospitale S. Pauli Ripae Arni.
„ Monasterium S. Andrae de Barattolaria.
„ Ecclesia S. Concordii.
„ Canonica S. Torpetis Humiliatorum.
„ Canonica S. Nicolai de Milliarino.
„ Monasterium S. Stephani de Cintorio.
„ Monasterium S. Vivianae de Filetulo.
„ Heremus S. Salvatoris supra Vicum.
„ Hospitale Pontis Herae
„ Heremus S. Jacobi de Aqua viva.
„ Heremus S. Mariae de Caprolecchio.
„ Monasterium SS. Viti, & Gorgonii.
„ Hospitale S. Viti

„ Heremus S. Alexandri de Monte Magno.
„ Ecclesia S. Michaelis de Travalda.
„ Ecclesia S. Thomae de Travalda.
„ Ecclesia S. Martini de Vettula.

Sequitur catalogus Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum non exemptorum.

„ Canonica Pisana.
„ Opera Canonicae Pisanae.
„ Opera S. Joannis Baptistae.
„ Hospitale Canonicae Pisanae.
„ Cappellania Altaris S. Augustini Majoris Ecclesiae.
„ Cappellania Magist. Scholar. Majoris Ecclesiae.
„ Cappellania Sagristiae Majoris Ecclesiae Pisanae.
„ Ecclesia S. Salvatoris de Ponte.
„ Ecclesia S. Blasii de Ponte.
„ Ecclesia S. Alexandri.
„ Ecclesia S. Georgii de Ponte.
„ Ecclesia S. Bartholomaei de Lanfranchis.
„ Ecclesia S. Thomae Apostoli.
„ Ecclesia S. Eufraxiae.
„ Ecclesia S. Jacobi de Speronariis.
„ Ecclesia S. Bartholomaei de Pochis.
„ Ecclesia S. Simonis Portae Maris.
„ Ecclesia S. Isidori.
„ Ecclesia S. Blasii de Catena.
„ Ecclesia S. Georgii Portae Maris.
„ Ecclesia S. Donati.
„ Ecclesia S. Laurentii de Pillicciaria.
„ Canonica S. Martini in Guazzolungo.
„ Ecclesia S. Marci extra Portam.
„ Hospitale S. Andreae in Barattolaria.
„ Ecclesia S. Christophani de Kinthica.
„ Ecclesia S. Laurentii de Kinthica.
„ Ecclesia S. Sebastiani de Kinthica.
„ Ecclesia S. Aegidii de Pisis.
„ Ecclesia S. Christinae.
„ Hospitale S. Martini de Kinthica.

„ Ec-

,, Ecclesia S. Cassiani.
,, Ecclesia S. Joannis Gaitanorum.
,, Canonica S. Petri ad vincula.
,, Ecclesia S. Jacobi de Mercato.
,, Canonica S. Pauli ad Hortum.
,, Ecclesia S. Andreae de Forisporta.
,, Monasterium Dominarum S. Matthaei.
,, Cappellania DD. Monasterii S. Matthaei.
,, Ecclesia S. Lucae.
,, Ecclesia S. Barnabae.
,, Ecclesia S. Marci Portae Calcisanae.
,, Ecclesia S. Vivianae.
,, Canonica S. Jacobi de Orticaria.
,, Ecclesia S. Salvatoris de Portorio.
,, Ecclesia S. Martini de Petra.
,, Ecclesia S. Clementis.
,, Ecclesia S. Bartholomaei de Herithis.
,, Ecclesia S. Philippi.
,, Ecclesia S. Petri de Palude.
,, Ecclesia S. Margaritae.
,, Ecclesia S. Mariae Virginis.
,, Hospitale S. M. Virginis
,, Ecclesia S. Hilarii.
,, Ecclesia S. Petri de Curteveteri.
,, Ecclesia S. Sebastiani de Fabricis.
,, Ecclesia S. Ambrosii.
,, Ecclesia S. Felicis.
,, Ecclesia S. Ceciliae.
,, Ecclesia S. Luciae de Cappellariis.
,, Ecclesia S Petri de Iscla.
,, Ecclesia S. Thomae Martyris.
,, Ecclesia S. Simonis de Parlascio.
,, Ecclesia S. Justi de Parlascio.
,, Ecclesia S. Leonardi in Pratuscella.
,, Ecclesia S. Agnetis.
,, Ecclesia S. Luciae de Ricucco.
,, Ecclesia S. Laurentii de Rivolta.
,, Monasterium Dominarum S. Stephani.
,, Cappellania Monast. DD. S. Stephani.
,, Cappellania Baptisterii majoris Ecclesiae Pisanae.
,, Ecclesia S. Nicolai de Portu Pisano.
,, Canonica S. Petri ad Gradus.

,, Ec-

„ Eccleſia S. Hermetis de Orticaria.
„ Eccleſia S. Bartholomaei de Putignano.
„ Eccleſia S. Stephani de Faſciano.
„ Eccleſia S. Juſti in Caniccio.
„ Eccleſia S. Blaſii de Ciſanello.
„ Eccleſia S. Petri de Ciſanello.
„ Eccleſia S. Juſti de Ciſanello.
„ Eccleſia S. Petri de Macadio.
„ Eccleſia S. Proſperi de Macadio.
„ Hoſpitale S. Nicolai Manni.
„ Eccleſia S. Chriſtophani de Bottano.
„ Eccleſia S. Joannis de Monte-Piſano.
„ Hoſpitale S. Bartholomaei de Monte-Piſano.
„ Plebs S. Caſſiani.
„ Eccleſia S. Laurentii de Pagnatico.
„ Eccleſia S. Michaelis de Caſciaola.
„ Eccleſia S. Fridiani de Gunfo.
„ Eccleſia S. Bartholomaei de Moranis.
„ Eccleſia S. Salvatoris de Uliveto.
„ Eccleſia S. Michaelis de Celajano.
„ Eccleſia S. Jacobi de Navachio.
„ Eccleſia S. Stephani de Maciorata.
„ Eccleſia S. Petri de Caſtello.
„ Eccleſia S. Benedicti de Septimo.
„ Eccleſia S. Miniatis de Marciano.
„ Eccleſia S. Michaelis de Marciano.
„ Eccleſia S. Proſperi de Uliveto.
„ Eccleſia S. Mariae de Trebbio.
„ Eccleſia S. Proſperi de Viacava.
„ Eccleſia S. Fridiani de Lama.
„ Eccleſia S. Mariae de Sambra.
„ Plebs Sancti Laurentii in Piazza.
„ Eccleſia S. Luciae de Podio Sigerii.
„ Eccleſia S. Andreae de Nuvila.
„ Eccleſia Sancti Nicolai de Farneta.
„ Monaſterium SS. Apoſtolorum.
„ Plebs S. Laurentii de Curtibus.

„ E:-

„ Ecclesia S. Michaelis de Oratorio.
„ Ecclesia S. Stephani de Pectori.
„ Ecclesia S. Petri de Usignano.
„ Ecclesia Sancti Stephani de Scorno.
„ Ecclesia Sancti Joannis de Quarto.
„ Ecclesia S. Andreae de Ripuli.
„ Ecclesia Sancti Martini de Scorno majori.
„ Ecclesia Sancti Martini de Musiliano.
„ Plebs S. Joannis de Pugnano.
„ Ecclesia S. Michaelis de Lugnano.
„ Ecclesia S. Laurentii de Malaventre.
„ Ecclesia S. Simonis de Nodica.
„ Ecclesia S. Quirici de Lugnano.
„ Ecclesia S. Andreae de Cociliano.
„ Ecclesia S. Andreae de Castellari.
„ Ecclesia S. Petri de Latignano.
„ Ecclesia Sancti Fridiani de Canneto.
„ Ecclesia Sancti Stephani de Canneto.
„ Ecclesia S. Hilarii de Cascina.
„ Ecclesia S. Michaelis de Rinonico.
„ Plebs S. Joannis de Calci.
„ Canonica S. Augustini de Rethano.
„ Ecclesia S. Stephani de Vicascio.
„ Ecclesia Sanctae Mariae de Monte-Magno.
„ Ecclesia Sancti Martini de Monte-Magno.
„ Ecclesia S. Mariae de Guilliarada.
„ Ecclesia S. Andreae de Lama.
„ Ecclesia S. Salvatoris de Colle.
„ Ecclesia S. Michaelis de Castro majori.
„ Ecclesia Sancti Donati de Calci.
„ Ecclesia S. Luciae de Casale.
„ Ecclesia S. Mariae de Culminezo.
„ Plebs S. Joannis de Calcinaria.
„ Ecclesia SS. Jacobi, & Chrystophori de Rapida.
„ Ecclesia S. Andreae de Alfiano.
„ Ecclesia S. Georgii.
„ Ecclesia S. Quirici.

„ Ec-

,, Ecclesia Sancti Fridiani de Trechese.
,, Ecclesia S. Petri de Curte.
,, Ecclesia S. Michaelis de Almezano.
,, Ecclesia S. Laurentii de Anghio.
,, Ecclesia S. Michaelis de Pianezole.
,, Ecclesia Sanctae Mariae de Montechio.
,, Canonica SS. Jacobi, & Philippi de Ponte-Herae.
,, Ecclesia S. Laurentii de Rapida.
,, Plebs S. Petri de Rivulo.
,, Ecclesia SS. Quirici, & Julittae.
,, Ecclesia S. Pontiani de Tobiano.
,, Ecclesia S. Alexandri de Vecchiana majori.
,, Ecclesia S. Andreae de Pescajola.
,, Ecclesia S. Mariae de Castello.
,, Plebs S. Joannis de Buiti.
,, Ecclesia S. Mariae de Panicale.
,, Ecclesia S. Donati.
,, Ecclesia SS. Jacobi, & Chryftophori.
,, Ecclesia S. Laurentii de Cintorio.
,, Ecclesia Sancti Cassiani de Buiti.
,, Ecclesia S. Michaelis de Castello.
,, Ecclesia Sancti Georgii de Buiti.
,, Plebs S. Joannis de Scotriano.
,, Ecclesia S. Bartholomaei de Lorenzana.
,, Ecclesia S. Chryftophori.
,, Ecclesia S. Martini de Palliano.
,, Plebs S. Juliae de Caprona.
,, Ecclesia S. Martini de Crispignano.
,, Ecclesia S. Blasii de Castello.
,, Ecclesia S. Pantaleonis de Campo.
,, Ecclesia S. Laurentii de Campo.
,, Ecclesia Sancti Justi de Campo.
,, Ecclesia S. Bartholomaei de Campo.
,, Ecclesia S. Mariae de Mezano.
,, Ecclesia S. Chryftophori de Colognora.
,, Ecclesia S. Ferdiani de Viacava.
,, Plebs de Cascina
,, Plebs Sancti Joannis de Rena.
,, Plebs S. Joannis de Limone.

,, Ec-

„ Ecclesia S. Michaelis de Ghezano.
„ Ecclesia S. Joannis de Ghezano.
„ Plebs S. Mariae de Vico.
„ Ecclesia S. Stephani de Vico.
„ Ecclesia S. Leonardi de Vico.
„ Ecclesia S. Simonis de Vico.
„ Canonica S. Mamiliani de Lupete.
„ Ecclesia S. Michaelis de Arbaula.
„ Ecclesia S. Hilarii de Piro.
„ Ecclesia S. Jacobi de Gafagio.
„ Plebs S. Stephani de Pomario.
„ Monasterium S. Quirici de Collinis.
„ Monasterium S. Salvatoris de Collinis.
„ Plebs S. Laurentii de Massaciucculi.
„ Ecclesia S. Donati de Balbano.
„ Ecclesia S. Prosperi de Bozano.
„ Monasterium S. Michaelis de Quiesa.
„ Plebs S. Joannis de Vena
„ Plebs S. Joannis de Camajano.
„ Plebs S. Pauli de Lardenza.
„ Ecclesia S. Martini de Salviano.
„ Plebs S. Joannis de Rasignano.
„ Plebs S. Joannis de Vallonoto.
„ Ecclesia S. Mariae de Ripalbella.
„ Ecclesia S. Andreae de Bellora.
„ Plebs S. Christinae de Avana.
„ Plebs S. Joannis de Vada.
„ Ecclesia S. Laurentii de Colmezana.
„ Plebs S. Lucae de Collina.
„ Plebs S. Joannis de Limone.
„ Plebs S. Juliae de Liburna.
„ Plebs S. Jacobi de Vicarello.
„ Plebs S. Joannis de Asciano.

Alter catalogus anno communi 1371. scriptus servatur in Archivo publico Archiepiscopatus in Libro *in folio*, ut ajunt, chartaceo quidem, sed membrana cooperto, in cujus exteriori parte haec leguntur caractere recentiori:

tiori : *Nomi delle Chiese della Diocesi di Pisa dell' anno 1372. compilati da P. Niccolò di Giovanni Priore di Santo Luca di Pisa*. Hunc item Catalogum vulgandum esse censemus, quoniam est altero copiosior, & in clariorem ordinem redactus, ex ipsoque dignoscitur publicus census, quem unaquaeque Ecclesia, & Monasterium solvebat, ac proinde quinam essent illorum fundi. Litterarum, quae sunt in margine, haec est significatio: littera E. significat *Extimum*, L. monetam *Libram* vocatam, S. *Solidum*, D. *Danarium*.

„ In nomine Domini amen. Hic est Liber Presbyteri
„ Nicolai Filii Joannis Rectoris S. Lucae Camerarii Cleri
„ Pisani non exempti, inceptus tempore DD. Oddonis
„ de Gualandis Canonici Pisani, Vugolini Malpilei Ca-
„ nonici Pisani, Jacobi Prioris S. Dopnini, Fratris Ja-
„ cobi Rectoris S. Felicis Dominicae Incarnationis anno
„ millesimo trecentesimo septuagesimo secundo, Indict. 9.
„ die 15. Julii. Imprimis facta fuit impositio Floreno-
„ rum trecentorum per strenuos Capitaneos, qui praestiti
„ fuerant Communi Pisano anno suprascritto : qui Flo-
„ reni positi fuerunt ad rationem solidorum triginta no-
„ vem pro Libra.

E. L. 42. Archiepiscopatus Pisanus cum suis Beneficiis annessis -- solvit L. 81. D. 18.
E. L. 50. Capitulum Pisanum.
E. L. 18. Monasterium de Quiesa.
E. L. 15. Monasterium s. Stephani ultra Auxere.
E. L. 7. Monasterium s. Matthaei.
E. L. 5. Monasterium Ss. Apostolorum de Collinis.
E. L. 5. Monasterium s. Salvatoris de Collinis.
E L. 3. Monasterium s. Quirici de Collinis.
E. S. 10. Monasterium s. Mariae in Silva.
E. L. 3. Monasterium s. Pauli de Pugnano.
E. L. 1. Monasterium s. Andreae de Lupeto.

E. L.

E. S. 5. Monasterium s. Annae.
E. L. 42. Monasterium Ss. Augustini de Rhetano, & Paulli ad Ortum de Pisis.
E. L. 20. Prioratus s. Martini Kinsicae.
E. L. 12. Prioratus s. Petri ad Gradus.
E. L. 12. Prioratus s. Petri ad Vincula cum Hospitali suo.
E. L. 2. S. 10. Prioratus s. Silvestri.
E. L. 3. S. 10. Prioratus s. Mamiliani.
E. L. 6. Prioratus de Miliarino.
E. S. 5. Prioratus de Tumulo.
E. L. 10. S. 10. Prioratus s. Jacobi de Orticaria.
E. L. 3. Prioratus de Vectula.
E. L. 5. Prioratus s. Sixti.
E. L. 1. S. 10. Prioratus s. Donnini.
E. S. 5. Prioratus s. Cadaldi.
E. L. 1. Ecclesia s. Justi in Canniccio.

In Ponte.

E. S. 9. D. 5. Ecclesia s. Salvatoris.
E. S. 9. D. 9. Ecclesia s. Blasii in Ponte.
E. S. 11. D. 9. Ecclesia s. Bartholomaei de Lanfranchis.
E. S. 9. D. 10. Cappellania s. Stephani.
E. S. 10. Ecclesia s. Georgii Archiepiscopatus.
E. L. 1. S. 5. Ecclesia s. Georgii Theutonicorum.
E. S. 18. D. 2. Ecclesia s. Alexandri.
E. S. 9. Ecclesia s. Thomae.
E. S. 6. D. 10. Ecclesia s. Chrystophori.
E. L. 1. D. 5. Ecclesia s. Eufraxiae.
E. S. 10. D. 1. Ecclesia s. Bartholomaei de Peccis.
E. S. 16. Ecclesia s. Jacobi de Speronaria.
E. S. 16. D. 2. Ecclesia s. Simonis in Porta Maris.
E. S. 18. D 5. Ecclesia s. Georgii in Porta Maris.
E. S. 8. D. 3. Ecclesia s. Isidori.
E. S. 5. D. 8. Ecclesia s. Blasii de Cathenis.
E. L. 2. D. 6. Ecclesia s. Donati.

E. L. 1. S. 15. D. 4. Ecclesia s. Luciae de Ricuccho.
E. S. 7. Ecclesia s. Agnetis.
E. S. 10. D. 7. Ecclesia s. Leonardi in Pratucello.
E. S. 10. D. 2. Ecclesia s. Laurentii in Pelliparia.
E. S. 8. D. 3. Ecclesia s. Concordii.

In medio.

E. S. 9. D. 3. Ecclesia s. Petri in Curte veteri.
E. S. 9. D. 10. Ecclesia s. Sebastiani de Fabricis majoribus.
E. S. 12. D. 2. Ecclesia s. Thomasi ad Parlascium.
E. S. 15. D. 2. Ecclesia s. Simonis ad Parlascium.
E. S. 8. Ecclesia s. Justi ad Parlascium.
E. S. 17. D. 2. Ecclesia s. Laurentii de Rivolta.
E. S. 14. D. 6. Ecclesia s. Petri ad Ischiam.
E. S. 17. D. 2. Ecclesia s. Ceciliae.
E. S. 13. D. 6. Ecclesia s. Luciae de Cappellaris.
E. S. 10. Ecclesia s. Felicis.
E. S. 26. D. 2. Ecclesia s. Philippi de Vicecomitibus.
E. S. 38. Ecclesia s. Bartholomaei de Hericis.
E. S. 9. D. 7. Ecclesia s. Petri in Palude.
E. S. 11. D. 5. Ecclesia s. Clementis.
E. L. 2. S. 15. Ecclesia s. Martini de Petra.
E. S. 9. D. 4. Ecclesia s. Salvatoris in Portorio.
E. S. 11. D. 8. Ecclesia s. Mariae Virginis.
E. S. 14. Ecclesia S. Hilarii.
E. S. 17. D. 6. Ecclesia s. Margaritae.
E. S. 5. D. 8. Ecclesia s. Ambrosii.
E. S. 7. D. 8. Ecclesia s. Gregorii.

Foris Porte.

E. S. 9. D. 2. Ecclesia s. Marci viae Calcisanae.
E. S. 11. D. 10. Ecclesia s. Barnabae.
E. S. 11. D. 10. Ecclesia s. Lucae.
E. S. 24. D. 3. Ecclesia s. Vivianae.

E. S.

E. S. 11. D. 5. Cappellania s. Matthaei.
E. S. 24. D. 2. Ecclesia s. Andreae.
E. S. 16. D. 4. Ecclesia s. Jacobi.

Kinsice.

E. S. 20. D. 8. Ecclesia s. Marci de Burgo.
E. S. 28. Ecclesia s. Chrystophori.
E. S. 42. Ecclesia s. Laurentii.
E. S. 9. D. 8. Ecclesia s. Benedicti.
E. S. 9. D. 2. Ecclesia s. Verani.
E. S. 21. Ecclesia s. Aegidii.
E. S. 30. D. 9. Ecclesia s. Sebastiani.
E. S. 34. D. 10. Ecclesia s. Cosmae.
E. S. 35. D. 6. Ecclesia s. Christinae.
E. S. 10. Ecclesia s. Mariae Magdalenae.
E. S. 17. D. 4. Ecclesia s. Cassiani.
E. S. 61. Ecclesia s. Joannis Gaitanorum.

In Plebatu majoris Ecclesiae.

E. S. 24. D. 6. Ecclesia s. Stephani de Fagiano.
E. S. 44. D. 2. Ecclesia s. Bartholomaei de Putignano.
E. S. 34. D. 4. Ecclesia s. Blasii de Cisanello.
E. S. 9. Ecclesia s. Petri de Cisanello.
E. S. 4. D. 6. Ecclesia s. Justi de Cisanello.
E. S. 6. Ecclesia s. Petri de Macadio.
E. S. 13. D. 4. Ecclesia s. Christophori de Boctano.
E. S. 3. D. 10. Ecclesia S. Donati de Boctano.
E. S. 7. Ecclesia s. Laurentii de Burgo novo.
E. S. 6. D. 8. Ecclesia s. Martini de Rethe.
E. S. 6. D. 10. Ecclesia s. Joannis de Campo lungo.
E. S. 5. D. 8. Ecclesia s. Joannis de Gello.
E. S. 8. Ecclesia s. Prosperi de Macadio.
E. S. 7. D. 6. Ecclesia s. Apolenaris.
E. S. 5. D. 8. Ecclesia s. Michaelis de Casadio.

In

In Plebatu Massaciuculi.

E. S. 34. Plebes (*sic*) de Massaciuculi.
E. S. 34. Ecclesia s. Prosperi de Bozzano.
E. S. 30. Ecclesia s. Donati de Balbano.
E. S. 22. Ecclesia s. Barbarae de Chiatri.

In Plebatu de Arena.

E. S. 18. D. 3. Plebes de Arena.
E. S. 6. D. 8. Ecclesia s. Martini de Albaro.
E. S. 11. D. 8. Ecclesia s. Ilarii de Piro.
E. S. 5. Ecclesia s. Stephani de Rilione.
E. S. 15. D. 6. Ecclesia s. Jacobi de Cafadio-Regio.
E. S. 10. D. 10. Ecclesia s. Michaelis de Albaula.
E. S. 3. D. 4. Ecclesia s. Pontiani.

In Plebatu de Avena.

E. S. 8. Plebes de Avena.
E. S. 2. Ecclesia s. Salvatoris.
E. S. 5. Ecclesia s. Stephani.

In Plebatu Rivuli.

E. S. 25. Plebes de Rivuli.
E. S. 17. Ecclesia s. Andreae in Pescaiuola.
E. S. 3. Ecclesia s. Salvatoris de Carraria.
E. S. 7. D. 3. Ecclesia s. Cassiani de Metato.
E. S. 10. D. 6. Ecclesia s. Pontiani de Tabbiano.
E. S. 5. Ecclesia s. Blasii de Vulmiano.
E. S. 3. Ecclesia s. Martini de Vulmiano.
E. S. 5. Ecclesia s. Mauritii de Filectulo.
E. S. 8. Ecclesia s. Petri de Covinaria.
E. S. 5. Ecclesia s. Mariae de Papiana.
E. S. 7. D. 9. Ecclesia s. Joannis de Limiti.
E. S. 2. D. 5. Ecclesia s. Bartholomaei de Orsignano.
E. S. 20. Ecclesia s. Alexandri de Vecchiano.
E. S. 1. D. 5. Ecclesia s. Matthaei de Bucugano.

E. S. 35. Ecclesia s. Mariae de Castello.
E. S. 7. Ecclesia s. Justi ad Cappella.
E. S. 10. Ecclesia Ss. Quirici, & Julictae.

In Plebatu Pugnani.

E. S. 26. Plebes de Pugnano.
E. S. 5. D. 1. Ecclesia s. Fabiani de Quosa.
E. S. 13. D. 6. Ecclesia s. Michaelis de Lugnano.
E. S. 7. D. 6. Ecclesia s. Justi de Pratignone.
E. S. 6. D. 6. Ecclesia s. Cassiani de Colognoli.
E. S. 4. D. 6. Ecclesia s. Georgii de Mutigliano.
E. S. 9. Ecclesia s. Petri de Malaventre.
E. S. 2. D. 6. Ecclesia s. Luciae de Lugnano.
E. S. 6. D. 1. Ecclesia s. Michaelis de Lame.
E. S. 4. D. 6. Ecclesia s. Bartholomaei de Vecchiano.
E. S. 7. Ecclesia s. Frediani de Vecchiano.
E. S. 10. D. 5. Ecclesia s. Simonis de Nodica.
E. S. 7. Ecclesia s. Michaelis de Vecchialitio.
E. S. 11. Ecclesia s. Laurentii de Malaventre.
E. S. 5. D. 2. Ecclesia s. Philippi de Vecchialitio.
E. S. 12. Ecclesia s. Mariae de Laiano.
E. S. 15. Plebes de Asciano.

In Plebatu de Calci.

E. L. 6. Plebes de Calci.
E. S. 11. D. 5. Ecclesia s. Stephani de Vicascio.
E. S. 11. D. 5. Ecclesia s. Frediani de Agnano.
E. S. 10. D. 2. Ecclesia S. Petri de Vicascio.
E. S. 10. D. 4. Ecclesia s. Viti.
E. S. 10. D. 8. Ecclesia s. Mariae de Monte Magno.
E. S. 8. Ecclesia s. Martini.
E. S. 7. D. 8. Ecclesia s. Petri de Cerbaria.
E. S. 7. D. 4. Ecclesia s. Mariae de Guilgliarada.
B. S. 12. D. 6. Ecclesia s. Donati.
E. S. 9. D. 6. Ecclesia s. Bartholomaei.

E. S.

E. S. 10. Ecclesia s. Mariae de Colminessa.
E. S. 6. Ecclesia s. Andreae de Campo.
E. S. 14. D. 2. Ecclesia s. Luciae de Casali.
E. S. 15. D. 8. Ecclesia s. Michaelis de Castro majori.
E. S. 10. D. 1. Ecclesia s. Salvatoris de Colle.
E. S. 8. D. 2. Ecclesia s. Andreae de Lama.

In Plebatu Capronae.

E. L. 4. Plebes de Caprona.
E. S. 15. D. 5. Ecclesia s. Justi de Campo.
E. S. 8. D. 2. Ecclesia s. Blasii de Castello.
E. S. 12. D. 8. Ecclesia s. Victoris de Campo.
E. S. 4. D. 2. Ecclesia s. Pantaleonis.
E. S. 10. D. 7. Ecclesia s. Martini de Crespignano.
E. S. 7. D. 6. Ecclesia s. Michaelis de Gessano.
E. S. 11. D. 8. Ecclesia s. Laurentii de Campo.
E. S. 8. Ecclesia s. Mariae de Mezana.
E. S. 11. D. 7. Ecclesia s. Joannis de Gessano.
E. S. 10. D. 6. Ecclesia s. Christophori de Colignuola.

In Plebatu de Vena.

E. L. 2. S. 18. Plebes s. Joannis de Vena.
E. S. 8. Ecclesia s. Laurentii de Cesano.
E. S. 10. Ecclesia s. Bartholomaei de Schetocculi.
E. S. 9. D. 10. Ecclesia s. Martini de Cesano.
E. S. 7. Ecclesia s. Mariae de Cesano.
E. S. 7. D. 6. Ecclesia s. Donati de Cesano.

In Plebatu de Vico.

E. L. 3. S. 4. D. 1. Plebes de Vico.
E. S. 16. Ecclesia s. Stephani.
E. S. 16. Ecclesia s. Michaelis.
E. S. 14. D. 3. Ecclesia s. Leonardi.
E. L. 1. S. 9. D. 8. Ecclesia s. Simonis.

In

In Plebatu de Buti.

E. L. 2. Plebes de Buti.
E. S. 9. Ecclesia s. Laurentii de Cintoria.
E. S. 17. Ecclesia s. Donati.
E. S. 7. Ecclesia s. Michaelis de Castello.
E. S. 11. Ecclesia s. Martini.
E. S. 8. Ecclesia s. Petri de Farneto.
E. S. 12. Ecclesia ss. Jacobi, & Christophori.
E. S. 7. Ecclesia ss. Ipoliti, & Cassiani.
E. S. 9. Ecclesia s. Mariae de Panicali.
E. S. 11. Ecclesia s. Georgii.

In Plebatu Calcinarie.

E. L. 4. Plebes de Calcinaria.
E. S. 12. D. 8. Ecclesia s. Michaelis de Almessano.
E. S. 5. Ecclesia s. Frediani de Tredeci.
E. S. 7. Ecclesia s. Tomasi de Travalda.
E. S. 17. D. 4. Ecclesia s. Stephani de Puntoni.
E. L. 1. S. 8. D. 9. Ecclesia s. Frediani de Trechese.
E. S. 16. D. 7. Ecclesia s. Mariae de Montechio.
E. S. 13. D. 7. Ecclesia s. Quirici.
E. S. 14. D. 9. Ecclesia s. Andree de Alfiano.
E. S. 19. D. 10. Ecclesia s. Georgii.
E. S. 1. D. 3. Ecclesia s. Martini Pontis-Here.
E. S. 9. D. 4. Ecclesia s. Laurentii de Porta.
E. S. 17. D. 9. Ecclesia s. Andree de Sala.
E. S. 9. Ecclesia s. Laurentii de Anghio.
E. S. 6. D. 6. Ecclesia s. Justi de Blentina.
E. S. 14. D. 9. Ecclesia s. Petri de Blentina.
E. S. 7. D. 3. Ecclesia s. Michaelis de Pianessuli.
E. S. 23. Praepositura Pontis-Here.
E. L. 2. Ecclesia s. Michaelis de Travalda.

In Plebatu Cascine.

E. L. 4. D. 1. Plebes de Cascina.
E. S. 15. Ecclesia s. Martini de Pergula.
E. L. 1. S. 2. Ecclesia s. Ilarii de Cascina.
E. L. 2. S. 4. Ecclesia ss. Quirici, & Julictae de Lugnano.
E. S. 9. Ecclesia ss. Bartholomei, & Blasii.
E. S. 12. Ecclesia s. Frediani de Canneto.
E. S. 11. Ecclesia s. Stephani de Canneto.
E. L. 2. S. 6. Ecclesia s. Michaelis de Rinonichi.
E. L. 1. S. 2. Ecclesia s. Andree de Castellari.
E S. 4. Ecclesia s. Quirici de Treciato.
E. S. 12. Ecclesia s. Martini de Valle.
E. S. 22. Ecclesia s. Andree de Cucitiano.
E. S. 20. Ecclesia s. Petri de Latignano.

In Plebatu S. Cassiani.

E. L. 5. S. 5. Plebes s. Cassiani.
E. L. 1. Ecclesia s. Mariae de Sanbra.
E. L. 1. S. 1. Ecclesia s. Stephani de Macerata.
E. S. 10. Ecclesia s. Jacobi de Navachio.
E. S. 7. Ecclesia s. Andree de Moscaiuola.
E. S. 11. Ecclesia s. Benedicti de Septimo.
E. S. 6. Ecclesia s. Martini de Balneo.
E. S. 16. Ecclesia s. Prosperi de Oliveto.
E. S. 18. Ecclesia s. Bartholomei de Moronis.
E. S. 12. Ecclesia s. Georgii de Bibiano.
E. L. 1. S. 1. Ecclesia s. Michaelis de Casciaula.
E. L. 1. S. 3. Ecclesia s. Frediani de Gonfo.
E. S. 15. Ecclesia s. Frediani de Septimo.
E. S. 7. Ecclesia s. Ilarii.
E. S. 12. Ecclesia s. Michaelis de Celajano.
E. S. 14. Ecclesia s. Prosperi de Viacava.
E. S. 14. Ecclesia s. Petri de Castello.

E. S.

E. S. 14. Ecclesia s. Miniatis de Macerata.
E. S. 12. Ecclesia s. Laurentii de Pagnatico.
E. S. 14. Ecclesia s. Salvatoris de Oliveto.
E. S. 5. Ecclesia s. Petri de Pagnatico.
E. S. 19. Ecclesia s. Mariae de Trebbio.
E. S. 12. Ecclesia s. Martini de Vignuola.
E. S. 11. Ecclesia s. Michaelis de Marciana.

In Pleabu S. Laurentii de Curtibus.

E. L. 2. S. 10. Plebes s. Laurentii de Curtibus.
E. S. 6. Ecclesia s. Quirici de Ciriliano.
E. S. 17. Ecclesia s. Michaelis de Oratorio.
E. S. 15. Ecclesia s. Petri de Visignano.
E. S. 20. Ecclesia s. Martini de Scorno.
E. S. 14. Ecclesia s. Stephani de Scorno minori.
E. S. 6. Ecclesia s. Justi de Visignano.
E. S. 7. Ecclesia s. Jacobi de Sanbra.
E. S. 1. D. 4. Ecclesia ss. Philippi, & Jacobi.
E. S. 13. Ecclesia s. Donati de Montione.
E. S. 9. Ecclesia s. Stephani de Pettori.
E. S. 20. Ecclesia s. Joannis de Quarto.
E. S. 19. Ecclesia s. Ilarii de Titignano.
E. S. 7. Ecclesia ss. Ipoliti, & Cassiani de Rilione.
E. S. 1. Ecclesia s. Frediani de Grumulo.
E. S. 17. Ecclesia s. Andree de Ripuli.
E. S. 15. Ecclesia s. Lucie de Ripuli.
E. S. 7. Ecclesia s. Martini de Musiliano.
E. S. 9. Ecclesia s. Sisti de Pino.

In Plebatu Vicarelli.

E. S. 10. Plebes de Vicarelli.
E. S. 2. Ecclesia de Colle Salvetti.

In Plebatu S. Laurentii in Platea.

E. L. 2. S. 10. Plebes s. Laurentii in Platea.

E. S. 11. D. 8. Ecclesia s. Mariae de Monte Maximo.
E. D. 6. Ecclesia S. Michaelis de Cotone.
E. S. 3. D. 6. Ecclesia s. Michaelis de Valignano.
E. S. 6. D. 1. Ecclesia s. Lucie de Podio Sigerii.
E. S. 9. D. 9. Ecclesia s. Andree de Nubila.
E. S. 13. D. 6. Ecclesia s. Cassiani de Cugnano.
E. S. 10. Ecclesia s. Mariae de Nubila.
E. S. 11. D. 4. Ecclesia s. Reguli de Filicaria.
E. S. 2. D. 1. Ecclesia s. Georgii de Cugnano.
E. S. 1. D. 9. Ecclesia s. Lucie de Monte.
E. S. 10. D. 10. Ecclesia s. Marie de Castello Anselmi.
E. S. 10. D. 2. Ecclesia s. Nicolai de Farneta.
E. S. 6. D. 3. Ecclesia s. Michaelis de Curte.
E. S. 11. D. 10. Ecclesia s. Andree de Postignano.
E. S. 10. D. 6. Ecclesia s. Martini de Torciana.
E. S. 4. D. 8. Ecclesia s. Donati.
E. S. 4. D. 3. Ecclesia s. Justi de Colle Ronbuli.
E. S. 10. D. 7. Ecclesia s. Petri de Colognola.
E. S. 18. Ecclesia s. Justi de Parrana.

In Plebatu Scotriani.

E. S. 35. D. 8. Plebes de Scotriano.
E. S. 10. D. 3. Ecclesia s. Lucie de Luciana.
E. S. 3. Ecclesia s. Michaelis de Orciano.
E. S. 9. Ecclesia s. Christophori de Lorenzana.
E. S. 11. Ecclesia ss. Justi, & Blasii de Salecto.
E. S. 8. Ecclesia s. Martini de Pagliana.
E. S. 4. D. 7. Ecclesia s. Petri de Pagliana.
E. S. 11. Ecclesia s. Reguli de Sancto Regulo.
E. S. 1. Ecclesia s. Laurentii de Auli.

In Plebatu S. Luce de Collinis.

E. L. 1. S. 17. Plebes s. Luce de Collinis.
E. L. 1. S. 2. Ecclesia s. Bartholomei de Pastina.
E. S. 17. Ecclesia s. Lucie de Castello.

In

In Plebatu Pomarie.

E. L. 1. S. 8. Plebes de Pomaria.
E. S. 12. Ecclesia s. Jacobi de Montevaso.
E. S. 9. Ecclesia s. Michaelis de Guardia.
E. S. 10. Ecclesia s. Donati de Doglia.
E. S. 19. Ecclesia s. Joannis de Castellina.

In Plebatu Camajani.

E. L. 1. S. 11. Plebes de Camajano.
E. S. 11. Ecclesia s. Michaelis de Castro veteri.
E. S. 2. Ecclesia s. Martini de Cesari.
E. S. 7. Ecclesia s. Michaelis de Contrino.
E. S. 7. Ecclesia s. Nicolai de Popogna.

In Plebatu Rasignani.

E. L. 4. S. 14. Plebes de Rasignano.
E. S. 9. D. 5. Ecclesia s. Stephani de Colle.
E. S. 9. Ecclesia S. Bartholomei de Castilione.

In Plebatu Vade.

E. L. 1. S. 10. Plebes de Vada.
E. L. 1. Ecclesia s. Laurentii de Colmezzano.

In Plebatu de Valinetro.

E. L. 1. S. 9. Plebes de Valinetro.
E. S. 21. D. 4. Ecclesia s. Mariae de Ripalbello.
E. S. 15. D. 10. Ecclesia s. Andree de Belora.
E. S. 16. D. 8. Ecclesia s. Michaelis de Ripalbello.
E. S. 12. D. 2. Ecclesia s. Michaelis de Melis.

In Plebatu Limone.

E. L. 2. S. 5. Plebes de Limona.
E. S. 2. Ecclesia s. Petri de Prassana.
E. S. 5. Ecclesia s. Mariae de Oliveto.

In

In Plebatu Lardense.

E. L. 2. S. 12. D. 1. Plebes de Lardense.
E. L. 2. S. 2. Ecclesia s. Martini de Salviano.
E. S. 5. Ecclesia s. Felicis.

In Plebatu Liburne.

E. L. 5. S. 8. D. 4. Plebes de Liburna.
E. L. 1. S. 13. D. 4. Ecclesia s. Nicolai de Porto Pisano.
E. L. 3. Hospitale Pisani Capituli.
E. L. 5. Hospitale Case Invilie.
E. L. 4. Hospitale s. Martini Kinsice.
E. L. 2. Hospitale s. Marie Virginis.
E. L. 1. S. 10. Hospitale s. Leonardi in Pratucello.
E. L. 1. Hospitale s. Spiritus Trovatellorum.
E. L. 1. S. 10. Hospitale de Vico Pisano.
E. L. 2. S. 10. Hospitale s. Bartholomaei de Monte Pisano.
E. S. 10. Hospitale s. Marci vie Calcisane.
E. S. 4. Hospitale de Vicascio.
E. S. 5. Hospitale de Calci.
E. S. 4. Hospitale de Rinonichi.
E. S. 8. Hospitale s. Katerine.
E. S. 5. Hospitale de Liburna.
E. L. 1. Hospitale de Monte Magno.
E. S. 2. Heremus Montis Nigri.
E. S. 6. Hospitale Manni.

Sunt hae Paroeciae omnes, quae olim Dioecesim Pisanam constituebant; & licet non solum earum quaedam, sed vici etiam, in quibus erant nunc eversi funditus sint, ex illarum tamen numero hodierni item fines hujus Dioecesis colliguntur, siquidem plurium vicorum destructorum nomina adhuc supersunt. Hic tamen observari velim, *Camajanum*, ubi olim erat antiqua, & in monumentis Pisanis saepe memorata Ecclesia Sancti Joannis titulo Plebis ornata, diversum esse a vico *Camuliano* inter meridiem & orientem solem posito, cujus spiritale regi-

regimen est apud Episcopum Miniatensem, civile autem apud Niccolinios inter Florentinos nobilissimos, ac generosissimos viros. Aliter quidem existimat eruditissimus Targionius (1), qui de Camuliano loquens ait: *Egli è probabilmente quel Castello della Mensa Episcopale Pisana, che si trova nominato Cammaiano in una Cartapecora dell' anno 857. Camaiano in due del 1115, e Camuliano in due del 1129. publicate dal Signor Muratori*. Sed aliquid humani hic passus est vir clarissimus. Plebi namque Camaianensi suberant Ecclesiae S. Michaelis de Castro-veteri, S. Martini de Cesari, S. Michaelis de Contrino, & S. Nicolai de Popogna, ut constat, ex Ecclesiarum catalogo modò publicato: igitur Camaianum non longè distabat ab illis vicis; quod etiam non obscurè colligitur ex diplomate Anastasii IV. Romani Pontificis apud Paullum Troncium (2): multum verò distat a vicis memoratis Camulianum.

Quantum coniicio titulus *Plebis* ex Ecclesia Camaianensi translatus est ad Ecclesiam Gabbri, quod extat ubi olim extabat Contrinum. Camaianum verò erat in Paroecia Castri-novi vulgo *della Misericordia*, ubi nunc item videntur rudera veteris Ecclesiae, quae etiam in praesentia S. Joannis dicitur.

Quemadmodum in Dioecesi Pisana, ita etiam in Civitate ipsa plures Ecclesiae in modò vulgatis catalogis memoratae destructae sunt. Sed de his sermo nobis erit in peculiari omnium Ecclesiarum Pisanarum Historia, in qua pariter de Monasteriis, de domibus Hospitalibus, deque aliis piis, ut ajunt, locis; de Sanctis Pisanis, de hujus Ecclesiae Primatialis Capituli antiquitate, ac dignitate diligenter agemus. Interea ad seriem Pontificum Pisanorum contexendam descendimus.

I. GAU-

(1) *Relazioni d' alcuni viaggi ec. Tom. I. pag. 82. edit. 1751.*
(2) *Annali Pisani ad ann. 1153. pag. 83.*

I. GAUDENTIUS.

CRedibile est, ante Gaudentium Episcopum Pisanum, qui Concilio sub Melchiade Romae celebrato inter Pastores asse dit anno 313, extitisse plures, qui Pisanam Sedem, tametsi turbulentissimis temporibus, obtinuerint, quamquam vetustate vorante eorumdem nomina haud iterum reperienda perierint, inquit Ughellius (1) initio Historiae Ecclesiae Pisanae; cuius opinionem confirmant, quae ad calcem capitis primi Dissertationis observavimus. Quandoquidem vero Gaudentii decessorum nomina, & aetates ex nullo perspicuo, certoque monumento nobis affulgent, idcirco Pisanorum Praesulum seriem ab ipso Gaudentio (S. Perino ob rationes alibi adductas praetermisso) exordimur, quem anno superius laudato hanc Ecclesiam rexisse testis est S. Optatus Milevitanus (2). Troncius (3) in ea est sententia, ut credat, Gaudentium nostrum vixisse etiam anno 324., quo Romam iterum petiit ad Concilium eo anno 3. calendas Junias a Sancto Silvestro habitum. Certe quidem in eius Actis, quae sunt apud Labbeum (4) cum multis aliis Episcopis legitur quoque Gaudentius. Verum tum Acta, tum Concilium ab indocto impostore confictum fuisse communis est doctissimorum Criticorum opinio (5); quare nihil colligi ex iis potest ad ostendendum, Gaudentium anno citato populum Pisanum gubernasse.

SAN-

(1) *Col.* 347.
(2) *Lib.* 1. *De Schismate Donatist. pag.* 23. *edit.* 1702.
(3) *Annali Pisani pag.* 5.
(4) *Tom. I. col.* 1579. *Edit. Coleti.*
(4) Adisis Pagium *ad ann.* 324. *num.* 17. 18.

SANCTUS SENIOR.

Episcopus hic saeculi quinti initio vixit testibus Bollandianis (1), qui narrant, S. Patritium Hiberniae Apostolum ex Gallis in Italiam profectum anno 403., per septennium Eremitas, qui in montibus, & insulis morabantur, invisisse, ac tandem anno 410. Presbyterum, Angelo monente, consecratum apud *Seniorem* Episcopum triennio versatum esse. Hunc Pisanis praefuisse coniecerunt viri clarissimi modo laudati, ad quos respexisse videtur Fleurius (2) ita de S. Patritio scribens: *il fut ordonnè Prètre, & demeura trois ans aupres de Sainte Senieur, que l'on croit avoir ètè Eveque de Pise*. Dempsterus (3), Troncius, & Ughellius in Pisanorum Praesulum fastis *Seniorem* omiserunt, sed hunc retulit Martinius (4) licet fundamento levissimo innixus (5). Martinio subscribit Orlendius (6), qui *Seniorem* nonnisi Pisanum Episcopum fuisse, ex eo etiam coniecturam sumit, quod in vita S. Patritii legatur, hunc priusquam *Seniorem* ipsum adiret Monachos in montibus, & insulis Italiae habitantes visitasse; jam vero, inquit, *unus ex Italiae montibus Eremitarum incolatu claris celeberrimus omnium tunc erat mons Pisanus, ad quem ante Patritium aliquando S. Augustinus divertisse fertur, locusque* Rupe-cava *dictus hodie monstratur, ubi ille per aliquod tempus moram traxit. Insulae pariter Tyr-*

(1) *T. II. Martii ad diem 17. §. 5. Comment. praevii in vitam S. Patritii pag. 522.*

(2) *T. VI. Hist. Eccles. lib. 26. pag. 145. n. 13. edit. 1722.*

(3) *Etruria Regali T. II. l. 5. cap. 2.* ubi Pisanorum Pontificum Catalogum exhibet.

(4) *Ad calcem Appendicis ad Theat. Basilicae Pisan. in Paralipomenis edit. 1723.*

(5) Nititur praesertim auctoritate P. Joannis Croisset *T. III. Exercitiorum pietatis in mense Martio*, cuius etiam verba recitat.

(6) *Par. 2. vol. 2. Orbis Sacri, & prophani lib. 3. cap. 25.* Vide item *cap. 43. n. 12.*, ubi tamen dubitare se ait, utrum *Senior* Pisanus Episcopus fuerit: *non enim pro certo id asserere audeo, sed aliorum hac de re opinionem verisimilem arbitror.*

rheni maris ex tempestate Monachorum Asceteriis illustres apud omnes habebantur, praesertim Insula Gorgonia *nuncupata ad Pisanam Dioecesim tunc spectantes*. In memorata Insula quinto Ecclesiae saeculo ineunte Monachos exstitisse liquet ex Itinerario (1) Claudii Rutilii Numatiani, quod ipse anno circiter 417. Roma in Galliam rediens composuit. In montibus etiam Pisanis Monachos ea aetate versatos esse non diffiteor, tametsi apud Scriptores, imprimisque apud doctissimum Franciscum Mariam Florentinium, qui (2) in hisce rebus investigandis omnibus antecellit, gravissima argumenta, quibus sententiam suam Lectoribus persuadere queat, non invenerim: nihilo tamen minus Orlendii coniectura levior est, aut ego fallor, quam adducere quemquam ad credendum possit, Sanctum Seniorem fuisse Episcopum Pisanum.

II. N.

Peculiare huius Episcopi nomen ignoratur. Quantum coniicio, floruit post medium saeculum Ecclesiae quintum; idque inferri posse videtur ex monumento mox exhibendo. Successor illi fuit

III. JOANNES I.

Qui vixit sub saeculi quinti finem: ad hunc enim scribit Gelasius I. ab anno 492. ad annum 495. universae Ecclesiae Pastor. Fragmentum litterarum Gelasii ad Joannem nostrum, quod primum edidit Cardinalis *Deusdedit* in sua Canonum collectione, est huiusmodi: *Ecclesiastica ministeria, quae unicuique Basilicae fidelium devotio*

(1) *Lib.* 1. *v.* 516. *& seq. pag.* 23. *edit. C. Barthi.* In Insula quoque *Capraria* per eadem tempora Monachi versabantur teste eodem Numatiano *versu* 439. *pag.* 20. Consule etiam doctissimum Baronium *ad ann.* 398. *n.* 49. *& seq.*

(2) *De prima Thusciae Christianitate cap.* 8.

votio deputavit, ad aliam Ecclesiam nullo debent surripiente transferri. Et ideo si huius iuris portitoris petitio veritate subsistit, Calicem, quem decessor tuus abstulit Ecclesiae, cuius fuit, restitue sine intermissione (1).

Clarissimus Martinius (2) eiusdem Gelasii litteras publicavit *ex magna*, ut ille ait, *Regis Galliarum Bibliotheca MS.* deprompta *anno* 1474., quae datae dicuntur *Venerabili, & praedilecto filio Ivoni Archipresbytero Dei Genitricis Mariae Sanctae Pisensis Ecclesiae* 7. idus Februarii Asterio, & Praesidio VV. CC. Consulibus, hoc est anno 494., quo illi Consules fuerunt in Occidente (3). Si earum litterarum titulus verus esset, nonnulla ex iis decerpi possent, quibus Ecclesiae Pisanae Historia his praesertim temporibus multum obscura illustraretur. Sed suppostitius est, memorataeque litterae eaedem sunt ac illae primum ab eruditissimo Dacherio (4) editae, quas laudatus Pontifex anno citato 8. calendas Februarias misit ad Rusticum Lugdunensem Episcopum ipsi commendans S. Epiphanium Praesulem Ticinensem, qui una cum Victore Antistite Taurinensi a Theodorico Italiae Rege Legatus mittebatur ad Gundebadum Burgundiorum Regem Lugduni morantem pro Italis, qui in bello Ligustico capti fuerant, & in servitute apud hunc vivebant, redimendis. Non omisit sane impostor quaedam proprio arbitratu litteris a Martinio vulgatis adiicere, vel immutare, ut facilius merces suas incautis venderet; sic post illa verba in litteris Dacherianis: *ceterum frater noster Epiphanius, qui ad gentis suae relevandos, & redimendos captivos ad partes vestras destinatur*, addit: *iter inde per mare suscepturus*; & alia, quae fere ad litterarum calcem leguntur: *adiuva fratrem nostrum Epipha-*

P 2

(1) Exstant. *T. V. Concil. col.* 351.
(2) *Op. cit. in Append. pag.* 135.
(3) Pagius *ad eum ann. n.* 1., & Georgius *in notis ad ipsum*.
(4) *T. III. Spicilegii pag.* 304. *edit.* 1723. Hae litterae sunt item *T. V. Concil. col.* 384.

phanium, *& sentiat, quia me amas, & cum redierit ad propria scribat dilectio tua, tam quae tibi, quam quae fratribus nostris, & Coepiscopis per Gallias constitutis circa impiissimi Acacii caussam videbuntur*, sic immutat: *scribat dilectio tua, quando fuit idem iter aggressus, & quibus auxiliis; si quid autem novi de impiissimo Acacio e Gallia ad Civitatem tuam pervenerit, de eo cito me certiorem facere digneris*. Verum haec ipsa & impostoris malitiam, inscitiamque, & earumdem litterarum titulum confictum esse clarissime ostendunt. Quis enim sibi persuadere poterit, Epiphanium Ticino discedentem prius venisse Pisas, ut Lugdunum navigaret? Existimandum potius est, Ticino concessisse Taurinum, ubi morabatur Victor eius comes in itinere; & inde superatis alpibus in Galliam Celticam pervenisse; quod B. Ennodius Epiphanii discipulus, & successor aperte significat (1). Itaque nihil colligi potest pro huius Ecclesiae Historia ex litteris a Martinio in lucem emissis.

IV. N.

Pelagius huius nominis I. decimoquinto calendas Martii anno 15. post Consulatum Basilii V. C., ideoque anno aerae vulgaris 556. litteras misit ad septem Thusciae Annonariae Episcopos, *Gaudentium* scilicet, *Massimilianum*, *Gerontium*, *Justum*, *Terentium*, *Vitalem*, & *Laurentium*, eos graviter reprehendens, quod Ecclesiae communionem deseruissent, *inter Sacra Mysteria* nominis sui memoriam reticentes (2). Jam vero Episcopatus, de quibus certo constat, Pelagii aetate in Thuscia Annonaria fuisse, sunt Lunensis, nunc Sergianensis, Lucensis, Fesulanus, Pisanus, Florentinus, Aretinus, & Volaterranus,

(1) *In vita S. Epiphanii cap.* 11. *& seq.* apud Bollandum *T. II. Januarii ad diem* 21.

(2) Pelagii litterae sunt apud Baronium *ad ann.* 556. *num.* 30., *ac T. VI. Concil. n.* 6. *col.* 470.

nus, inquit doctissimus Lamius (1). Igitur verisimillimum est, ex memoratis Episcopis unum Pisanam Ecclesiam gubernasse. Sed quis illorum fuit? Deus aliquis viderit.

BEATUS ALEXANDER.

Troncius, Ughellius, ceterique Ecclesiae Pisanae monumentorum illustratores tribus Episcopis, quos ego nuperrime memoravi, praetermissis, aiunt, anno 643. in hac sedisse cathedra Alexandrum. Iis praeivit Dempsterus in catalogo Pisanorum Pontificum. At in Historia Ecclesiastica Scotica eum *Alexium* vocat, narratque sequutus auctorem, nescio quem, vitae S. Peregrini Eremitae ipsum *Alexium* simul cum omnibus Etruriae, & Galliae Cisalpinae 27. Episcopis, Geminiano Mutinae, Sanctoque Severino Ravennae Praesulibus adfuisse humationi eiusdem S. Peregrini factae anno laudato in altissimis montibus ditionem Mutinensem ab Etruria dividentibus. Eruditissimus Sollerius (2) *Biographum*, cui Dempsterus innititur, fabulosum, & Dempsterum ipsum fabulis celebrem appellat; nec immerito, siquidem hic non solum multa confinxit ad Scotorum gloriam augendam, sed plures etiam inter Pisanos Antistites retulit, quos nunquam fuisse, vel saltem suspectos esse olim dubitavit Ughellius, nos autem suo loco probabimus. Quamobrem usque donec certiora non detegantur monimenta, nemo extorquebit a me, ut B. Alexandrum Ecclesiae Pisanae fastis inseram.

Antistes Pisanus memoratur in aliis Pelagii I. litteris scriptis *praedilectis filiis carissimis Canonicis Sanctae Mariae Pisanensis Ecclesiae Apostolicam doctrinam tenentibus*, quas

(1) *Supplemento alle Novelle Letterarie Fiorent. dell' anno* 1747. Consule etiam clarif. Guazzesium *Dissertaz. intorno alla disfatta, e alla morte di Totila Re de' Goti pag.* 187. *edit. Pisanae* 1761.

(2) *T. I. Augusti ad diem* i. *Comment. Crit. in vitam S. Peregrini pag.* 76. *& seq.*

quas Martinius (1) *ex Adriana mole de Urbe* in communem usum dedit, & ad annum 557. retulit, quod datae dicantur 4. nonas Aprilis Pontificatus ipsius Pelagii anno tertio. Nihil tamen commodi ex his litteris capi potest ad probandum Pelagii aetate Episcopum aliquem Pisas gubernasse; nam laudatae litterae a viris doctis supposititiae judicantur, cum commemorent Bonifacium (licet sola littera B. indicatum) Archiepiscopum Mogantinum velut Apostolicae Sedis ad Pisanos Legatum, cum tamen hic post integrum saeculum, & ultra floruerit; dataeque dicantur Pontificatus Pelagii *anno tertio*; quae annos computandi formula notante praestantissimo Grandio (2) *illo saeculo in Pontificiis litteris plane est inaudita*.

Sub his temporibus Canonicos Pisanos vivere in communi jam coepisse habetur ex litteris (3) Benedicti I. anno 575. scriptis, quarum hic est titulus: *Benedictus catholicae Ecclesiae humilis Episcopus, & ultimus servus servorum Dei praedilectis filiis nostris, & amicis carissimis Capitulo, & Canonicis Beatae Mariae Sanctae Pisanensis Ecclesiae communis vitae discipilinam in Domino profitentibus salutem, & Apostolicam benedictionem*. Observat celeberrimus Muratorius (4) Canonicos in Italia saeculo tantum octavo, & sequenti vitam communem profiteri saltem frequenter consuevisse; verumtamen ego aperte, ac praefidenter haud negaverim, quin saeculo etiam sexto huiusmodi mos apud Pisanos Canonicos viguerit, etsi certa monumenta (5) indicare videantur saeculo duntaxat nono eorum Collegium institutum fuisse. Illud autem observari velim, memoratos Canonicos in communi vixisse nequaquam certo deduci ex citatis Benedicti litteris,

(1) *Loco cit.*
(2) *In not. ad monum. 2. in fine epist. de Pandect. pag. 115.*
(3) *Append. ad Theat. Basilicae Pisanae pag. 136. edit. 1723.*
(4) *T. V. Antiq. Ital. medii aevi Dissert. 62. col. 187.*
(5) V. quae diximus *cap. 1. Dissertat.*

ris, quae sane aut apocryphae, aut saltem valde suspectae sunt. Nam, ut praeteream, notas chronologicas, quibus illae signantur, in usu tunc non fuisse, & Canonicos Pisanos vocari *amicos*, quem titulum Romani Pontifices initio suarum epistolarum nunquam, nisi me fallit opinio, adhibuerunt; in citatis litteris legitur, Symmachum Papam ad reparandam Evangelicam doctrinam, *ac pristinae firmitati restituendam* instituisse *coetum quemdam, seu Congregationem sapientum virorum*; eamque propagare cum optaret Benedictus Summus Pontifex ipsum hortatum esse Canonicos Pisanos, ut cito ad se mitterent *G. & B. confratres suos doctrina, moribus, ac sapientia conspicuos*, quos pollicitus est *inter digniores Congregationis praedictae viros reponere, atque designare*. Sed nemo unus ex veteribus, qui Symmachi gesta posterorum memoriae commendavit, narrat Symmachum ipsum laudatam Congregationem instituisse. Silent etiam antiqui Scriptores eamdem propagare curasse Benedictum, qui, ut inquit Pagius (1), obiit *nulla re gesta, quae ad nos pervenerit, celebris*. Quis igitur adeo caecus est, ut non videat litteras a Martinio sub nomine Benedicti vulgatas ut quae falsa, vel saltem valde dubia continent, si minus apocryphas, saltem multum suspectas judicandas esse?

Apud eundem Martinium (2) leguntur quaedam litterae Gregorio Magno adiudicatae, & anno 591. scriptae *praedilectis filiis Pisanis Canonicis Sanctae Mariae regularis vitae disciplinam bene profitentibus*; in quibus litteris Sanctissimus Pontifex hos sic alloquitur: *pessima lues Romam totam, quae caput Christiani orbis est, depopulatur, grassatur in dies, nulli parcens nec aetati, nec sexui, imo nec ipsi praedecessori nostro* (Pelagio II.) *qui in publica supplicatione una cum septuaginta aliis expiravit; quare undique clamor, undique luctus, & dolor acer.*

(1) *In vita Benedicti num.* 1.
(2) *Op. cit. pag.* 137.

verbus undique : ipsa Civitas desolata, & oppressa amaritudine : populus gemens, ac dolens non locum, non asylum invenit, ut tuto ponat Sedem suam, sed morte ut plurimum repentina correptus miser jacet in viis, & in plateis Civitatis. O magnum flagellum, o Divina inexplicabilis indignatio! Ea propter filii nostri praedilecti nos una cum ovibus nobis commissis orationibus vestris, quantum possumus, recommendamus; fundite ad divinam majestatem preces non semel ferventes, ut ipsa avertat indignationem suam a nobis &c. Quamvis hae litterae nihil contineant, quod eorum temporum Historiae adversetur, si verba illa *regularis vitae disciplinam bene profitentibus* tollantur, quae minus vera esse censeo; ingens tamen mihi inest dubitatio, quin sincerae sint, cum videam, easdem litteras desiderari in omnibus antiquis optimae notae codicibus, quibus usi sunt Gussanvillaeus, & Patres Maurini Operum S. Gregorii Editores diligentissimi; in omnibus editionibus, ipsa non excepta, quae prodiit Romae jussu immortalis Sixti V. Pontificis Maximi; etsi, ut opinari fas est, ea occasione lustratum fuerit *Regestum* litterarum S. Gregorii Magni *in Adriana mole de Urbe* servatum, ex quo, Martinio teste, memoratae litterae anno 1519. exscriptae fuerunt.

V. OPPORTUNUS.

Eodem anno 643. in Alexandri demortui locum suffectus est ait Orlendius. Sed id Ughellii, & Martinii auctoritate, non vero antiquo monumento suffultus asserit. Sub his tamen temporibus Opportunum vixisse adeo certum est, ut revocari in dubium non possit, siquidem anno 649. initio mensis Octobris adfuit Concilio Romae a Martino I. adversus Monothelitas celebrato (1).

VI.

(1) Vide ejus Acta *T. VII. Concil. col.* 82. 374.

VI. MAURIANUS

In MS. Parisiensi ab Harduino citato *Marianus* vocatur; *Mavettianus* etiam, & *Macceranus* dictus est Troncio, & Orlendio testibus. Episcopus Pisanus erat anno 674, ut apparet ex antiquo codice *Nonantulano*, quem laudat Ughellius. Post quinquennium Romam profectus est ad Concilium, quod habuit S. Agatho Summus Pontifex; subscripsitque litteris huius Pontificis (1).

Circa haec ipsa tempora cum significatum fuisset Sergio I. a Canonicis Pisanis, quasdam nobiles foeminas sanguine ipsis coniunctas, capta occasione multarum solemnitatum, quae in eorum Ecclesia fiebant, consuevisse illorum Coenobium ingredi contra repetitas Summorum Pontificum constitutiones, & mandata; in eoque Vigilias celebrare; Sergius ipse Canonicis praecepit, ut easdem foeminas excommunicationis poena afficerent, si id in posterum auderent. Ita legitur in quibusdam litteris sub Sergii I. nomine a Martinio (2), in lucem emissis, & ad annum 688. relatis. Sed valde dubito, an illae sincerae sint; enim vero, omissis aliis suppositionis indiciis, scriptae dicuntur *Laterani Pontificatus nostri anno II.*, quae formula in litteris Romanorum Pontificum ea aetate non adhibebatur.

VII. MAXIMUS.

Ecclesiam Pisanam regebat anno 715, quo una cum Episcopis Fesulano, Florentino, & Lucensi judex fuit controversiae, quam Senensis Antistes cum Aretino habebat, de jure quarumdam Ecclesiarum, & Monasteriorum, quae in ditione Senensi posita erant. Tabulis ad huius

(1) *T. cit. col.* 727.
(2) *Appendice ad Theat. Basilicae Pis. pag.* 138.

huius controversiae decisionem spectantibus parum fidit Ughellius (1), omnemque fidem abrogat Benevolentius (2). Ego tamen cum videam eruditissimos viros (3) eas velut genuinas agnoscere, vix, ac ne vix quidem de iisdem ambigere audeo.

Canonicos Pisanos anno circiter 727. Cives suos stimulasse ad Iconomachorum pestiferam sectam destruendam legitur in litteris Gregorii II. apud Martinium (4), quibus Summus Pontifex iisdem Canonicis ob praeclarum illud facinus gratias agit. Etsi citatae litterae apocryphae, vel saltem valde suspectae (5) mihi sint, probabile tamen censeo, Pisanos a Canonicis fortassis excitatos adversus Iconomachorum patronos pugnasse. Refert enim Muratorius (6) Romanum populum, Langobardos Spoletinos, ac Tuscos sese viriliter opposuisse Paullo Ravennae Esarcho, & aliis, qui jussu Leonis Isauri Graecorum Imperatoris Gregorium memoratum occidere tentabant, ut impietatem suam longius, latiusque disseminare possent. Veri autem simile est, inter Langobardos Tuscos multos fuisse Pisanos.

VIII.

(1) *T. I. in Episc. Aretinis n. 30. col. 410.*

(2) *Notis ad Ughellium T. III. in Episc. Senens. n. 18. col. 528.*

(3) Grandium nempe *in notis ad monumentum 1. ad calcem Epistolae de Pandectis*, Muratorium *T. VI. Antiq. Ital. medii aevi Dissertat. 74. col. 367.*, & *in Annalib. Italiae ad ann. 715.*, Mansium *T. I. supplem. ad Concilia Veneto-Labb. col. 537*, & Peccium *Dissertat. praelimin. ad Hist. Episcop. Senensis. pag. 4.*, nec non *in Serie Episcoporum n. 22. pag. 12. & seq.*

(4) *Op. cit. pag. 139.*

(5) Hae namque litterae datae dicuntur Romae idibus Maii Pontificatus Gregorii anno 12. Sed aliae huius Pontificis litterae genuinae diversas notas chronologicas habent. Accedit, quod in iisdem litteris legitur, Pisanos Iconomachorum sectam *Deo adiuvante ad nihilum* redegisse. At quomodo Pisani memoratam sectam oppugnare, ac profligare poterant, quae in Italia fere invisa erat?

(6) *Annali d' Italia ad annum 727.*

VIII. JOANNES II.

Maximo ſucceſſiſſe Andream, Piſanoque populo praefuiſſe anno 742. ſcribit Ughellius, quem alii ſequuntur. Porro autem Ughellio fucum fecit eiuſdem Andreae inſtrumentum paullo poſt memorandum, quod cum anno primo Ratchis Langobardorum Principis indictione X. confectum dicatur, ad laudatum annum ſpectare ipſemet Ughellius exiſtimavit, cui citata indictio correſpondet; & quamvis Ratchis eo anno Regnum adminiſtrare nondum revera coepiſſet, aliter tamen credere illè potuit auctoritate praeſertim Sigeberti (1) innixus, qui Ratchim Regni ſolium conſcendiſſe anno 742. poſterorum memoriae commendavit. Sed Maximi ſucceſſor fuit Joannes, qui huic Eccleſiae praeerat anno etiam 18. Luitprandi Regis (2) menſe Januario, ideſt anno 730.

Eſt apud Martinium (3) epiſtola quaedam Gregorio II. adiudicata, annoque 729. ſcripta *venerabilibus viris, & fratribus noſtris dilectiſſimis Gualfrido Archipresbytero, Raynerio Archidiacono, Giſmundo Vicedomino*, aliiſque Canonicis, & Clericis Piſanis. Cùm libera poteſtàs eligendi proprium Antiſtitem Clero Piſano hac epiſtola tribuatur, ſi genuina eſſet, inferri ex ipſa commode poſſet, anno citato Piſanam Eccleſiam Epiſcopo caruiſſe, ideoque Gregorium, hac arrepta occaſione, talem poteſtatem Piſanis conceſſiſſe. Verum capite primo Diſſertationis noſtrae pluribus oſtendimus, memoratam epiſtolam apocrypham eſſe; ac proinde ex huiuſmodi monumento nihil certi colligi poteſt de anno, quo Joannes Piſanus Anti-

(1) *In Chronico ad ann.* 742. Quod Ratchis ante annum 744. imperii habenas moderari coeperit, perſuadere potuit Ughellio quoddam etiam inſtrumentum ipſius Ratchis, quod confectum dicitur anno 742., & recitatur ab Ughellio ipſo *T. III. in Epiſ. Cluſinis n.* 5. *col.* 590.

(2) *Ex tabulis* apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. col.* 1004.

(3) *Op. cit. pag.* 139.

ſtes factus eſt. Troncius (1) affirmat, Concilio Romano a Zacharia celebrato interfuiſſe. Quo fundamento hoc aſſerat, ipſe videat. Certe in Actis duorum Conciliorum, quae Zacharias habuit anno 743., ac biennio poſt, in quibus Pontifices, qui iiſdem adfuerunt, numerantur, Joannes deſideratur.

Epiſcopus hic memoratur etiam in Teſtamento Liutperti Archidiaconi Piſani, ſed quo anno conſcriptum illud fuerit, non una eſt eruditorum mens, quod corroſum ſit autographum, nec legi queant, niſi difficulter, notae chronologicae, aut ea verba, ex quibus eius annus erui poſſet. Muratorius (2), qui laudatum Teſtamentum ex apographo publicavit, cenſet factum fuiſſe circa dimidium ſaeculi noni „ Exciderunt, *inquit*, chronologicae notae. Unus heic Imperator commemoratus videtur, quare circiter annum 842, quo unus Lotharius imperabat, ſcriptae mihi creduntur hae tabulae „. Grandius (3) anno 744. confectum illud exiſtimat, ſiquidem, ut ille ait, legitur in eo annus primus imperii Ratchis. Orlendius (4) autem, etſi fatetur cum Grandio regnante Ratchi exaratum fuiſſe, ab eo tamen diſſentit, quod attinet ad annum, contendens non primum, ſed quartum ibi notatum eſſe: En Teſtamenti initium, prout ab Orlendio in lucem emiſſum eſt: *In nomine Domini Dei Salvatori noſtro Jeſu Chriſti regnante piiſſimo, atque excellentiſſimo..... Ratchis .... Et quarto tertio decimo .... arti....* Lacunas vero ita explendas eſſe putat Orlendius: *regnante piiſſimo, atque excellentiſſimo Rege Ratchis domino noſtro, anno ſc licet quarto, tertio decimo Kalendas Marti, ideſt Martii, Indic. prima.*

Haec

(1) *Annali Piſani pag. 6.*
(2) *Op. cit. col. 1025.*
(3) *In notis ad monumentum 2. epiſt. de Pandectis pag. 114.*
(4) *Lib. 3. cap. 25. op. cit. pag. 923.*

Haec ubi legit Grandius sententiam suam haud mutavit, sed quam prius animo imbiberat magis firmare conatus est in hunc modum scribens: *nisi innotuißet in scriptura vox haec primo post nomen Ratchis occurrens, non conieciβet Grandius ad primum annum Ratchis hunc Contractum* (Liutperti) *referri debere. Quod ipse Auctor* (Orlendius) *ibi legerit* & quarto *non hoc annum quartum Regni eius necessario indicat; nam particula* Et *non haberet hic locum. Adde, quod Andreas Episcopus, qui anno primo Ratchis vivebat, scilicet anno 745, ut supra Auctor indicat num. 9, etiam post novem annos, nempe anno sexto Regis Aistulphi vivebat, ut ex diplomate* (1) *infra cap. 43. referendo constat: ergo Justinus, vel Joannes Episcopus in hoc Testamento nominatus non anno quarto Regis Ratchis, sed ipso anno primo adhuc vivebat, antequam illi succederet Andreas Episcopus, adeoque ad annum 744. primum Ratchis referri debet* (2).

Ut ipse ingenue fatear, quod sentio, Orlendius potius, quam Grandius rem attigisse mihi videtur; nam in laudato Testamento non primus, sed quartus annus Ratchis notatus est; de quo tum ego, tum Orlendius, tum amicus in antiquis caracteribus legendis valde peritus, quem ad id experiendum adhibui, testantur. Praeterea ut ipse Orlendius animadvertit, Ratchis clavum Imperii tenere coepit post mensem Martium anni 744. (3); ergo 13. calendas Martii, qua die Liutperti Testamentum conditum fuit, ut colligitur ex eiusdem Testamenti verbis, primus annus Ratchis dici nequibat. At inquit doctissimus Grandius, etsi in eo legatur *Et quarto*, verba tamen haec quartum annum Regni Ratchis haud significant; nam

(1) Indicat hoc in loco Grandius instrumentum S. Walfredi, quod Orlendius edidit *cap. 43. operis laud. pag. 1416. & seq.*

(2) *In animadversionibus marginalibus MSS. adversus Orlendium*, quae sunt Pisis in exemplari operis Orlendiani Bibliothecae Grandianae.

(3) Vide etiam Muratorium *Annali d' Italia ad ann. 744.*

nam particula *Et* eo in loco supervacua esset. Sed Orlendius jam observaverat, idcirco solam particulam *Et* apparere, quoniam membrana, quae alias litteras continebat, corrosa est; caeterum adverbium *scilicet*, non particulam *Et* in autographo notatam fuisse. Quod Grandius subiungit, nimirum ad annum quartum Ratchis memoratum Testamentum referri non posse, quod tunc a tribus annis hanc Ecclesiam gubernaret Andreas, non Joannes; a veritate alienum prorsus est, uti paullo post dicemus. Itaque Joannes anno etiam quarto Ratchis, idest 748. aerae vulgaris in vivis erat, quo Martinio (1) teste, Zacharias Summus Pontifex litteras ad eundem Joannem scripsit, quarum initium est: *Venerabili Fratri nostro Joanni Pisano Episcopo, & dilectissimis filiis nostris Petro Archipresbytero, Hugoni Archidiacono, Ildebrando Vicedomino, cunctisque S. Mariae Pisensis Ecclesiae Canonicis Apostolorum doctrinam tenentibus, & regularem simul, ac exemplarem vitam communiter degentibus. Gratias ago Deo Patri &c.* Sed harum litterarum titulus jure, atque merito eruditissimo Grandio (2) suspectus est; enim vero citatae litterae totidem fere verbis, iisdemque phrasibus conceptae sunt, ac illae anno paullo ante citato a Zacharia ad Reginfredum Rotomagensem Episcopum, aliosque duodecim Antistites missae (3): magna ex parte conveniunt cum litteris Pelagio I. tributis, & ad Pisanos Canonicos anno 557. scriptis, quas alibi (4) memoravimus: in his etiam fit mentio de B. Archiepiscopo velut Apostolicae Sedis ad Pisanos Legato sequentibus verbis: *habetis itaque nostra vice ad confortandam dilectionem, & constantiam vestram, & collaborandum vobis in* Evan-

(1) *Appendice ad Theat. Basilicae Pisanae pag.* 140.
(2) *In notis ad monumentum citat.*
(3) Extant apud Baronium *ad ann.* 748. *n.* 14., ac *T. VIII. Conciliorum numero* 11. *col.* 258.
(4) *Num.* 4.

Evangelium Christi adversus contentiones eorum, qui adversa sapiunt, & non quae Dei sunt, magni exempli virum, atque probatae vitae hominem Reverendissimum B. Fratrem Nostrum Archiepiscopum Apostolicae Sedis Legatum, & nostram praesentantem vicem; cum tamen Bonifacius Moguntinus Antistes, qui procul dubio littera initiali B. indicatur, eo tempore in Germania versaretur, ut ex Patribus Maurinis erudimur (1).

Quamquam Orlendius Liutperti Testamentum conditum existimet anno quarto Ratchis, idest anno Christi 748., vult nihilominus eo anno non Joannem, qui ante annum 745, ut ille putat, obierat, sed Justinum proximum Andreae successorem in Pisana cathedra sedisse. Uterque sane in citato Testamento laudatur; ac Justinus quidem his verbis: *Ideoque ego qui supra Liutpert, qui & Centolus Archidiaconus Sanctae Pisanae Ecclesiae, quae superius legitur dum Dei visitatione aegrotante me lectulo re iacerem in praesentia venerabili Patri nostro Justino Episcopo.... tradedi tibi consobrino meo &c.* Joannes autem hoc pacto: *Ego Johannis licet indignus Episcopus rogitus a Liutpert, qui & Centolus Archidiacono seu & Bigiperto qui & Maccio Diacono hanc paginam Testamenti in praesentia quorum supra testium ad scribendum suscepi, & postea post signa aliorum septem testium subscripsi, & deplibi.* Grandius arbitratur Justinum, & Joannem unum, eumdemque Episcopum esse duplici nomine vocatum: *ibi vero*, ait, *idem Episcopus etiam Justinus appellatur. Forte duplici nomine simul insignitus erat.* Contra Orlendius *Justinum a Joanne diversum esse ex ipso Testamento* patere contendit: *Etenim*, inquit, *Justinum fuisse praesentem, cum Testamentum conderetur, verba jam antea relata demonstrant: ex adverso autem Joannes velut absens, ac postmodum ascitus, rogatusque, ut ipse post testes subscriberet,* illis

(1) *T. V. Galliae Christianae col.* 439.

illis verbis sub finem Testamenti exaratis indicatur : Hanc Testamenti cartulam fieri elegimus, & in praesentia superscriptorum testium Joannem Episcopum rogabimus scribendum. *Idem quoque Joannes quasi superveniens ceteris, iisdemque adstantibus chartam Testamenti in gratiam Liutperti Archidiaconi viri praedivitis, ac nobilis, quasi munus Cancellarii exercens scripsit, atque post testes etiam nomine suo confirmavit ; idque eius verba ad calcem Testamenti posita demonstrant : quod mihi quidem argumento est, Joannem non fuisse Episcopum Pisanum ; proprii enim locorum Antistites suis tantum, aut Regum, Principum, & Imperatorum diplomatibus subscribere consueverunt, & certe primo loco ante alios inferiorum ordinum, nusquam autem postremo loco, uti constat apud Baronium, Ugbellum, Binium, aliosque auctores. At Joannes Episcopus post septem testes postremus omnium subscripsit. Tandem si Justinus etiam alio nomine Joannes fuisset nuncupatus, id utique Testamenti verbis exprimeretur, sicuti in Liutperto geminum eius nomen, & in Rigbiperto exprimitur. Ast nihil huiusmodi vel in Justino, vel in Joanne expressum invenitur : diversorum igitur locorum erant Episcopi* (1).

Sed hae Orlendii rationes persuadere Grandio non potuerunt, Justinum, & Joannem duos Episcopos esse ; immo vir celeberrimus (2) easdem sic refellit „ quomodo „ (*Joannes*) absens a testatore, qui Testamentum scripsit „ a testatore rogatus? Si alterius Urbis Episcopus fuisset „ (*ipse Joannes*) nomen suae Civitatis, seu Dioecesis in„ dicasset. In ipso Tabulario Archiepiscopi Pisani num. „ 421. habetur Contractus emphytheuticus (3) a Villano „ Archiepiscopo factus anno 1166, in quo Villanus Ar„ chiepiscopus subscribit post Gerardum Plebanum S. Cas„ siani, & Guidonem Jurisperitum, Castum, & Lamber-

(1) *Op. cit. lib. 3. cap. 25.*
(2) *In animadversionibus MSS. adversus Orlendium paullo ante citat.*
(3) Exstat. *T. II. autographorum num. a Grandio indic.*

„ bertum Grassum, Grunium Castaldionem, & Albertinum Mori testes huius Contractus. Item num. 259. „ adest Contractus (1) permutationis factae ab Attone „ Archiepiscopo cum Ildebrando Judice, & Consule, in „ fine cuius habentur signa manuum Marignani, & Athonis Consulum, & Ughiccioni, ac Bottachini, & postea se subscribit Archiepiscopus his verbis: Ego Atto „ Archiepiscopus Pisanus in hac permutationis chartula „ a me rogata scripsi „. Muratorius (2) etiam opinatur in laudato Testamento de unico Episcopo mentionem fieri. Minus tamen probat, Joannem geminum habuisse nomen, sed putat per errorem duntaxat Justinum appellatum a veteri amanuensi fuisse. Quod autem ipse Joannes postremo subscribat, id factum censet, *tum quod agebatur de eminenti ministro Pisanae Ecclesiae Testamentum faciente, tum etiam quia de pia caussa actum fuit*.

Non est hoc in loco silentio praetereundum, quod scribit Orlendius *in Appendice secunda* (3) *ad cap.* 25. *num.* 10. *pag.* 919. *&* 927. „ Justinum Episcopum, *inquit*, ibi „ memoratum in Testamento Liutperti retuli in catalogum Pisanorum Antistitum ob rationes eodem loci adductas. Quoniam vero in praefato Testamento fit mentio etiam Joannis pariter Episcopi, neque satis constat, quis ex his duobus tum esset Pisanus Antistes, si „ quispiam coniecturis a me ibidem allatis non acquiescat, sed pro Joanne stet, minime reluctabor, dummodo Joannes ipse Andreae successor ponatur, uti „ reipsa ei successisse demonstrant, quae illic expendi. „ Quare Joannes iste *junior*, seu *secundus* erit dicendus. „ Joanni huic, aut si mavis, Justino proxime in eadem „ Pisanorum Praesulum serie collocandus est Andreas „ huius nominis *secundus* a me, & ab omnibus aliis in „ ca-

(1) Est *T. I. num. citato, spectatque ad annum* 1120.
(2) *T. III. Antiquit. Ital. col.* 1025.
(3) Exstat. *par.* 2. *op. cit. pag.* 1436.

„ catalogo praetermissus „ Ex hoc Orlendii testimonio liquet, ipsum tandem vidisse, rationes, quibus movebatur ad opinandum Justinum, non Joannem Pisanis praefuisse, leves esse, ideoque Grandio hac in re non repugnasse: verumtamen tantum abest, ut Pontificum Pisanorum seriem illustraverit, ut potius obscuraverit magis; nam ex duobus Episcopis per haec tempora viventibus quatuor cònstituit; quo nihil absurdius excogitari posse, ex hoc, & sequenti articulo manifestum est.

IX. ANDREAS

Non plurimum fortasse fallar, si dixerim, Andream Pisis in lucem venisse, nec diversum ab eo esse, qui instrumento Candidi Clerici (1) anno 730. subscribit his verbis: *Ego Andreas Diaconu in anc cartula venditionis &c.* Quo anno in Pisanum Episcopum electus fuerit, mihi non costat. Id unum scio anno 754. mense Julio Pisanos gubernasse, quemadmodum apparet ex instrumento, quo S. Walfredus patria Pisanus ex praeclarissima familia *Gherardesca*, ut volunt, plura bona concessit Monasterio S. Petri *in Palatiolo* (2). Grandius asserit Andream longe ante, anno scilicet 744., vel sequenti Episcopum factum fuisse, quod viderit, ipsum mense Februario anni primi Ratchis, qui, ut antea diximus, anno citato post mensem Martium regnare coepit, donasse cuidam Athoni Ecclesiam S. Mamiliani *in Colline*, ut habetur ex charta, quae sic incipit: *Guvernante domno Ratchis famulu Christi Jesu Principem gentis Langobardorum anno primo mense Februario per Indictione decima* (3). Verum cum in hac charta Ratchis Princeps gen-

(1) Apud Muratorium *T. III. Antiquit. Ital. col.* 1004.
(2) Extat Apud Orlendium *op. cit. cap.* 43. *pag.* 1416., apud Soldanium *in Historia Monasterii de Passignano lib.* 1. *pag.* 18., *ac T. I. Annalium Camaldulens. in Append. pag.* 12.
(3) Apud Muratorium *T. cit. col.* 1018.

gentis Langobardorum, non Rex vocetur; & aliunde Indictione *decima* notetur, non vero *decima tertia*, ut Grandius ipse, & Orlendius proprio arbitratu emendarunt; non ad annum 745, sed ad annum potius 757. referenda videtur, cui *Indictio decima* respondet, & Ratchis post Aistulphi mortem, quae accidit anno 756, Monasterio Casinensi, ubi Deo sese religiosam in servitutem antea dicaverat, relicto, cupiditate denuo regnandi inflammatus de Regno cum Desiderio contendit, ac Tusciam praesertim suas in partes adduxit (1).

Narrat Mabillonius (2) Carolum Magnum Roma ad Ticini obsidionem anno 774. redeuntem secum adduxisse Pisanum, & Lucensem Episcopos Langobardorum fautores, ne quid forte se absente molirentur. Id ubi rescivit Hadrianus I. Summus Pontifex Carolo supplicavit, ut sineret illos ad Ecclesias suas reverti, missa ad eum epistola, quae in Codice Carolino est LV, quaeque viris eruditissimis (3) fatentibus anno laudato scripta fuit. An Pisanus Antistes ductus a Carolo Ticinum, seu potius in Galliam, ut Muratorius (4) putat, fuerit Andreas, vel Reghinardus, de quo modo sermo fiet, vel alter, cuius memoriam vetustas aboleverit, ne coniectura quidem assequor.

X. REGHINARDUS

Qui & *Rachinardus* dicitur. Clarissimus Valsechius (5) omnium primus detexit hunc Episcopum Pisanam Ecclesiam gubernantem anno 796. In monumento ad annum

 800.

(1) Consule Muratorium *ibidem*, & *in Annalibus Italiae ad ann.* 756.
(2) *Annalibus Benedict. ad annum* 774. *lib.* 24. *num.* 46.
(3) V. Pagius *ad eum ann. n.* 9. Cointius *Annalibus Franciae ad eum ann. n.* 18., & Mabillonius *ibidem*.
(4) *Dissertazione* 70. *pag.* 380. *edit.* 1766.
(5) *Epistola de veteribus Pisanae Civitatis Constitutis pag.* 36., ubi huius Episcopi chartam exhibet, quam iterum vulgavit Muratorius *T. cit. col.* 1015., *ac T. V. Dissertat.* 63. *col.* 311. & *seq.*

800. spectante, quod ab eruditissimo Gradonigo (1) vulgatum est, Antistes noster vocatur Regtuandus, errore, ut arbitror, antiqui amanuensis. Anno 803. mense Julio sententiam tulit contra Alpulum Presbyterum Lucensem, qui a Bruno Advocato Monasterii Lucensis Sancti Petri accusatus fuerat, quod *Monacha nomen Guniperga noctis tempore absconse de ipso Monasterio per muri deposuisset, & suis manibus super cavallum levasset* (2).

XI. PLATO I.

Obscuram, & suapte natura implicatam saeculo praesertim nono Pisanorum Pontificum seriem involutissimam effecerunt Scriptores, qui eam texuerunt, quippe qui in plures, easque inter sese diversas abierunt sententias. Etenim Dempsterus affirmat, anno 804. Pisanum Episcopum fuisse Joannem, quo defuncto, Platonem in hac sedisse cathedra anno 830. putat; huic successisse Biurgum anno 837. viventem: anno 845. Pisanis praefuisse Zenobium; post annum unum Zenobio successisse Joannem; ad annum 860. inter Praesules Pisanos numerat Platonem alterum; ad annum vero 880. Joannem huius nominis IV. Ughellius, ac Troncius catalogum a Dempstero confectum approbant, sed cum ab eo, tum inter se differunt, quod attinet ad annos, quibus plures ex Episcopis floruerunt; ac paeterea Troncius addit eidem catalogo Platonem anno 829. viventem; uterque vero adiicit Joannem V. quem Ughellius refert ad annum 890, & sequentem; Troncius ad annum 880. Martinius sequitur omnino Troncium. Sed Grandius utqui non in Mathesi solum, verum in Historia etiam praesertim medii aevi peritissimus erat, optime vidit, Dempsterum, & alios Antistitum Pisanorum numerum nimis multiplicasse; hinc ex

(1) *Brixia Sacra pag.* 108.

(2) Vide Tabulas apud Muratorium *T. V. Antiq. Ital. Dissertat.* 70. *col.* 918. *& seq.*

ex iis plerisque reiectis, tres tantum Episcopos ponit toto saeculo nono, Joannem scilicet initio saeculi; post medium Platonem, & circa finem alium Joannem. Grandianam seriem oppugnavit Orlendius, qui omnes fere Episcopos ab eruditissimo viro jam explosos restituere studuit, etsi levibus innixus rationibus, ut paullo post apparebit. Muratorius (1) tandem quoad Episcoporum numerum, qui saeculo nono Pisanam Ecclesiam rexerunt, Grandio assentitur, a quo tamen dissentit quoad illorum aetatem, & ordinem; nam primo Platonem, deinde Joannes duos recenset.

Non dubito, quin Grandius, & Muratorius Pisanorum Pontificum catalogum usque ad saeculum undecimum accuratius quam Dempsterus, Orlendius, & alii, confecerint, sed ne illi quidem ab omni vacant errore, ut infra ostendetur; quamobrem nunc Grandium, nunc Muratorium sectabor, prout veritas postulare mihi videbitur. Ac primo quidem Muratorium sequor, asserentem Reghinardo proxime successisse Platonem. Video enim quasdam tabulas, quae ad Platonem ipsum spectant, ad saeculi initium referri posse; quae vero ad Joannem spectant, non item (2).

Opti-

(1) *T. cit. col.* 1017. *& seq.*

(2) Chartas a Muratorio *col.* 1035. *& seq.* editas ad Joannem spectantes, quarum prima scripta dicitur anno 2. Caroli Imperatoris 15. calend. Junias Indict. X, altera anno 3. eiusdem Caroli mense Octobri Indictione.... doctissimus Grandius *Epist. de Pandectis pag.* 115. refert ad annos 802, & sequentem, quibus Carolus Magnus imperabat. Sed neutra ad eos annos referri potest. Non prima; nam ex hac apparet, quo tempore scripta fuit, Pisanam Ecclesiam a Joanne gubernatam fuisse. At anno 802, & sequenti Pisanus Antistes erat Reghinardus, ut superius dictum est. Non secunda; etenim in hac non semel, sed bis, ac etiam tertio memoratur Bonifacius Comes veluti defunctus, qui sive primus sit, sive secundus, longe post annum tertium Caroli Magni decessit. Vide Cosmam de Arena *par.* 1. *della Serie degli antichi Duchi, e Marchesi di Toscana pag.* 90. *& seq.*, Muratorium *Antichità Estensi par.* 1. *cap.* 22. *pag.* 207, & Auctore Dissertationis *del Dominio antico Pisano sulla Corsica*. Memoratur quoque Adalbertus Comes, quem ante annum 847. regnare coepisse ex veteribus monumentis non constat. Consule de

Optime quidem novi, Grandium non idcirco negare, Platonem in Reghinardi locum suffectum statim fuisse, quod pertinaciter credat tabulas sub Carolo Imperatore scriptas, in quibus de Platone fit mentio, ad Caroli Magni aetatem referri non posse; sed maxime quod instrumenta regnante Ludovico Imperatore confecta, in quibus Plato memoratur, Ludovici secundi, non primi tempora respiciant; ex quo contra Dempsterum, Ughellium, & Venetos *Italiae Sacrae* editores non duos, vel tres huius nominis Episcopos, sed unum tantum saeculo nono floruisse colligit: *Plato* (sunt eius verba) *post Joannem Episcopus invenitur, quem Ughellius, & Dempsterus in duos secant, & in novissima Italiae Sacrae editione in tres divisum exhibent Ughellii continuatores. At eiusmodi insitata nomina non ita facile, nec absque idoneo fundamento multiplicanda sunt, cum non sit verosimile, ita passim iterata fuisse; alias vero de uno, eodemque Platone exponi possint, ac debeant monumenta, quae de singulis*

de Arena *op. cit. pag.* 101., & Muratorium *op. laud. pag.* 208., *ac in Annal. Italiae ad ann. cit.* Itaque prima charta probabiliter spectat ad annum 877, ut putat Muratorius; altera vero ad annum 883. procul dubio spectat, quemadmodum *in Joanne V.* ostendemus. Longe aliter dicendum est de quibusdam chartis, in quibus mentio fit de Platone. Certe quidem prima, quae scripta est *Caroli Imperatoris, postquam Italiam ingressus est Imperii eius anno primo pridie Kalendas magias indictione nona*, licet a Muratorio, qui eam publicavit *col.* 1017. ad annum 801. referatur, cum tamen eo anno Pisanus Antistes esset Reghinardus, ad illum annum spectare non potest, sed potius referenda est ad annum 876, qui primus est Imperii Caroli Calvi, & indictione nona notatur. Valde probabile censeo, neque secundam Platonis chartam a Muratorio vulgatam ad annum 819. referri debere ob rationem, quam in medium adducam *in Joanne III.* At aliae duae referri commode possunt ad Ludovici I. Imperatoris tempora, ad annum scilicet 823, ut censet Muratorius *col.* 1021. *& seq.* Non sum quidem nescius, memoratum annum, etsi Indic. I. notetur, non concurrere cum laudati Imperatoris anno 8, quo signatur prima charta (alterius enim utpote corrosae annus legi nequit) hinc fateor eam depravatam esse. Sed cum videam neque ad Ludovici II. aetatem eandem chartam referri posse, ut Grandius contendit, ideo in sententiam potius Muratorii eo, quo judice, ad annum decimum Ludovici I. Imperatoris spectat.

gulis afferri solent. Ut autem probet de uno tantum Platone omnia monumenta exponi posse, ac debere, instrumentum, quod sibi ipsi maius negotium facessit, scriptum anno octavo Ludovici Imperatoris mense Martio, Indictione prima depravatum quoad annum putat, & corrigendum esse *anno octavo decimo* asserit, quo ad annum 868. illud referre sine errore queat.

Orlendius, qui Platonem Episcopum fuisse anno 821. cum Troncio, & Ughellio contendit, utramque allatam a Grandio rationem pluribus exagitat. Principio negat cogi nos ad unum tantum Platonem ponendum ex eo, quod Platonis nomen inusitatum sit; *nam*, inquit, *plures Episcopi nedum Etruriae, verum etiam aliarum Urbium Italiae non Graecis solum, sed & barbaris nominibus appellati occurrunt apud Ughellium, aliosque Italos Scriptores. Non nomina, sed personae eliguntur ad Episcopatum, & quidem iis nominibus retentis, quibus a pueritia vocabantur. Nec potior est ratio, cur unus, & non etiam alter Platonis vocabulo donatus Pisarum Episcopus fuerit electus*. Deinde Grandio irascitur, atque succenset, quod proprio arbitratu citati instrumenti annum immutaverit, cum potius Indictionem emendare debuisset, quemadmodum ubi haec cum annis non convenit, Pagius, & Mabillonius fecerunt. Quid ad haec Abbas eruditissimus? Respondet primo (1) se non ideo Platonem unum ex Episcoporum numero expunxisse, quod Platonis nomen in usu nullo pacto fuerit, sed quod temere multiplicandum non sit: *non dixit Grandius non esse admittendum Platonem Episcopum, quia penitus inusitatum sit huiusmodi nomen, sed non ita facile, nec absque fundamento multiplicandum, ut nomina Joannis, Petri &c. magis usitata*; tum inficiatur, se absque justa ratione instrumenti annum correxisse; sic enim scribit: *verbum* octavo *est prope mar-*

(1) *Animadversionibus MSS. superius citat.*

marginem corrosum membranae, *quae si integra foret*, *locum haberet nostri additamenti* decimo, *ut necesse est pro subsistentia Indictionis* primae *ibi enunciatae*: tandem affirmat, incertum esse, an Indictio potius, quam anni mutandi sint: *nec Indictio pro arbitrio varianda; unde ubi non concordant anni Regni cum Indictione*, *cur haec potius*, *quam illi sunt corrigendi?*

Verum falsum est, quod tamen bona viri doctissimi pace dixerim, instrumentum esse corrosum, ac proinde vocem *decimo* abrasam fuisse timendum esse. Itaque cum Indictio prima anno octavo Ludovici Pii, idest anno aerae Christianae 821, vel sequenti ducta computandi ratione ab anno 814, a quo eius Imperii anni frequentius numerari solent (1), non respondeat; aut illi, aut hic mutari debet, sed utrum annus potius, quam Indictio emendanda sit, definire non ausim. Illud animadverto, Muratorium, qui in Italicis monumentis praesertim medii aevi examinandis, ac dignoscendis palmam omnibus praeripuisse videtur, instrumentum, de quo nobis res est, anno 823. confectum existimare (2).

XII. JOANNES III.

Huius Episcopi nomen expressum est in Actis Concilii Romani (3) sub anni 826. finem celebrati, cui ipse interfuit. Anno veniente mense Decembri locavit quaedam bona ad Ecclesiam suam spectantia Sundiperto Lucensi (4).

Paullo post decessisse Joannem putat Orlendius, qui Zenobium anno circiter 828. in illius locum suffectum existimat. Celeberrimus Grandius disputans contra Ughel-

(1) Confer Muratorium *Annalibus Italiae ad ann.* 814.
(2) *T. III. Antiq. Ital. col.* 1021.
(3) *T. IX. Concil. col.* 1118.
(4) Vide *chartam* apud Muratorium *T. cit. col.* 1013.

ghellium, atque Dempſterum, quorum alter Zenobium ad annum 841, alter ad annum 845. refert, oſtenderat, unum tantum huius nominis Epiſcopum poſt ſaeculi decimi initium Eccleſiam Piſanam gubernaſſe; ac praeterea cauſſam, cur Hiſtorici laudati erraverint, indicaverat; quod nimirum Zenobii inſtrumentum (1) *Lotharii Regis anno nono decimo idus Magii Indictione ſeptima* conditum non ad Lotharium Italiae Regem Hugonis Regis filium, ad quem revera pertinet, ſed ad Lotharium I. Imperatorem ſaeculo nono regnantem retulerunt, quippe quia illius initium legerunt hac interpunctione *anno nono, decimo idus Magii;* quod ſane abſurdum eſt; nam idus numerum octavum non praetergrediuntur. Verumtamen Orlendius cum in alteram chartam (2) Zenobii incidiſſet ſcriptam ſub Lothario Rege *anno Regni eius Dei propitio nono decimo tertio Kalend. Junii Indictione ſeptima*, profligatam de duobus Zenobiis opinionem pugnaciſſime tuetur, ſcilicet Zenobium huius nominis primum hanc Eccleſiam rexiſſe affirmat tempore Lotharii I. Imperatoris; Zenobium vero II. aetate Lotharii Regis. Ac laudatam chartam ad annum 829. revocandam eſſe probare ſe poſſe confidit ex Indictione *ſeptima*, qua memoratus annus notatus eſt; ex nomine Lotharii, qui revera tunc vivebat; & ex anno illius nono, qui 829. reſpondet, ſiquidem, ut Pagius oſtendit, Lotharius ipſe poſt obitum etiam Ludovici Pii Regni ſui annos ab anno 820. numerare conſuevit. Perſuadere item conatur Orlendius, ut ſententiam ſuam gravioribus firmet rationum momentis, inſtrumentum, quod, ut paullo ante narravimus, Grandius ad annum decimum nonum Lotharii Regis pertinere exiſtimat, ſub Lothario I. Imperatore confectum fuiſſe: ait enim, in eodem inſtrumento *minorem Idus numerum fuiſſe inſcribendum, aut forte loco* decimo idus,

(1) Eſt apud Muratorium *T. laud. col.* 1055.
(2) Hanc edidit ipſe Muratorius *col.* 1057.

legendum decimo Kalendas Magii. Cumque uno, vel altero exemplo adducto demonstraverit, scribas non semel depravasse monumenta, subiungit „ Satius mihi videtur „ ita existimare, quam praeter usitatissimum morem com„ putandi annos, aut dies dicere *anno nono decimo* : ne„ que enim vel ipsa barbara Longobardorum aetas sic „ computare consuevit. Sane ab omnibus Archiepisco„ palis Tabularii monumentis si duo tantum excipias „ tempore Liutprandi Regis condita, abest tam rudis, „ atque inusitata computandi forma.

Quandoquidem in citato instrumento solus Lotharius nominatur, nec Imperatoris titulo insignitur, illud aetate Lotharii II., non primi, ut Orlendio placet, conditum fuisse nemo non videt, probeque sentit. Quemadmodum enim ratiocinatur clarissimus Grandius (1) : *Hoc anno 829. decurrebat annus Ludovici Pii Imperatoris decimus sextus, adeoque in diplomatibus aut tempus solius Ludovici, aut eius simul cum annis Regni Lotharii notandum erat, cui praeterea Imperatoris titulus conveniebat, utpote qui consors Imperii factus erat a Patre anno 817, & a Paschali Papa Romae coronatus anno 823, a quo, ut ait Eginhardus, Imperatoris Augusti nomen accepit : non ergo Rex Lotharius in adducto monumento expressus ad filium Ludovici Imperatoris referri debet, sed ad Regem Italiae Hugonis filium.* Quod plures tabulae cum in Italia, tum in Gallia confectae notatae sint epocha Lotharii ab anno 820. deducta, non modo Pagius (2), sed etiam Mabillonius (3), Chifflетius (4), Cointius (5), Mansius (6), imprimisque Muratorius (7) exemplis adeo certis

(1) *In animadversionibus MSS. alibi citat.*
(2) *Critica Baron. ad ann. 821. num. 2.*
(3) *De Re Diplomatica lib. 2. cap. 26. num. 15.*
(4) *In Probationibus Historiae Trenorciensis pag. 268.*
(5) *Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad ann. 840. num. 60.*
(6) *Notis ad Pagium loco cit.*
(7) *T. I. Antiq. Ital. Differtat. 10. col. 509.*

tis probarunt, ut id in controversiam revocari nullo pacto queat. Hoc in usu quoque fuisse apud Pisanos etsi merito negare possem, cum in Pisanis instrumentis (1), quae lucem viderunt, expressa sit epocha ipsius Lotharii ab anno 822. ducta, ire nihilominus inficias nolo, ut Orlendio sim liberalis. At in iis tabulis Lotharius non Rex, sed Imperator appellatur; licet enim Imperiali corona anno 820. ornatus non esset, Civitates tamen, quae laudatam epocham adhibuerunt; *minime coronationem Romanam expectarunt, ut eum Imperatorem agnoscerent, sed statim ac Lotharius Rex Italiae a Ludovico Patre constitutus est, ipsum quoque uti Imperatorem susceperunt, cum nossent eum antea, hoc est anno 817. consortem Imperii ab eodem parente fuisse renuntiatum* (2). Itaque cum in Orlendiano instrumento Lotharius Rex duntaxat nominetur, hunc non Ludovici Pii, sed Hugonis Regis filium fuisse perspicue, distincteque apparet.

Scribarum inconsiderantia, & fortassis etiam aliquando culpa plures tabulas vitiatas fuisse libenter patior; sed vix, ac ne vix quidem concedere possum, depravatas esse tabulas a Grandio memoratas, nisi gravissima ratio in medium adducatur, quae depravationem luculenter ostendat: quam enim Orlendius profert, nullam esse optimo iure asserit Grandius ipse, siquidem, ut ille observat „ Nedum in utroque allato documento expresse tra-
„ ditur annus *nonus decimus* Regni Lotharii, qui est an-
„ nus 949., sed in aliis innumeris monumentis eadem
„ phrasis habetur: & ne ab Archivo Pisani Archiepis-
„ copatus discedamus, videat Auctor (*Orlendius*) diplo-
„ ma num. 3, quod sic incipit: *In nomine Domini re-*
„ *gnante domino nostro Liutprand vir eccel. Rege anno*
„ *nonodecimo mense Julio Indict. tertia decima* (3)„. Ne

 locus

(1) Apud Muratorium *T. III. op. cit. col.* 1013. 1028.
(2) Muratorius *Dissertat. citata*.
(3) *Ibidem*.

locus ullus ambigendi Orlendio relinqueretur, post eversum etiam Langobardorum Regnum adhibitam fuisse formulam illam computandi annos, quam is rudem, & inusitatam vocat, potuisset Grandius praeter memoratas chartas alias quoque in *Archivo* citato servatas laudare, in quibus Regum anni similibus formulis exprimuntur; sic, ut ceteras praeteream, charta quaedam Zenobii scripta dicitur Hugonis Regis *anno sexto decimo*; & altera Joannis anno Ludovici Pii *quarto decimo* (1): ex quibus omnibus liquido apparet, id verum esse, quod ait Muratorius (2), nimirum Zenobium Pisanum Antistitem, quem sub Lothario I. Imperatore vixisse nonnulli putant, *nunquam in rerum natura fuisse*.

Orlendii sententiam falsam esse clare, ut opinor, demonstravi, sed non idcirco apertum statim est, Joannem nostrum post annum 819. spiritum duxisse; nam Troncius, & post eum Veneti *Italiae Sacrae* Editores, etsi Zenobium ad annum 841. cum Ughellio referunt, volunt tamen, anno 819. citato Episcopum fuisse Platonem huius nominis II., quod is memoretur in instrumento anno 15. Ludovici Pii Imperatoris, ut illi censent, confecto. Muratorius (3) laudatum instrumentum vulgavit cum his chronologicis notis: *Regnante donno nostro Lodoico Serenissimo Augusto a Deo coronato magno, & pacifico Imperatore, anno sexto, decimo mense Madii, Indictione duodecima*; sed in postremis huius instrumenti verbis interpunctionis error irrepsit, qui proculdubio in caussa fuit, cur vir clarissimus conditum illud existimaverit anno 819. Antiquum eiusdem instrumenti exemplar (autographum enim desideratur) quod ego vidi, sic habet: *Regnante &c. anno sexto decimo. mense Madii. Indictione sextadecima*. Ex hac lectione patet, ad annum Ludovici sextum

(1) Sunt apud Muratorium *T. III. op. cit. col.* 1055. 1023.

(2) *In notis ad quandam chartam Pisanam col.* 1056.

(3) *T. cit. col.* 1021.

tum non spectare, ut Muratorius duxit. At cum Indictio vitiata sit, ad quem annum sit revocandum vix, ac ne vix quidem certo colligi potest. Grandius rescribendum *Indictione quarta decima*, & confectum esse anno 866. centet (1), qui decimus sextus est Ludovici II. Imperatoris, & Indictione decima quarta notatur. Re quidem vera iis circiter temporibus Episcopum fuisse Platonem non solum Ughellius, & Dempsterus asserunt, sed firmissimis quoque monumentis adversus Muratorium paullo post ostendam; hinc non dubito, quin Grandius rem ipsam putaverit.

BIURGUS.

Haec cum ita sint, eraso ex Episcoporum Pisanorum albo etiam Biurgo, seu Bingo, quem anno 837. sedisse Dempsterus, Troncius, Ughellius, Martinius, Cardosius, Abrahamius, & Orlendius scribunt, sed nullius veteris monumenti auctoritate fulti, dicendum est, Joannem nostrum multos annos huic Ecclesiae praefuisse. Etenim Anastasius Bibliothecarius (2) Joannem Praesulem Pisanum inter eos Antistites numerat, qui Ludovicum II. Italiae Regem Romam prosequuti sunt, eiusque consecrationi a Sergio II. Summo Pontifice anno 844. factae adfuerunt; & anno 848. mense Octobris Joannes huius Ecclesiae Antistes quosdam agros Lupaciano, & Sachisindo germanis fratribus locavit (3). Porro *nisi authenticae tabulae aliud persuadeant*, tum ille, tum *hic* Joannes *idem Episcopus credendus est, qui anno* 827. *Ecclesiam Pisanam rexit* (4).

XIII.

(1) *Epistola de Pandectis pag.* 117.
(2) *In Sergii II. vita pag.* 91. *inter Histor. Bizant. edit. Venetae.*
(3) V. *chartam* apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. col.* 1027.
(4) Muratorius *in notis ad eandem chartam.*

XIII. JOANNES IV.

Joannis nomen legitur inter Patres Concilii (1) habiti Romae anno circiter 850. a Leone IV. praesente Ludovico II. Imperatore, in quo sententia lata est contra Episcopum Arretinum, qui cum Pontifice Senensi de jurisdictione quarumdam Ecclesiarum, & Monasteriorum jam inde a pluribus annis contendebat.

Grandius (2), qui in ea erat sententia, ut crederet, *tres tantum eius nominis Joannes primis hisce seculis Pisanam Ecclesiam administrasse*, Joannem, de quo nunc agimus, huius nominis *secundum* dicit, ac praeterea fatetur, se non existimare diversum esse ab altero Joanne, cuius modo meminimus, & Episcopum vidimus ab anno 826, *dum non alia proferuntur monumenta alterius Praesulis nomen intermedio tempore indicantia* : & licet juxta chronologiam, quam ipse statuit, asserere cogatur, Joannem per 58. annos Ecclesiam Pisanam gubernasse, respondet id non repugnare, *si admodum juvenis eius regimen sumpserit, & ultra octogesimum annum vixisse supponatur, seu prope nonagenarius obiisse*.

Ta-

(1) Huius Concilii Acta primum vulgavit Muratorius *T. VI. op. cit. Dissertat. 74. col.* 380. postea Mansius *T. I. Supplementi ad Concil. Veneto-Labb. col.* 939, & Peccius *Storia del Vescovado della Città di Siena pag.* 74., sed absque notis chronologicis. Quamquam fateor cum laudatis clarissimis viris eadem Acta sincera esse, nunquam tamen patiar ad annum 853. spectare, quemadmodum Muratorius, & Peccius dubitant, certoque asserit Mansius. In primis enim laudatis Actis nonnulli subscribunt Episcopi, qui alteri Concilio Romae anno antea citato 853. sine controversia habito non subscribunt. Deinde memorato Concilio adfuit Ambrosius Lucensis Episcopus, sed hic anno 852. Ecclesiae Lucensis regimen dimiserat, uti tradit Ughellius *T. I. in Episcopis Lucens. n.* 24. *col.* 797, & aperte colligitur ex monumento, quod paullo post laudabo. Itaque in ea sum opinione, ut credam, Concilium, de quo loquimur, anno 850. celebratum, cum Ludovicus II. qui eidem interfuisse dicitur, Romae esset, ut Coronam a Romano Pontifice acciperet.

(2) *De Pandectis pag.* 113.

Tametsi quantum scio nullum peculiare vetus monumentum supersit, ex quo certo erudiamur inter Joannem, qui anno 826., ac ultra vivebat, & Joannem, de quo loquimur in praesentia, alium Episcopum medium fuisse, eos tamen non unum, sed duos Antistites esse affirmo. Mos antiquissimus est, ut Episcopi subscribant Conciliorum Actis habita ratione temporis, quo quisque ad Episcopalem dignitatem evectus est, non sedis praerogativae (1). At Joannes noster in Actis Concilii Romani laudati legitur post Ambrosium Lucensem, & Oschilum Pistoriensem Antistites, quorum alter (2) anno 844, alter post eum annum in Episcopum electus fuerat (3); igitur Joannes ipse ante memoratum annum Cathedram Pisanam non conscendit; qui ergo fieri potest, ut idem sit ac Joannes ille, qui hanc Ecclesiam anno 826. moderabatur?

Mense Aprili anni 853. Joannes, & Adalbertus Marchio Ludovici II. Imperatoris *Missi* Lucae morabantur, ubi habito placito statuerunt pro Hieremia Episcopo Lucensi, quosdam abutentes emphyteusi e jure, & possessione illius excidisse (4). Post quadriennium sexto idus Martii concessit Ecclesiam *Baptismalem* Sancti Petri *in Radicata* Stephano Presbytero (5). De Joanne nostro fit quoque mentio in charta (6) quadam anno 858. decimo calendas Apriles scripta. Muratorius (7) hunc Antistitem saltem ad

(1) Confer S. Gregorium Magnum *epistola* 108. *lib.* 9. *edit. Maurinorum*, & C. *Placuit* apud Gratianum *distinct.* 18. Adeundi item Baronius *ad ann.* 451. *num.* 17., Rochus Pirrus *T. I. Siciliae Sacrae in notitia Ecclesiae Messanensis* in Eucarpo, & Lamius *in litteris ad Baldasseronium*, quae sunt *in Ephemeridibus Florentinis anni* 1743. *num.* 19.

(2) Vide Ughellium *loco cit.*

(3) Consule eundem *in Episcopis Pistoriensibus col.* 290.

(4) Consule *chartam* apud Muratorium *T. III. op. cit. Dissertat.* 36. *col.* 163. Vide item Doctissimum Lamium *in Synopsi Historica pag.* 64. exstat *in Chronico Imperatorum Leonis Urbevetani*.

(5) Charta apud Muratorium *col.* 1029.

(7) Apud eundem *col.* 1033.

(6) *Col.* 1036.

ad annum usque 891. spiritum duxisse probabiliter censet, sed vehementer hallucinari ex iis, quae paullo post dicturi sumus, apertum, manifestumque fiet.

XIV. PLATO II.

Plato secundus nunquam Ecclesiae Pisanae praefuit, inquit ipse Muratorius (1) Ughellium refellens, qui post Dempsterum Platonem alterum anno 860. sedisse litteris consignaverat. Tametsi vadem exhibere me nolim laudatorum Scriptorum sententiae de anno, quo Platonem II. Episcopum fuisse statuunt, mihi tamen verisimillimum est, hunc Pisanam Ecclesiam rexisse saltem post sexennium mense maio, cum id appareat ex instrumento eo anno valde probabiliter confecto (2). Anno 872. mense Decembri *Missus* a Ludovico Imperatore institutus una cum aliis Episcopis, ac nobilibus viris decrevit, quasdam possessiones ad Ecclesiam Lucensem spectantes, & a quibusdam iniuste occupatas Gherardo eius Antistiti restituendas fore. Huius decisionis monumentum, quod exhibent Ughellius (3), & Florentinius (4) ad laudatum annum referendum esse liquido constat tum ex notis chronologicis, siquidem conditum dicitur anno 21. Ludovici Imperatoris 14. Kalendas Novembris Indictione V.; tum ex Episcopis Oschiso Pistoriensi, Andrea Florentino, & Gherardo Lucensi in eo memoratis, qui proculdubio superiori anno vixerunt.

Pla-

(1) *Ibidem*.
(2) Confer, quae diximus *in Joanne III. circa finem*.
(3) *T. I. in Episc. Lucens. n. 26. col. 798.*
(4) *Memorie della gran Contessa Matilda pag. 13. Append. docum. edit. Mans.* Eiusdem monumenti fragmentum recitant Cosmas de Arena *par. 2. della Serie de' Duchi &c. pag. 111. n. 29.*, & Auctor libri inscripti: *Notizia della vera Libertà Fiorentina par. 1. cap. 4. art. 3. pag. 211.*; hinc vehementer miror, eruditissimo Muratorio haud innotuisse.

Platonem nostrum anno etiam 876. in vivis fuisse asserit Grandius, qui instrumentum quoddam, ubi de illo fit mentio, conditum anno primo Caroli Imperatoris, ad eum annum revocat, quippe quia censet, Carolum Imperatorem, cuius meminit instrumentum, esse Carolum Calvum anno 875. electum. Grandium sequitur Orlendius. Troncius, & Ughellius usque ad annum 877. vitam perduxisse scribunt, idque apparere aiunt ex Pisanis monumentis. Laudatum instrumentum non ad Caroli Calvi, sed ad Caroli Magni aetatem spectare putat Muratorius (1), sed hallucinatur; hinc haud inficior, anno 876, & fortassis etiam sequenti Platonem adhuc vixisse. Illud autem verisimillimum censeo, anni 877. initio, Platonem ipsum vitam cum morte commutasse, siquidem mense Majo alter Episcopus Pisanis praeerat, ut paullo post narrabo. Nec est, quod quis opponat, in litteris a Martinio (2) sub nomine Heliae Patriarchae Hierosolymitani editis, quae scriptae dicuntur ad Consules Pisanos *anno post Christum natum* DCCCLXXXI. affirmari, hanc Ecclesiam a Platone gubernatam tunc fuisse. Etenim memoratas litteras apocryphas esse, quicumque eas lustraverit quamfacillimè cognoscet.

Quandoquidem verò in hac nova Antistitum Pisanorum serie duos Platones, duosque Joannes ab initio saeculi noni ad annum usque 877. recensuimus contra ac Grandius facit, qui duos tantum Episcopos numerat, Joannem nempè saeculo ineunte electum, & post eum Platonem sub anno 866.; opponi adversus nos potest instrumentum illud Grimaldi Praesulis Pisani ab Ughellio (3) relatum, quod Grandius ipse gloriatur (4) opinionem suam mirum in modum confirmare; Grimaldus enim anno

(9) *T. III. op. cit. col.* 1017. Vide dicta *in notis ad Platonem I.*
(1) *Appendice ad Theat. Basilicae Pisanae pag.* 155.
(2) *In Epist. Pisanis num.* 28. *col.* 353.
(3) *Epistola de Pandectis pag.* 119.

958. narrans, Congregationem Canonicorum in Ecclesia S. Mariae institutam olim floruisse, tres memorat Episcopos eo ordine, quo Grandius recenset : *quod etiam*, inquit, *apertius credi potest*, *quod perantiquos Sacerdotes recordari se dicunt*, *quod bonae*, *& recolendae memoriae Joannem*, *Platonem*, *itemque Joannem venerabilibus Praesulibus horum omnium temporibus inclyta*, *vel praeclara fuisse refertur Congregatio ipsa Sancta*. Verum tantum abest, ut allata Grimaldi verba seriem a nobis contextam oppugnent, ut eam potius veritati consonam ostendant. Etenim Joannes, cujus primò meminit Grimaldus, non est Joannes ille, qui ut opinatur Grandius, Pisanos gubernabat anno 802, sed Joannes huius nominis IV., cui proxime Plato II., deinde Joannes V. successit, de quo paullo post differemus : idque aperte infertur ex ipsius Grimaldi verbis, ex quibus patet, quo tempore Grimaldus instrumentum confecit quosdam superfuisse Sacerdotes summa senectute, qui tres illos Episcopos agnoverant. Sed nostra posita sententia hoc possibile quidem videtur, nequaquam vero admissa Grandii opinione, quemadmodum unicuique rationem temporum consideranti patere potest.

XV. JOANNES V.

Joannes Antistes Pisanus memoratur in instrumento condito anno Caroli Imperatoris secundo 15. calendas Junias Indictione X. Grandius ad Caroli Magni tempora idem instrumentum refert. Nos cum eruditissimo Muratorio (1) ad Caroli Calvi aetatem revocandum esse existimamus. Si rem putavimus, Joannes non solum anno 880, ut Dempsterus, ac Troncius ducunt, vel post decennium, ut arbitratur Ughellius, sed anno etiam 877. Epis-

(1) *T. cit. col.* 1035.

Episcopus erat; hic enim annus secundus est Imperii Caroli Calvi, & Indictione *decima* signatur. Joannis meminit etiam charta (1) scripta anno 883. nono calendas Junias. Eodem anno mense Octobris ipse Joannes agros quosdam ad Pisanam Ecclesiam spectantes cum Umberto Gumberti filio commutavit (2).

Muratorius (3) in communem usum dedit instrumentum, ex quo erudimur, Episcopum nostrum vixisse mense quoque Junio anni primi Imperii Widonis, idest anni 891, quo nono calendas Martii ipse Wido Imperiali diademate ornatus fuit, ut contra Baronium, & alios luculenter demonstrant Pagius, Sigonius, & Muratorius laudatus (4).

XVI. THEODERICUS I.

Post Joannem Antistitum Pisanorum fastis inscribunt Ardingum Dempsterus, Ughellius, Troncius, & Martinius; quem Dempsterus ad annum 910, alii ad annum 909. referunt. *Sed caracteres*, inquit Orlendius, *cujusdam diplomatis Archiepiscopalis Tabularii nomen prope ambiguum praeseferentes viros eximios in id impulerunt, ut* Ardingum *interpretarentur, quod* Theudericum *designat: ideoque venia digni sunt, si ex uno duos fecerunt, cum reipsa unus fuerit* Theudericus *in omnibus monumentis expressus*. Itaque

(1) Apud Muratorium *col.* 1039.

(2) Ex tabulis in Pisano Archivo servatis. Muratorius, qui has tabulas publicavit *T. III. Antiquit. Ital. col.* 1037. existimat, ad annum 878. spectare, quem, ut coniicio, tertium *Caroli Calvi* credidit. Sed vir praestantissimus in errorem lapsus est; nam idem Carolus anno 875. die Natalis Domini factus Imperator, ac defunctus die 13. Octobris, ne duobus quidem solidis annis regnavit, & anno 878. nullus erat in Occidente Imperator, sed *Carolusmannus* Rex Italiam gubernabat. Vide ipsum Muratorium *in Annalibus Italiae ad eos annos*. Itaque mea sententia eaedem tabulae ad annum 883. referri debent, qui tertius est *Caroli Crassi*, & Indictione prima notatur.

(3) *T. III. Antiquit. &c. col.* 1039.

(4) Pagius *ad annum* 891. *num.* 2., Sigonius *de Regno Italiae lib. 6. T. II. opp. col.* 358. *edit. novae*, & Muratorius *Annali d' Italia ad ann.* 891.

que reiiciendus Ardingus est, de quo nullum exstat antiquum monumentum.

Theodericus *Ultramontanus genere*, ut legitur in Grimaldi instrumento superius citato, Pisanae Ecclesiae praeerat anno *909.* quinto calendas Septembris (1). Vivebat etiam anno sequenti 7. idus Martii (2). Dempsterus, aliique tres Scriptores paullò ante laudati ajunt, in vivis item fuisse anno *911.* Ex instrumento Grimaldi liquido appâret, concessisse Canonicis Pisanis Ecclesiam S. Mariae sitam in loco, qui dicitur *Mezzana*; & omnes possessiones ad eam spectantes.

THEODERICUS, VOLIGHIDIUS.

Horum alterum anno 917, alterum postero anno Ecclesiam Pisanam rexisse scribit Dempsterus, quem sine ulla haesitatione sequuntur Troncius, & Martinius. Etiam Ughellius eos Pisanis Pontificibus primum accenset, aitque suspicari se natione fuisse Germanos, *siquidem Imperator Germanus cum per ea tempora pessimo exemplo Episcoporum electionem sibi usurpasset, credibile est adhibuisse suos, qui Sedem illam* (Pisanam) *ad nutum jubentis administrarent*: deinde perspicuè, diserteque ostendit, se vehementer ambigere, utrum illi Episcopi Pisani umquam fuerint: *Ceterum*, inquit, *Dempsterum demiror, qui hos in catalogum Pisanorum Praesulum contulerit nulla ullius auctoritate Scriptoris suffultus. Igitur apud ipsum esto fides ejus narrationis*. Muratorius (3) item dubitat, laudatos Pontifices confictos fuisse; nam quae sine antiquis monumentis recentiores proferunt, aut falsa, aut saltem dubia sint necesse est.

XVII. WOLFGHERIUS.

Ab Ughellio Ulferius, a Dempstero, Troncio, & Martinio Volferius appellatur. Ecclesiae Pisanae praefuisse anno

(1) V. *chartam* apud Muratorium col. 1041.
(2) *Ex charta in Tabulario Archiepiscop. Tom. I. n.* 36.
(3) *Col.* 1045.

anno 920. afferunt una voce memorati Scriptores; quod valde probabile cenfeo, fi verum eft, quod putat Muratorius (1), nimirum Wolfgherium proximè fucceffiffe Theoderico. Anno primo Hugonis Italiae Regis 10. calendas Martii Indictione 15. poffeffiones quafdam locavit Adalprando Urfi filio (2). Sed Ugo anno 926. poft Martii menfem in Italiae Regem electus eft (3). Itaque anno etiam 927. menfe Februario Epifcopus erat Wolfgherius. Ex inftrumento Grimaldi, quod alibi laudavi, conftat erga Pifanos Canonicos non minus quam decefforem fuum Theodericum liberalem fuiffe.

AUNTUS, ACTIUS, JOANNES VI., HENRICUS.

Dempfterus, & alii, quos nuper citavi, Scriptores exiftimant, Volfgherium eodem anno 920. fucceflorem habuiffe Auntum, quem etiam Autionem, feu Attutronum vocant; poft hunc referunt Actium I., feu Azzonem, quem dicunt Ecclefiam Pifanam rexiffe anno 924, quemque Ughellius unum, & eundem effe cum Aunto probabiliter judicat; ad annum fequentem recenfent in Pontificum Pifanorum ferie Joannem VI., in cujus locum fuffectum volunt anno 926. Henricum. Verum, ut praetercam nullum extare vetus monumentum, in quo de his Praefulibus mentio fiat; & verifimile nequaquam effe, fpatio fex tantum annorum quinque diverfos Antiftites floruiffe: qui fieri poteft, ut memorati Epifcopi in hac federint Cathedra, quo tempore a Volfgherio tenebatur? Itaque jure, atque

(1) *Col.* 1046.
(2) Adi *inftrumentum* apud Muratorium *ibidem*.
(3) Confer Muratorium *Annali d' Italia ad annum* 926., & *Differtazione* 34. *fopra le Antichità Italiane Tom. II. pag.* 329. *edizione* 1765.

atque merito Ughellius ipse, Grandius, Muratorius, & Orlendius Auntum, seu Actium, & alios numerant inter Pisanos Pseudo-episcopos, vel saltem inter eos, de quibus vehementer dubitandum est.

XVIII. ZENOBIUS.

In pluribus monumentis *Cenobius* dicitur. Dempsterus, Ughellius, imprimisque Orlendius secundum huius nominis Episcopum esse scribit. Sed in magno errore illos versari alibi (1) perspicue ostendimus. Nullum certum vestigium in hoc Archiepiscopi Tabulario occurrit, ex quo pateat ante annum 934. die mensis Martii quarta hanc Ecclesiam rexisse, tametsi Ughellius, ac Troncius post Dempsterum existiment, anno etiam 930. Zenobium Pisano populo praefuisse: eo enim anno concessit Ecclesiam *Baptismalem* S. Mariae, & S. Joannis positam in oppido *Vico-Pisano* Joanni Presbytero (2). Aeque liberalem se exhibuit anno sequenti 935. decimo calendas Junias erga *Cundum* item Presbyterum, cui Ecclesiam de *Cascina*, quae *Parrochia Baptismalis* erat, elargitus est (3); & anno 942. undecimo calendas Aprilis erga Presbyterum alterum nomine Martinum, quem ditavit Ecclesia SS. Paulli, & Joannis in Portu Pisano sita (4). Contulit etiam Canonicis Pisanis quasdam possessiones, ut ex charta Grimaldi erudimur.

Ughellius Dempsterum sequutus in Zenobii locum anno 940. subrogatum jam fuisse Grimaldum posterorum memoriae mandavit; quod tam falsum est, quam quod maximè. Etenim ex duobus exploratae fidei instrumentis, quorum alterum recitat Muratorius (5), alterum servatur in

(1) *In Joanne III.*
(2) V. *chartam* apud Muratorium *T. III. col.* 1051.
(3) *Ex instrumento* apud eundem *col.* 1053.
(4) Apud eundem *col.* 1055.
(5) *Col.* 1057.

in ſecreto Archiepiſcopi Tabulario (1), manifeſtum eſt tum anno 949. tertio calendas Junias, tum etiam anno 954. decimoquinto calendas ejuſdem menſis Zenobium ipſum vixiſſe.

XIX. GRIMALDUS.

Ab Ughellio Grimoaldus vocatur. De hoc Epiſcopo, quem proximè ſucceſſiſſe Zenobio arbitramur, primum fit mentio in charta ſcripta anno 958. ſeptimo idus Decembris (2). Ex monumentis a Muratorio (3) publicatis clarè, diſtinc̄teque apparet, ſpiritum duxiſſe ſaltem uſque ad annum 955. quinto nonas Martii; unde aſſerere fas eſt, vehementer hallucinatos eſſe Ughellium, Troncium, & alios, qui Grimaldum ipſum in Cathedra Piſana ſediſſe putant uſque ad annum 958. duntaxat. Multas poſſeſſiones elargitus eſt Congregationi Canonicorum Piſanorum, quod liquet ex inſtrumento ab ipſo condito, & ab Ughellio vulgato (4).

Otto Imperator hujus nominis I. anno 963. octavo idus Novembris Romae Concilium habuit, in quo Joannem XII. Summum Pontificem exauctorare tentavit, ut Luit-

(1) *T. I. Apographorum n. 56.*

(2) Eam dibimus *in Appendice monument.*

(3) *Col.* 1061.

(4) *In Episcop. Piſanis n. 28. col.* 353. Hoc inſtrumentum dicitur *actum Piſe . . . . anno Domini noſtri Berengarii, & Adelberti filii eius gratia Dei Regum, Regni eorum auxiliante Domino VIII. tertio nonas Decembris Indict. 2.* Ughellius ex his chronologicis notis colligit anno 853. confectum illud fuiſſe: *annus hic veteri documento appoſitus Berengarii, Adelbertique Regum Italiae octavus eſt, qui in annum 953. Indict. 2. incurrit, cum aliquot anni Italici Regni Berengarii detrahantur, nimirum ii, quibus per vim Regnum tenuerat ab Ottone inde Imperatore depulſus.* Sed cum Berengarius, & Adalbertus in Reges electi ſint anno 950., illorum Regni annus octavus, eſt annus 958. non autem 953., ut exiſtimat Ughellius; hinc Antiquitatum Italicarum medii aevi parens Muratorius tabulas ſimilibus notis chronologicis ſignatas ad annum 958. jure meritoque retulit. Vide *T. II. Antiquit. &c. Diſſert. 28. col.* 777. Quocirca ex laudato inſtrumento non colligitur, quod Grimaldus jam inde ab anno 953. Eccleſiam Piſanam gubernaret.

Luitprandus (1) narrat, qui praeterea loquens de Episcopis, qui ad illud convenerunt, ait: *a Tuscia Conradus Lucensis, Everarius Aricensis, Pisanus Senensis, Florentius Pestruensis*. Ughellius (2) ex hoc Luitprandi testimonio infert, Antistitem nomine *Pisanum* Ecclesiam Senensem gubernasse. At eruditissimus Peccius (3) post Ubertum Benevolentium (4) suspicatur, talem Episcopum nunquam fuisse; idcirco credit, Luitprandum tribuisse Episcopo nomen Ecclesiae, quam ipse regebat, ac inter verba illa *Pisanus Senensis* interpunctionem desiderari. Hoc si veritati consonum est, apertum fit, Grimaldum Romano Concilio adfuisse: nec enim probare possum, quod Peccius ipse vir alioquin eruditissimus conjicit, nimirum Pisanum Pontificem memorato Concilio praesentem fuisse Albericum; hic namque non nisi post duos annos, & fortassis etiam ultra Ecclesiam Pisanam gubernare coepit, ut ex iis, quae superius narravimus, compertum est.

XX. ALBERICUS.

In litteris (5) Joannis XIII. Pontificis Maximi pro institutione Episcopatus Misniensis scriptis tempore Synodi in Urbe celebratae desinente anno 967., vel ineunte sequenti, inter alios Episcopos, quorum nonnulli ex Tuscia sunt, memoratur Albericus. Vix autem, ac ne vix quidem dubito, quin Albericus ille unus, idemque sit, ac Pontifex noster, qui laudatae Synodo interfuerit. Paullò post profectus videtur Ravennam, ubi mense Octobri anno 968. Joannes supra memoratus Concilium secundo habuit, in quo teste Pagio (6) ad finem perductum est, quod

(1) *In Historia lib. 6. c. 7. pag.* 472. apud Muratorium *T. II. part. 1. S. R. Ital.*
(2) *T. III. in Episc. Senens. n.* 37. *col.* 532.
(3) *Storia del Vescovado della Città di Siena pag.* 100.
(4) *In notis ad Ughellium ibidem*.
(5) Apud Mansium *T. I. Suppl. ad Concil. Venetio-Labb. col.* 1154.
(6) *Ad annum* 967. *n.* 4. *&* 5.

quod anno praecedenti de Archiepiſcopatu Magdeburgenſi inſtituendo inchoatum ibidem fuerat; edito inſtitutionis inſtrumento (1), cui Albericus ſubſcribit his verbis: *Albericus Epiſcopus Sanctae Piſenſis Eccleſiae conſenſi, & ſubſcripſi.*

Anno 970. pridie idus Aprilis in emphytheuſim conceſſit Anſiprando, & Leoni germanis fratribus quaſdam domus, aliaſque poſſeſſiones ſpectantes ad Eccleſiam, *cui vocabulum eſt Beati Sancti Caſſiani, & Sancti Johanni, quod eſt Plebem Baptiſmalis ſita loco, & finibus prope fluvio Arno* (2). In Tabulis, quae in Archiepiſcopali Archivo ſervantur, memoratur Albericus noſter cum ad annum 975. menſe Octobri (3), tum ad annum 985. octavo calendas Junias (4); ex quo liquidò apparet Ughellium ſcribentem Albericum uſque ad annum 983. huic Eccleſiae praefuiſſe, non ſatis perſpectum habuiſſe tempus, quo is rexit Piſanos.

XXI. RAIMBERTUS.

Si celebris Ughellius affirmans, Raimbertum anno 985. Epiſcopum fuiſſe, rem acu tetigiſſet, illud conſequeretur, Raimbertum ipſum Alberico ſub finem anni 985. vel ſub initium ſequentis defuncto ſtatim ſucceſſiſſe. Sed vereor, ne ex ſua ſententia id aſſerat: quamvis Raimbertum paullo poſt, anno ſcilicet 987. octavo idus Aprilis hanc Eccleſiam gubernaſſe exploratum ſit ex veteri inſtrumento, quo ipſe Leoni, Alberto, & Stephano Albonis filiis in emphytheuſim concedit duos agros in loco, qui vocatur *Octavo* poſitos, quorum unus erat *propè Eccle-*

(1) Apud Henricum Meibomium *inter Script. Rerum Germanic. in notis ad VVittikindum Monachum pag.* 108., *& Tom. XI. Concil. col.* 913.
(2) *Charta T. III. Antiq. Ital. col.* 1063.
(3) Conſule Muratorium *T. II. op. citat. Diſſertat.* 7. *col.* 375.
(4) Vide *chartam in Append. monument.*

ſiam S. Martini, quae dicitur Ripafracta (1). Vidi ego in ſecreto Archiepiſcopi Tabulario non pauca huiuſmodi inſtrumenta a Raimberto confecta diverſis temporibus, anno videlicet 988. decimoquarto calendas Julias (2); anno 990. decimo calendas Januarias (3); anno 994. quarto nonas Septembris (4); & anno 996. decimonono calendas Januarias. Inſtrumentum hoc anno conditum, & a Muratorio (5) vulgatum poſtremum eſt, in quo de Raimberto fit mentio.

P E T R U S.

Ab anno paullo ante laudato ad annum 1005. nullus occurrit Piſanus Antiſtes apud Ughellium, Dempſterum, Troncium, Cardoſium, Abrahamium, & Martinium; qui tamen eo anno Epiſcopum fuiſſe Petrum affirmant. Hujus Piſani Pontificis meminit etiam Placidus Puccinellius (6), ſed Piſanam Eccleſiam ante annum milleſimum rexiſſe cenſet, cum ſcribat, eum magni feciſſe Hugonem Etruriae Ducem (7), qui anno 1001. vigeſima prima die menſis Decembris e vita migravit (8). Clariſſimus Grandius in Pontificum Piſanorum ſerie a ſe emendata illum omiſit, quod nullum ſit exploratae fidei monumentum, in quo is memoretur. Sed Orlendius, qui poſt Grandium eorumdem Pontificum ſeriem, licet non multum feliciter, contexuit, Petrum in eadem rurſus collocavit, *ſiquidem*, inquit ille, *Ughellius, Troncius, & alii ex antiquo codice MS. narrant, hujus Petri Epiſcopi tem-*

(1) Extat *in Tabulario Archiepiſ. T. I. n. 66.*
(2) *Num. 67.*
(3) *Num. 69.*
(4) *Num. 73.*
(5) *T. III. col. 1065.*
(6 *Iſtoria d' Ugo Principe della Toſcana pag. 49.*
(7) *Ugo fu in gran ſtima preſſo . . . . . . d' Alberico, Raimberto, e Pietro Paſtori di Piſa.*
(8) Etſi multae ſunt Hiſtoricorum ſententiae de anno, quo Hugo deceſſit, Puccinellius tamen *op. cit. pag. 56.* ejus obitum in anno 1001. collocat. Idem ſentiunt Coſmas de Arena *Serie Ducum Etruriae part. 1. pag. 162. & ſeq.*, nec non Pagius *ad ann.* 1002, *n.* 3., aliique plures.

tempore Pisas a Saracenis e Sardinia huc inopinatò appulsis captas, earumque partem ultra Arnum sitam, & Chincicam *dictam igne fuisse combustam*. Addit etiam mirum non esse, quod nulla fiat de illo mentio in Pisanis monumentis, *cum perbrevis fuerit eius Episcopatus, fortassis vix unius anni, & Civitas Pisana tam grave infortunium pertulerit*. Verum Paullus Troncius (1) narrationis suae nullum vadem exhibet; immò quaedam scribit, quae vix, ac ne vix quidem probabilia mihi videntur (2). Ughellius autem veterem codicem, quem ipse apud se servabat, laudat, sed ut probet Pisas anno 1005. occupatas fuisse, non ut ostendat, Petrum Ecclesiam Pisanam tunc gubernasse, quod antiquorum nemo tradit. Et sane non dubito, quin antiquus codex ab Ughellio citatus sit vel *Chronicon Pisanum* vel *Annales Rerum Pisanorum*, quae duo Opuscula ipse edidit (3); at in utroque ad annum 1005. legitur: *fuit capta Pisa a Saracenis*; de Petro verò eo tempore Episcopo nullum habetur verbum. De hoc Antistite altissimè silet etiam Marangonius (4), etsi de Pisarum occupatione, deque bellis a Pisanis sub iis temporibus gestis longum sermonem faciat.

Quo verò fundamento dicat Orlendius, Petrum brevissimo temporis spatio Episcopatum obtinuisse, ideoque nul-

(1) *Annali Pisani pag.* 10.

(2) Narrat enim Musaetum Regem Saracenum numeroso exercitu Pisas venisse, easque rapinis, incendioque vastasse, sed non potuisse omnia, quae animo conceperat, exequi, quod mulier quaedam *Chinsica* vocata e *Gismondorum* familia cum strepitum, maximamque hostium clamorem audivisset e propriis laribus egressa ad Palatium Rectorum Reipublicae citato gradu perrexit, eisque miserrimum patriae statum reprehesentavit. Credat haec Judaeus Apella, non ego. Anne magnus hostium exercitus non secus perinde ac nocturnus fur ita occultè Pisas venire poterat, easque depopulari, ut id soli mulieri, non verò universae Civitati innotesceret? Sed & alia refert omninò falsa. Adeundi viri celeberrimi Grandius *in notis ad monumentum* 40. *Epistolae de Pandectis pag.* 232., Lamius *Lettera* 6. *nelle Novelle Fiorent. del* 1760. *n.* 22., & Muratorius *Annali d' Italia ad annum* 1005.

(3) Sunt *T. X. Italiae Sac. Edit. secundae*.

(4) *Cronica Pisana col.* 318. *Tom. I. Script. R. Ital. Edit. Florent.*

nullum extare in Archiepiſcopi Tabulario inſtrumentum, quod illius meminerit, certe non video, cum vix Petri nomen ſibi notum eſſe ſatis indicet. Itaque merito ait Muratorius (1), tutius ſentire eos, qui Ughellio, Troncio, & aliis Petrum in Praeſulum Piſanorum catalogo collocantibus derogant, quam qui iis fidem adiungunt ſuam; maximè cum anno 1005. Epiſcopus eſſet Wido, ut paullò poſt oſtendetur. Sed nunc audire praeſtat Guidonem Grandium, rationem, cur Dempſterus, caeterique eum hac in re ſequentes in errorem lapſi ſint, exponentem: „ Nullus antiquus codex MS. meminit, quod Petri Epi„ ſcopi tempore ea Saracenorum irruptio in Piſas con„ tigerit, ſed tantum in vetuſtis monumentis habetur, „ quod tale quid Piſanae Civitati evenit anno 1005. ad „ quem cum referat Ughellus, & Troncius fictum illum „ Petrum I. Epiſcopum, cujus nulla eſt memoria, ſed ex „ aequivocatione Epiſcopi Petri anno 1105. ad eam Ec„ cleſiam evecti, deducta eſt illa traditio; hinc ſcripſe„ runt, huius Epiſcopi tempore eam invaſionem Sarace„ norum accidiſſe. Etiam in MS. codice olim Viviani „ de Vivianis Epiſcopi Inſulani continente Poema Lau„ rentii Diaconi *de Bello Maioricano*, quod anno 1114, „ & 1115. ſub Petro Archiepiſcopo contigit ſcriptum le„ gitur per amanuenſis errorem *Rerum in Maiorica Pi„ ſanorum, ac de eorum triumpho Piſis habito anno ſalutis „ MCIV.*, ut animadvertit Muratorius Rerum Ital. T. VI. „ pag. 112. Alius codex, quem vidi in Bibliotheca do„ mini Ceffinii pro MCIV. habebat MIV. hinc ergo de„ duci potuit, quod Petrus aliquis Epiſcopus fuerit cir„ ca annum 1005., cum duntaxat ad annum 1105. Pe„ trus ex Abbate S. Michaelis Piſanus Epiſcopus factus „ fuerit (2).

XXII.

(1) *Col.* 1069.
(2) *Animadverſionibus MSS., quas pluries laudavi.*

XXII. WIDO I.

Tametsi non constat, quo anno Wido Episcopatum susceperit, ex instrumento tamen a Muratorio publicato (1) exploratum est, illo potitum esse anno 1005. sexto idus Julii. Caetera instrumenta in Tabulario Archiepiscopi servata, in quibus Widonis nostri nomen expressum est, condita sunt anno 1008. decimoquinto calendas Novembris; anno 1010. sexto calendas Julii; anno 1011. octavo idus Junii; anno 1012. tertio nonas Junii (2). Cum nihil illa contineant, quod ad Episcopi nostri gesta illustranda conferre queat, satis erit ea tantummodo indicasse, ut innotescat, quibus annis hanc Ecclesiam Wido gubernaverit. In ea sum opinione, ut credam Widonem hunc non esse ab eo diversum, quem Dempsterus, & alii ad annum 1015. perperam referunt, ut paullo post ostendam.

LAMBERTUS.

In Widonis locum suffectum existimant anno 1013. Lambertum Troncius, & Ughellius. In hac opinione versatur etiam Orlendus, non solum quod ipse Lambertus memoretur in omnibus catalogis tum editis, tum ineditis, sed maxime quod mentionem de illo faciat Auctor Chronici Brevis Pisani his verbis: *anno Domini 1017. venerabilis Benedictus Papa una cum universo Clericatu, & Senatu Legatum Ostiensem Episcopum ad Civitatem Pisanam misit, ut Mugettum Regem de Sardinia expelleret. Romana Sedes totam Sardiniam cum privilegio, & vexillo Sancti Petri Pisanae Civitati firmavit. Quapropter Consules una cum Episcopo Lamberto cum concordia populi ad invicem concordaverunt, & facere promiserunt, & vexillum S. Petri ita cum privilegio coeperunt* (3). Etsi memo-

(1) *Col.* 1069.
(2) *T. I. apographorum n.* 85. 86. 87.
(3) Apud Ughellium *T. X. col.* 117. *edit. cit.*

memorato Auctori fidem tribuerint Volaterranus (1), Pigna (2), Marangonius (3), atque Dempsterus; Grandius tamen quod ad Lambertum attinet illi minime credit; hinc postquam ex laudato Chronico superiorem historiam retulit, ita subiungit (4): *optandum vero, ut aliunde, quam ex hac Chronica Episcopi huius Lamberti nomen innotesceret, cui plurima repugnant monumenta pro Azone Episcopo inferius adducenda* (5). Huiusmodi monumenta, ex quibus clare, distincteque apparet, Azonem Pisanis praefuisse ab anno 1015. quinto idus Octobris ad annum 1031., Orlendio quoque negotium facesserunt; quocirca ut

(1) *Lib. 5. Comment. Urbanorum fol. 42. edit. 1526.*

(2) *De Principibus Atestinis lib. 3. pag. 229.*

(3) *Op. cit. col. 320.*

(4) *In Append. ad epist. de Pandectis pag. 221.*

(5) De Lamberto fit mentio in aliis etiam monumentis. Florentiae in Bibliotheca Magliabechiana *Classe 25. n. 32.* servatur Historia Pisana MS., in qua *fol. 5.* haec leguntur: *l' anno 1013. al tempo di M. Lamberto Vescovo di Pisa fu fatto grande sforzo da' Pisani per mare, e andati con la loro armata in Sardigna contro il Re Mussetto lo cacciarono di quell' Isola con il suo esercito, e svalligiata se ne tornarono a Pisa; e questo fu a richiesta di Papa Niccola. Nel tempo del sopradetto M. Lamberto nel 1017. il Papa Calisto mandò il Cardinale di Hostia con il Clero in Sardigna a predicare la Crociata contro i Saraceni; il quale Vescovo di Pisa si obbligò di farne il passaggio, e riceverne il Gonfalone rosso.* Anonymus Auctor Chronici Pisani ab eruditissimo Mansio vulgati *in Miscellaneis Balutianis T. I. pag. 449.* sic habet: *Nel 1017. nel tempo di Messer Lamberto Vescovo di Pisa lo Papa con la Chiericia sua mandò a Pissa a perdicare la Croce in Sardigna contra alli Saracini lo Cardinale di Ostia, al qualle lo ditto Vescovo elle Comune di Pisa subrichono di far passaggio.* Apud Martinium *Append. ad Theat. Basil. Pisanae pag. 156.* extant litterae sub nomine Benedicti VIII., quae datae dicuntur anno 1015. *dilectissimo Fratri nostro Lamberto Pisano Episcopo, atque charissimis Filiis nostris S. Mariae Canonicis in Coenobio Pisensis Ecclesiae regularem, & communem vitam degentibus.* Sed haec monumenta pluris facienda non sunt, quam Chronicon Ughellianum, ex quo tum Historia Pisana, tum alterum Chronicon a Mansio publicatum descriptum videtur. Immo minoris auctoritatis esse censeo, siquidem Historia laudata praesertim multo plures errores continet, ut cum narrat, Pisanos in Sardiniam primò navigasse rogante Nicolao; secundò sub Callisto, quorum neuter Ecclesiam universam saeculo undecimo gubernavit. Litterae verò Benedicto VIII. adiudicatae sincerae non sunt, quod quicunque eas legerit, dignoscere potest; hinc Orlendius, cui illas haud innotuisse nunquam credam, etsi nervis omnibus ostendere conatur, Lambertum Episcopum Pisanum fuisse, ad hoc tamen probandum memoratas litteras non adhibuit.

ut e vadis emergeret, respondet citatum Chronicon, quod ad annum spectat, emendandum esse ex Annalibus Pisanis, in quibus (1) legitur: *anno Domini* 1016. *Pisani, & Januenses devicerunt Sardiniam*; & paullo post: *anno Domini* 1017. *Rex Mugettus, & Saraceni revicerunt Sardiniam*. Ex his enim duobus testimoniis cum doctissimo Pagio (2) inferri debet, anno 1016. Sardum bellum absolutum fuisse; ideoque anno 1014. saltem inchoatum; ad quem revocanda est Summi Pontificis ad Pisanos Legatio, & Lamberti Episcopatus, quem post Widonis obitum vel desinente anno 1012., vel sequenti ineunte obtinuit, & sub anni 1014. finem dimisit, utqui vitam cum morte commutavit.

Chronica Pisana ab Ughellio, & Muratorio vulgata sublestae fidei esse arbitrantur viri eruditissimi Lamius (3), & Muratorius ipse tum in Annalibus Italiae, tum in Antiquitatibus medii aevi, ubi (4) de illis loquens ait: *Iis Annalibus utpote serius, quam vellem conscriptis, nescio, an sit penitus fidendum*; hinc jure, atque merito Grandius ex Ecclesiae Pisanae fastis reiicit Lambertum, quem referunt ad annum 1017. quo vixisse Azonem certae tabulae demonstrant. Nec quidquam commodi obtinere potest Orlendius, si laudatum Chronicon, quod ad annum attinet, corrigatur; nam, ut contra Orlendium ipsum argumentatur Grandius (5) *si corrigendus est annus, cur fidere debemus huic Chronico pro existentia Lamberti Episcopi, cuius aliunde nulla mentio occurrit, & retrahendus Episcopus ille assertus ad annos anteriores tres, in quibus constat Azonem sedisse?* Sed, mea quidem sententia, vehementer fallitur Orlendius existimans Episcopum Ostiensem

(1) Apud Ughellium *T. cit. col.* 100.
(2) *Critica Baron. ad an.* 1016. *n.* 10.
(3) *Epistolis* 4. 5. *in ephemeridibus citatis n.* 20. 21., ubi plura rationum momenta adducit, ut probet Chronica Pisana dubiae auctoritatis esse.
(4) *T. IV. Differt.* 45. *col.* 6.
(5) *Animadversionibus MSS. alibi cit.*

ſem ad Piſanos miſſum anno 1014, quod Annales Piſani tradant, Sardiniam anno 1016. captam fuiſſe. Cives Piſanos ſaeculo undecimo ineunte exercitum bis eduxiſſe in expeditionem contra Muſactum patriae Hiſtoriae teſtantur. Etenim Auctor cuiuſdam fragmenti, quod ex Ughellio in Tomum VI. Scriptorum Rerum Italicarum inlatum eſt, haec habet: *anno 1016. fecerunt Piſani, & Januenſes bellum cum Muſeto, & vicerunt illum.* Anno 1017. *fuit Mugetus reverſus in Sardiniam, & coepit Civitatem aedificare ibi, atque homines vivos in Cruce murare; tunc Piſani, & Januenſes illuc venere, & ille propter pavorem eorum fugit in Africam* (1): Auctor Breviarii Hiſtoriae Piſanae ita ſcribit: *anno 1016. Piſani, & Januenſes devicerunt Sardiniam; anno 1017. Rex Mugettus, & Saraceni venere Sardineam* (2); & in Annalibus Piſanis ad annum 1017. poſt verba ſupra recitata ſic legitur: *eodem anno Piſani, & Januenſes recuperaverunt eam* (3). In hac ipſa ſententia ſunt Auctor Annalium Piſanorum, quos legit Folieta (4), Sigonius (5), aliique, etſi inter ſe differant de annis, quibus Piſani Saracenos aggreſſi ſunt, ut alibi animadverti (6). Itaque anno circiter 1016. primum Piſanorum bellum abſolutum eſt, non vero ſecundum. At Benedicti VIII. ad Piſanos Legatio accidit priori bello jam abſoluto, ſiquidem illa Piſani Cives ad ſecundum bellum inſtituendum excitati ſunt, quemadmodum ex Chronico, ſeu Breviario Hiſtoriae Piſanae, & aliis Scri-

(1) Apud Muratorium *T. cit. col.* 107.
(2) Apud eundem *col.* 167.
(3) Apud Ughellium *loc. cit.*
(4) *Lib. 1. Hiſt. Genuenſ. col.* 236. *T. I. par. 1. Theſauri Antiq., ac Hiſt. Italiae Graevii.* Re quidem vera illorum Annalium Auctor non duas, ſed quatuor Piſanorum expeditiones in Sardiniam contra Muſactum ponit; nihilotamenminus cum tertiam expeditionem, ad quam Piſanos per Epiſcopum Oſtienſem Pontificis Legatum, ſtimulatos ait, ad annum 1017. referat, eum pro opinione mea adverſus Orlendium adduci poſſe exiſtimavi.
(5) *Lib. 8. de Regno Ital. col.* 475. *& ſeq. edit. cit.*
(6) *Sardinia Sac. cap. 2. pag.* 8.

Scriptoribus ante laudatis erudimur; quod ex Dithmaro (1) etiam Auctore synchrono colligitur, qui postquam narravit, anno 1016. Saracenos e Sardinia navigantes *Lunam Civitatem fugato Pastore* invasisse, *& cum potentia, ac securitate fines illius regionis* inhabitasse, subiungit *: quod cum domno Apostolico nomine Benedicto fama deferret omnes S. Matris Ecclesiae tam Rectores, quam Defensores congregans rogat, ac praecipit, ut inimicos Christi talia praesumentes viriliter secum irrumperent, & adiuvante Domino occiderent :* verisimillimum namque videtur, quod Benedictus ea occasione Pisanos etiam hortatus fuerit ad arma contra Saracenos sumenda.

XXIII. AZZO I.

Qui etiam *Actio*, *Attus*, & *Actius* in quibusdam tabulis vocatur. Huius nominis II. dicitur ab Ughellio, Troncio, & aliis, qui Azzonem alterum anno circiter 921. floruisse existimant, quod nonnulla instrumenta, in quibus Azzonis nomen expressum est, sub Henrico confecta, ad Henricum *Aucupem* Germaniae Regem referenda esse crediderint, non ad Sanctum Henricum cognomento Claudum Imperiali corona a Summo Pontifice ornatum anno 1014. decimaquarta Februarii die, ad cuius aetatem reipsa spectant, quemadmodum Grandius (2) recte animadvertit. Non modo Grandius ipse, sed Muratorius (3) etiam ponit, Azzonem proxime successisse Widoni. Is vero Episcopus Pisanus erat anno 1015. die mensis Octobris undecima (4). Ex hoc perspicue dignoscitur, graviter falli Ughellium, qui scribit, Azzonem ab anno 1041. ad annum 1044. Pisano populo praefuis-

(1) *In Chronico lib.* 7. apud Franciscum Pagium *in vita Benedicti VIII. n.* 9.
(2) *Epistola de Pandectis pag.* 121.
(3) *T. III. Antiq. Ital. col.* 1074.
(4) *Ex Tabulis in Archivo secreto Archiep. T. I. num.* 91.

se; nec illius Episcopatus initia comperta habuisse Dempsterum, ac Troncium, qui ad annum 1031. eum revocant.

Antistitem nostrum per plures annos vixisse, non est cur dubitemus, siquidem fit ipsius mentio in multis instrumentis, quae in controversiam vocari nequeunt; scilicet in instrumento condito *regnante domno nostro Enrigo gratia Dei Imperator Augusto, anno Imperii eius in Italia quarto, idus Novembris Indictione prima* (1); qui Henrici annus correspondet anno communi 1017.; in altero item instrumento confecto anno illius Imperii sexto calendas Novembris Indictione tertia (2), hoc est anno 1019.; ac tandem in instrumento (3) cum hisce notis chronologicis: *regnante domno nostro Chunradus gratia Dei Imperator Augusto Imperii eius in Italia quarto nono calendas Aprilis Indictione* 14., nimirum anno aerae vulgaris 1031.

WIDO.

Dempsterus, Troncius, & Ughellius, quibus Marangonius (4) praeivit, anno 1015, quo Episcopum jam vidimus Azzonem, Ecclesiae Pisanae Rectorem statuunt Widonem, qui in monumento quodam ab eodem Ughellio primum vulgato dicitur filius *quondam Theuchi de Travella*, & a Gamurrino (5), atque Dempstero asseritur *ex nobilissima Pisana familia Upezzingorum*. Eodem anno obiisse scribunt Gamurrinus, Marangonius, ac Troncius; illoque defuncto hanc Sedem Pontifice vacasse annos fere viginti, vel quod Canonici neminem invenerint eo honore dignum, vel quod ipsi in electione discordes fuerint,

(1) Est apud Muratorium *col. citata*.
(2) Servatur in Archivo citato *T. indic. num.* 39.
(3) Exstat *ibidem num.* 98.
(4) *Opere ante citato col.* 319.
(5) *Istoria Genealogica delle Famiglie Nobili Toscane, & Umbre Vol. I. pag.* 191.

rint, ut Paullo Troncio placet, vel ob Civitatis depopulationem, ut arridet Marangonio. Ughellius vero censet, Widonem *post multos pro sua Ecclesia exantlatos labores* decessisse anno 1019, non quidem sua morte, sed *ex vulnere, quod acceperat ab inimicis suis;* tumulatumque fuisse *apud Castrum Cintorium suae Dioecesis*. At haec omnia falsa esse nemo non videt; quo enim pacto Ecclesia Pisana sine Pastore per viginti fere annos manere, aut Wido Pontifex Pisanus esse potuit annis 1015., & 1019., quibus Episcopum fuisse Azzonem ex certis, distinctisque monumentis apparet? Accedit, quod monumentum ab Ughellio (1) publicatum, quo narratiuncula haec potissimum innititur, multa continet illorum temporum Historiae contraria, idcirco ab aliquo impostore fuisse confictum, alibi (2) affirmavimus.

UGO, & RICHUS.

Horum Episcoporum alter, Ughellio teste, *post diuturnum interregnum Pisanae Ecclesiae gubernaculis admotus est circa annum* 1038., *qui haud diu postea superstes fuit*. At juxta Troncium ad annum 1019. referendus est, id postulantibus, inquit ipse, tabulis in Archivo Pisano servatis. Illorum alter ab Ughellio omittitur, sed a Troncio dicitur in hac sedisse Cathedra anno 1033, etsi ignoratur quamdiu postea vixerit. Ego tamen vix, ac ne vix quidem dubito, quin ambo illi Antistites ex Pontificum Pisanorum serie delendi sint. Etenim Ughellius nullum pro Ugone vetus monumentum in medium profert, nec, quantum scio, proferri potest. Troncius autem & hoc habet cum Ughellio commune, quod quae dicit, non probat, & pugnantia scribit; nam cum antea fidem adjunxisset suam monumento Ughelliano, in quo legitur,

X 2 post

(1) *In Archiep. Pisanis n.* 35. *col.* 355.
(2) *Dissertat. praevia cap.* 5.

post Widonis obitum Pisanam Dioecesim sine Pastore viginti circiter annis fuisse, postea refert exstare in Archivo Archiepiscopatus Pisani tabulas, quae docent, Ugonem hanc Ecclesiam rexisse anno 1019., & Richum quemdam anno 1033. Veneti quoque Italiae Sacrae Editores hoc ipsum in Troncio reprehendunt.

Azzone Pisanam Ecclesiam gubernante, vel paullo post eius interitum, anno scilicet 1032. Joannes XIX. confirmavit omnia privilegia Canonicis Pisanis. Joannis diploma (1) datum dicitur Indictione 5, sed rescribendum est 15, quemadmodum Troncius recte animadvertit.

XXIV. OPIZO.

Martinius, & qui ante ipsum Praesulum Pisanorum seriem texuerunt, Troncius nempe, Cardosius, & Ughellius Opizonem in Episcopum electum affirmant anno 1044, quod a veritate alienum esse liquet ex charta (2) scripta *regnante domino nostro Chumradus anno Imperii eius in Italia duodecimo quarto nonas Martii Indictione septima*, scilicet anno 1039, in qua Opizonis nomen expressum est. Patria Pisanus, & ex clarissimo *Upezzingorum* sanguine natus dicitur a Gamurrino (3).

Sub initium sui Episcopatus redditibus auxit Monasterium Pisanum S. Michaelis *in Burgo*, eiusque Ecclesiam sacram fecit doctissimo Mabillonio, & Fortunio testibus. Etenim Mabillonius in Annalibus Benedictinis (4) scribit: *insequente anno supra millesimum quadragesimo apud Pisas suburbanum S. Michaelis Monasterium a Bono Abbate instauratum est, bonisque auctum ab Opizone Episcopo, qui illic eundem Bonum Abbatem constituit*. Fortunius (5) autem de lau-

(1) Est apud Troncium, & Ughellium.
(2) Quam citat Grandius *epistola alibi indic. pag.* 122.
(3) *Loco citato*.
(4) *T. IV. lib.* 58. *num.* 12. *pag.* 399. *edit. Lucens.*
(5) *Historia Camaldul. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *pag.* 65. *edit.* 1579.

laudati Monasterii origine disserens ait: *porro illis diebus Opizo Cathedram Episcopalem Pisanam tenebat. Is novum Templum ad honorem Dei, & Archangelorum Principis solemni pompa spectante tota Civitate dedicavit, facta jam ad illud Coenobitica institutione secundum Regulam S. Benedicti, & Bono Congregationi Abbate praeposito.* Anno 1043. decreto Bonifacii *Marchionis*, Ducisque Etruriae quorundam agrorum possessionem obtinuit (1). Post quadriennium tertio nonas Martii, ut bene consuleret animae suae, & animis Episcoporum decessorum, successorumque suorum elargitus est Ecclesiae S. Mariae, ac SS. Michaelis, & Joannis *sitae loco, & finibus collinae, ubi dicitur a Fine* omnes possessiones, quae *sunt in circuitu ipsius Ecclesiae*, cum eo *ut deinceps in antea fratres Canonicos Petrus Presbyter, & Praepositus, & Bonito germanis, & Stephanus, & Andreas Presbyteri, ceterique alii, qui in eadem Ecclesia militant, vel militaturi sunt, ad ordinem, & regulam Canonicorum vivant* (2).

Anno 1049. Opizo Romam petens interfuit Concilio ibidem habito, subscripsitque litteris (3) Leonis IX. datis Joanni Antistiti Portuensi decimo calendas Maias. Adfuit etiam alteri Concilio Romano anno sequenti post *Pascha* celebrato, eiusque nomen legitur in fine Constitutionis (4) de *Canonizatione* Gerardi Episcopi Tullensis, quem Leo Summus Pontifex in memorato Concilio retulit in Sanctorum album.

Muratorius duo instrumenta (5) subsequentium temporum edidit, in quibus Opizonis mentio occurrit; eaque con-

(1) Ex tabulis apud Muratorium *col.* 1081.

(2) Vide Tabulas *in Appendice monumentorum*.

(3) Apud Ughellium *T. I. in Episcop. Portuens. n.* 28. *col.* 120., & *T. XI. Concil. col.* 1365.

(4) Est apud Mabillonium *T. cit. in Append. num.* 64. *pag.* 677., apud Martenium *T. III. Anecdot. col.* 1082, & apud Mansium &c.

(5) *Col.* 1083. & *sequent.* Obiter hic animadverto, illorum instrumentorum primum dici *actum fora justa muro istiu Civitatis prope fluvio Arno*. Ex his porro verbis colligitur, Pisas anno etiam 1059. qua parte alluuntur

condita ſunt menſe Januario anno 1059. Quod attinet ad illius mortis tempus, Troncius, & Ughellius affirmant ad annum uſque 1063. vixiſſe; quod falſum eſſe liquido apparebit ex iis, quae in Guidone paullo poſt diſputabimus. Grandius e contrario, cui adhaeret Orlendius, exiſtimat, anno citato 1059. ante ſeptimam Octobris diem deceſſiſſe; *nam*, inquit, *ea die quidam* Lanfredi filius b. m. Angeldi, & Carabellilla filia b. m. Albiti iugales *quaſdam terras Eccleſiae S. Mariae largiuntur* pro remedio anime Oppitionis Epiſcopus Piſenſe, *cuius forte conſanguinei erant*. Verum ſi clariſſimus Grandius attentius, diligentiuſque inſtrumentum (1) illud legiſſet, ex quo haec decerpſit, perſpicue deprehendiſſet, qua die idem inſtrumentum confectum eſt, defunctum nondum fuiſſe Opizonem. Etenim in eo habetur, quod Lanfredus, & Carabellilla poſſeſſiones ſuas donarunt *tali ordine*, *ut ab hodierna die ſint jure proprietario praedictae Eccleſiae Epiſcopatui Sanctae Mariae*, *& cum praedicto Epiſcopos* (ſcilicet Opizone), *vel eius ſucceſſores habendi*, *tenendi*, *fruendi &c.* Quae verba, niſi ego me fallo vehementer, in vivis adhuc fuiſſe Epiſcopum noſtrum aperte ſignificant.

Eo-

tur ab *Arno* mœnibus cinctas fuiſſe; hinc patet, veritati conſonum haud eſſe, quod poſt Anonymum Auctorem Chronici Piſani editi a praeſtantiſſimo Manſio *T. I. Miſcellaneorum Balutii pag.* 449, ſcribit Paullus Troncius *pag.* 40., nimirum Cives Piſanos initio tantum ſaeculi duodecimi ex Hieroſolymitano bello redeuntes magnis divitiis onuſtos, ut patriae commodis, atque utilitati conſulerent, quae antea non muris, ſed copia duntaxat, virtuteque defenſorum valida erat: *ſi riſolſero*, inquit Troncius, *dar principio a cingerla di muraglia*, *dove fabricorno la porta*, *che riguarda alla marina*, *e la nominorno porta Legatia*, *detta oggi la porta a mare;* nam porta mare verſus, priuſquam Civitas trans flumen ad meridiem protenderetur, ſita erat in ea Civitatis parte, quam mœnibus cinctam jam fuiſſe ſuperius diximus, ut conſtat ex inſtrumento anni 1146. apud Muratorium *col.* 1161, quod dicitur *actum Piſa porta maris domo uxoris quondam Gerardi Tattarii prope Eccleſiam Sancti Nicolai*. Haec porro Eccleſia initio ſaeculi undecimi erat extra Civitatem, ut apparet ex diplomate Comitis Mathildis apud Troncium, & Florentinium.

(1) Exſtat in Tabulario Archiepiſcopi *T. I. num.* 132.

Eodem anno, vel ſequenti, vel tandem ante medietatem anni 1061. e vita migraſſe, ex iis, quae mox dicturi ſumus, aperte conſtabit.

XXV. GUIDO II.

In Opizonis locum ſuffectus eſt Guido patria Ticinenſis (1), qui Wido, & Richo etiam in antiquis monumentis appellatur. Tametſi Dempſterus, Ughellius, Troncius, & Martinius id accidiſſe anno 1063. exiſtimant, certum tamen eſt, Guidonem ante biennium decimo octavo calendas Septembris Piſanam Eccleſiam gubernaſſe (2). Anno 1063. die quinta menſis Maji adfuit ſententiae latae Piſis a Gothofredo Lotharingiae Duce, qui Barbatus dicebatur, pro Eccleſia, & Hoſpitali Piſano Sanctorum Martini, & Frigdiani (3). Poſt quadriennium pridie calendas Septembris ab eodem Gothofredo obtinuit, ut ſibi plura bona, Eccleſiae videlicet, domus, & agri ad Epiſcopatum ſuum ſpectantes reſtituerentur (4).

Inter varias Eccleſias ſummae iuriſdictioni Epiſcopi Piſani ſubiectas ea item erat, quae dicitur Sancti Petri ad Vincula, quamque jam inde a pluribus annis Patres Congregationis Montis Oliveti poſſident; quocirca Guido ſerio animadvertens, quod *ſecundum dicta Patrum oportet, omnes Chriſtiani nominis profeſſores iuſte, & pie vivere, maxime vero Sacerdotes, & reliquos Dei Miniſtros, quibus populus eius commiſſus eſt, ut eorum exemplis excitetur* *ad*

(1) Auctor Chronici Piſani, quod ſub nomine *Bernardi Marangonii* vulgatum eſt Florentiae anno 1748. *T. I. Script. Rerum Ital. pag.* 329. ait; Guidonem patria Piſanum, & Epiſcopum Ticinenſem, antequam Eccleſiam hanc gubernaret, fuiſſe. Sed primum adverſatur veteri Auctori Hiſtoriae Piſanae, cuius verba mox exhibebimus. Secundum repugnat Praeſulum Ticinenſium Chronologiae. Vide clariſſimum P. Marronium *commentario de Eccleſia, & Epiſcopis Papienſibus num.* 36. *pag.* 41.

(2) *Ex inſtrumento in Archivo Piſano T. cit. n.* 137.

(3) Monumentum apud Grandium *op. cit. pag.* 143.

(4) Tabulae apud Muratorium *col.* 1092.

tulit, quarum reddituum pars altera ad Episcopum, altera ad Canonicos spectaret (1). Calendis Septembris a Gregorio VII. Senis in Etruria morante in Insulam Corsicae legatus est; sic enim scribit Pontifex Maximus ad Episcopos, & Clericos Corsicanos: *data primum opportunitate misimus ad vos hunc fratrem nostrum Landulphum Pisanae Ecclesiae electum Episcopum, cui & vicem nostram in vobis commisimus, ut ea, quae ad ordinem sacrae Religionis pertinent, rite exequens juxta Prophetae dictum evellat, & destruat, aedificet, & plantet: cui vos obedire, & unanimiter assistere volumus, admonentes, & Apostolica auctoritate praecipientes, ut eum cum omni charitate, & honore suscipientes, talem sibi honorem, & reverentiam exhibeatis, qualem ex constitutione Sanctorum Patrum iis exhibere oportet, quos Sancta, & Apostolica Sedes in partes suae solicitudinis assumendos, quibusque vicem Romani Pontificis committendam esse praevidet* (2).

Post missas has litteras intellexit Gregorius, laudatae Insulae populos animo volvisse ad Ecclesiae Romanae obedientiam, a qua ob varias Barbarorum incursiones non parum desciverant redire (3); idcirco Romanus Pontifex novis litteris (4) Roma datis 16. calendas Octobris significavit Corsis, se commisisse Landulpho, qui tum Episcopus consecratus jam erat, cum non amplius *Electus* dicatur, ut Beati Petri, suoque nomine Insula potiretur, eam regeret, ac de rebus omnibus judicaret; illisque praecepit, ut apud eundem fidei sacramentum dicerent, si is illud exegisset. Landulphus summa diligentia Gregorii mandata fecit, proinde Sanctissimus Pontifex eum mul-

(1) Est apud Ughellium, ac Troncium *pag. 16.*, & Florentinium *op. cit. in Appendice monument. pag. 60. edit. Mansi.*
(2) *Lib. 5. num. 2. col. 408. T. XII. Concil. edit. Coleti.*
(3) Vide Baronium *ad ann. 1077. num. 63.*
(4) *Eodem lib. n. 4. col. 409.*

multis beneficiis locupletavit (1) anno 1078. secundo calendas Decembris: ratum enim, firmumque habuit Pisanum Episcopatum ei collatum, quem item fassus est, legitimè consequutum fuisse, *etsi Pisana Ecclesia*, ut ait idem Pontifex, *in praeficiendis sibi Pastoribus a constitutionibus Sanctorum Patrum deviaverat*: confirmavit quoscumque fundos, quos a diversis personis, imprimisque a Mathilde ipse Landulphus acceperat, & impolterum acciperet: eum, ac successores suos totius Corsicae Legatos instituit, ac tandem ei concessit mediam partem redditium, qui a Corsis exigebantur.

Berengarius Archidiaconus Andegavensis haereticus primo ut si quis alius procax, & versipellis, deinde Catholicus (2) in juramento a se Romae praestito (3) meminit unius cuiusdam Episcopi Pisani, in quem per summam injuriam plura evomit probra, atque convicia, quod ille una cum Antistite Paravino in caussa fuerit, quamobrem S. Gregorius VII. coegerit Berengarium ipsum ad clarius, apertiusque mentem suam de panis, vinique transubstantiatione in Sacramento Eucharistico exponendam: *circa quaedam per Papae inconstantiam quoad sperabat turba rei exitus habuit. Papa enim, qui in conventu illo in Festivitate omnium Sanctorum scriptum suprapositum multa vociferatione fidei sufficere debere omnibus pro-*

(1) Consule *eius litteras in Append. monument.* Inter S. Gregorii VII. litteras, quae ex codice MS. clarissimi Mannii Florentiae publicatae sunt an. 1748. *Tom. 1. S. R. I. p.* 293. quaedam leguntur datae Romae 18. calendas Januarii *Fratri Landulpho populi Pisani Episcopo, suisque successoribus*. Has ad Insulae Corsicae res spectare docere is videtur, qui easdem litteras illustravit, siquidem in adnotationibus ea exhibet, quae habet Ughellius de Landulphi in laudatam Insulam legatione. At ego vehementer miror, Annotatorem non animadvertisse litterarum titulum falsum esse, illasque ad res Corsicae minus spectare, sed easdem esse, ac eas, quae scriptae ad Olaum Norvegiae Regem sunt apud Labbeum *T. XII. Concil. lib. 6. num.* 13. *col.* 436.

(2) Consule Mabillonium *saeculo 6. Benedict. par.* 2. §. 4. *pag.* 26. *& seq. edit. Ven.*

(3) Exstat apud Martene, & Durand. *T. IV. Anecdotorum col.* 104.

pronuntiari, nihil scripto demi, nil a calumniatoribus addi permiserat, usque eo dejectus est importunitate Paduani scurrae, non Episcopi, & Pisani, non Episcopi, sed Antichristi. Qui enim veritatem negat, Antichristus est. Et ipse maxime cum Paduano illo omnibus, qui de Sacrificio Christi contradicebant maxime veritatem negando patrocinari susceperat. De quorum ultione omnipotens illa justitia Divina non distulit. Paduanus enim continuo gladio interemptus deperiit, Pisanus vitam impiam continua, quantum ad me pervenit, insolenti morte finivit. Usque eo, inquam, Papa dejectus est, ut permitteret calumniatoribus veritatis in posteriori Quadragesimali Concilio scriptum a se firmatum in priori Festivitate omnium Sanctorum Episcoporum consessu scripto mutari. Hactenus Berengarius. Tum ex ratione temporum, quibus haec facta sunt, tum praesertim ex Anonymo saeculi undecimi Scriptore, cuius Opusculum *de Berengarii Haeresiarchae damnatione multiplici* primum edidit Petrus Franciscus Chiffletius (1), constat, Pisanum Episcopum a Berengario memoratum fuisse Landulphum, qui ut coniicere est anno 1079. ineunte ex Corsica Romam profectus, ut rerum eiusdem Insulae statum Pontifici reprehesentaret, Concilio paullo post in Urbe habito interfuit.

Neminem fore arbitror, qui non videat, quae Berengarius contra Landulphum, deque eius mortis genere ait verba esse hominis audacis vehementi ira, furoreque abrepti, qui nihil nisi crimina loqui solet. Ex hac tamen Berengarii narratione duo inferuntur; alterum est, Landulphum & virum doctum, & in magna apud Gregorium, aliosque Concilii Patres existimatione fuisse; alterum, Berengarium ea litteris non consignasse anno 1078. uti Martenius, & Durandius (2) arbitratur, sed anno se-

 quenti

(1) Est apud Labbeum *T. XI. op. cit. col.* 1426.
(2) *Loco indic.*

quenti post mensem Octobrem, cuius die 25. Landulphus e vita migravit (1).

XXVII. GERARDUS.

De Gerardo patria Pisano, & claro sanguine nato (2) loquens Ughellius ait, hanc Ecclesiam gubernasse anno 1081, sed ex veteri monumento (3) liquet, anno etiam praecedenti 4. calendas Augusti Episcopum fuisse. Tametsi nihil definire ausim, satis tamen probabile censeo, Pontificem nostrum non alium esse a Gerardo Pisano Canonico, qui anno 1063. in tutelam Apostolicae Sedis pervenit Alexandri II. decreto, quod ex Ughellio refert Carolus Cocquelines (4).

Plura scribit eruditissimus Octavius Angelus Abrahamius (5) Antistiti nostro valde gloriosa; sic enim habet: „ Gerardi fama, probitas, ac doctrina Coenobii nostri „ finibus egressa universo statim orbi terrarum innotuit; „ hocque potissimum contigit cum Orientalis Ecclesia ina- „ ni emendicato praetextu ab Occidentali penitus rece- „ dere studuit.... Tunc enim Gerardus in graecis, ac „ latinis litteris versatissimus Opusculum graeco-latinum „ edidit, cum quo Graecorum jactantiam Ecclesiae Ro- „ manae Liturgiam, & caetera id genus impugnantium „ non modo retudit, sed illorum scripta per occidenta- „ les plagas diffusa strenue confutavit. Insuper alio e- „ dito Opere Ecclesiae Graecae abusum parvulis statim „ post Baptismum Confirmationis Sacramentum conferendi

(1) Vide *fragmentum Historiae Pisanae T. VI. S. R. Ital. col.* 108.

(2) Consule Marangonium *Croniche di Pisa col.* 329. *T.* 1. *S. R. Ital. edit. Florent.*, ac Troncium *pag.* 28.

(3) *In Archivo Archiep. T. I. num.* 176.

(4) *T. II. Bullarii Romani n.* 4. *pag.* 4. *edit. Mainardi*.

(5) *T. II. operis cui titulus*: Pisanae Primatialis Dignitatum, ac Praebendarum omnium descriptio &c. *pag.* 99. *& seq.* Opus hoc MS. in tria maximae formae Volumina tributum servatur in Archivo insignis Capituli Pisani, cujus Abrahamius ornamentum fuit.

„ di acriter redarguit, quod contra Apostolicam traditionem, Conciliorum, ac Patrum mentem agi, auctoritatibus, & eruditionibus quamplurimis unanimiter Ecclesiasticis factis respondentibus manifestissime comprobavit „. Haec autem Gerardi Opera exstant in secreto Vaticani Tabulario, eorumque meminere miscellanea quaedam Nicolai II. Romani Pontificis in Hadriana arce servata, quemadmodum se ab Amico quodam didicisse testatur Abrahamius, apud quem sit fides. Idem ipse Abrahamius narrat, Gerardum post magnum nomen ob insignem doctrinam sibi comparatum vocatum fuisse Romam ab Alexandro II. ad varia officia gerenda, quibus summa cum laude gestis obtinuisse Episcopatum Pisanum, quem cum primo recusasset, tandem a Summo Pontifice coactum esse illum admittere; idque apparere, inquit, ex litteris fere penitus corrosis ad Clerum Pisanum, & Gerardum nostrum missis, quas ipse vidit.

Anno 1082. in *Canonicos* elegit Presbyteros Corbum & Petrum, quos una cum aliis Clericis Ecclesiae Sancti Petri *ad Vincula* addixit, cui etiam quosdam fundos elargitus est (1). Post biennium tertio idus Maji Monachis ex Ordine S. Benedicti dono dedit Ecclesiam S. Luxorii in Silva, quae *Tumulus* vulgò *Tombolo* vocatur, positam, ut apud eam habitarent; alteramque Ecclesiam, *cui vocabulum est Beati Tropis* (idest Torpetis) *cum omnibus rebus, quae ad eandem Ecclesiam pertinent, quam sub regimine praedicti S. Russuri esse* constituit (2).

Episcopo nostro magna gratia, & necessitudo fuit cum Henrico IV. Imperatore, quocirca Ughellio teste hujus Ecclesiae Canonici illius intercessione ab eodem Henrico *Silvam Tumulum Pisanorum*; & praediorum, quae antea possidebant, confirmationem obtinuerunt (3). Decess-

(1) Tabulae apud Muratorium *col.* 1096.
(2) Apud eundem *col.* 1097.
(3) Instrumentum est apud Troncium, & Ughellium.

cessit Gerardus anno communi 1085. die octava mensis Maji : ita enim legitur in fragmento Historiae Pisanae : *MLXXXVI.* (more Pisano) *Gerardus genere Pisanus eiusdem Ecclesiae Episcopus* 8. *idus Maii obiit*, *&* *eodem anno valida fames*, *maxima mortalitas fuit fere per totam Italiam*; *vendebatur enim sextarius tritici V. solidis* (1). Serius tamen obiisse legitur in sequenti epitaphio, quod, si Abrahamio credimus, exstabat olim inter vetusta quaedam fragmenta monumentorum ad Basilicam Pisanam spectantium.

„ Gerardus Orlandi Basilicae hujus Canonicus, & An-
„ tistes quamvigilantissimus pietate, doctrina, ac religio-
„ ne insignis anno a nuncio Virginis 1089. postridie hu-
„ jus Sacri Templi Aencenia jam nonagenarius tota col-
„ lacrimante Civitate moestissime tumulatus est multa de
„ successoris praestantia morti proximus vaticinio confir-
„ mans. Animae grandi sit locus in pace.

XXVIII. DAIMBERTUS.

Daimbertum, quem etiam Dagobertum, Elaibertum, Theobertum, Vambertum, aliisque nominibus appellant proximè successisse Gerardo asserunt Ughellius, Troncius, Martinius, Cardosius, & Orlendius, sed negant eruditissimi viri Mittarellius, & Costadonius (2), qui inter unum, & alterum locant Episcopum, cujus nomen se ignorare fatentur. Atque ad id opinandum hac ratione ducuntur : ex litteris (3) Urbani II. ad Rusticum Vallisumbrosae, & Martinum Camaldulensis Congregationum *Priores* liquet, in Pisana Cathedra sedisse Episcopum, in cujus electione, putabant illi, *simoniacum pactum intercessisse*

(1) *Fragmentum cit.* Vide etiam Marangonium *loco indic.*, qui tamen scribit die 25. Maji obiisse.
(2) *T. III. Annal. Camaldulensium lib.* 22. *ad ann.* 1089. *num.* 13. *pag.* 46.
(3) Has exhibebimus *in Appendice monumentorum*.

ſiſſe, vel ab haereticis ordinatum fuiſſe, vel partibus ipſum ſaltem favere Henrici Imperatoris, & VViberti Anti-papae; ex aliis ejuſdem Pontificis litteris (1) a Severino Binio ex Bibliotheca Pariſienſi S. Victoris primum editis manifeſtum eſt, Epiſcopum Piſanum fuiſſe *excommunicatum, condemnatum, depoſitum*. At Piſanus hic Praeſul neque Gerardus fuit, neque Daimbertus; nam hos *Piſana Civitas ..... non invaſione tyrannica, ſed Cleri, & populi electione canonica per Romani Pontificis manus* accepit Urbano teſte (2); igitur, ajunt Mittarellius, & Coſtadonius, *rectius conjicere credimus, Piſanum Antiſtitem, cujus communionem ſubterfugere voluere Ruſticus, & Martinus, ac eorum Congregationes, alium fuiſſe a Gerardo, alium quoque a Daimberto Praeſule utroque magnae virtutis, & poſtremo inſuper optimè merito de Piſana non tantum, ſed de tota catholica Eccleſia, cujus, Daimberti nimirum electio, aliquo propterea tempore ſit ab anno 1088. differenda, & ante ipſum in Piſanum Epiſcopum fuiſſe electum alterum, cujus nomen uſque ad nos antiquitas non ſervaverit.*

Contra ego nullum Epiſcopum Gerardum inter, & Daimbertum ponendum eſſe affirmo ſequentibus permotus rationibus. I. Urbanus eorum temporum Antiſtites Piſanos memorans Landulphum, Gerardum, & Daimbertum, nullum verbum habet de Epiſcopo haereſis, vel ſimoniae labe inquinato, qui inter eos ſediſſe dicitur. Ne-

(1) Exſtant inter alias Urbani *T. XII. Concil. n. 19. col. 735.*, ac ſunt hujuſmodi „ Abbatibus Piſtorienſi, & Vallisumbroſae: ſcripſiſtis nobis, maximum apud vos ſcandalum emerſiſſe, quod Piſanum Epiſcopum conſecraverimus, quandoquidem a Guezelone haeretico Diaconus fuerat ordinatus. Et nos profecto ſcimus Guezelonem haereticum fuiſſe, Moguntinumque Epiſcopatum Simoniaco credimus facinore invaſiſſe, propter quem, aut alium acquirendum Regi ſub anathemate poſito diu ſervierat, & propter quem acquiſitum omni vitae ſuae tempore deſervivit. Eundem & ipſi nos pro eadem cauſa quia ab excommunicatis conſecratus, in Synodali Concilio excommunicavimus, condemnavimus, & ab omni Eccleſiaſtico officio, ac ſine ſpe reſtitutionis aliqua depoſuimus.

(2) In litteris, quae ſunt *in Append. monumentorum*.

Neque Praesulem, de quo disceptatur, si aliquando fuisset, Urbanus praeterire debebat, quod eos referat, qui legitima, & a Papa confirmata electione Pisani populi regimen susceperant; imprimis enim Antistites, quem Rusticus, & Martinus reum volebant, juxta leges tantam dignitatem consequutus fuerat; deinde licet iniustè electus fuisset, non videtur tamen ab Urbano ea occasione omitti debuisse, ut exemplo adhibito apertius illos indicaret, quos privilegiis Daimberto, ejusque successoribus concessis uti nolebat. II. Altum est de hoc Antistite apud omnes veteres, recentesque Pisanos Historicos silentium, etsi eorum nonnulli Episcopos, qui post medium saeculum undecimum hanc Ecclesiam gubernarunt, distinctè, & ordinate referant. III. Ex Urbani litteris non colligitur, quod Mittarellius, Costadonius, ac praesertim Soldanius (1) arbitratur, idest in Pisana Cathedra sedisse Episcopum haereticum, & idcirco a Romano Pontifice poena excommunicationis affectum; ex illarum enim primis (2) tantum colligitur, ita sensisse Patres Congregationum Camaldulensis, & Vallisumbrosae, nonnullosque alios Cives Pisanos; sed Urbanus maculam Pontifici

(1) *Questioni Istoriche Cronologiche Vallombrosane quest. 9. §. 23. pag. 144. & seq.*

(2) Has litteras primo a Soldanio publicatas, scriptas fuisse anno circiter 1089. verisimillimum est; datae namque dicuntur Troiae 2. idus Julii, qua in Urbe mansisse eo tempore Urbanum satis probabile est, cum dubitari non possit, quin anno citato in Apulia moraretur. Trojae versabatur etiam anno 1093. quinto idus Martii, ubi Concilium tunc celebravit, sed hae litterae ad hunc annum referri nequeunt, cum missae sint ad Rusticum Congregationis Vallisumbrosae *Priorem*, qui anno praecedenti decesserat. Vide *Annales Camaldulenses loco cit.* Tempore priores dixi, quod viderim, Urbanum in his ne verbum quidem habere de caussa, cur Patres Camaldulenses, & Vallisumbrosae Pisano Antistiti obtemperare recusarent; hinc existimo Summum Pontificem eam ignorasse, sed his scriptis litteris, quibus jubebat, ut omnes Pisanum Praesulem colerent, memoratos Patres ut proprium errorem defenderent Urbano significasse caussam, quamobrem illi obedire detrectarent; quam futilem, nulliusque momenti esse eis asserit Urbanus litteris illis, quarum partem ex Binio modo retulimus, partem ex Gratiano mox recitabimus.

tifici Pisano inustam delet; primo namque Rustico, & Martino queritur, quod cum illo communicare recusent, eorumque *simplicitati benignitate Apostolica* se parcere profitetur, quoniam credebat *ex amore justitiae id egisse*; deinde iis jubet, ut illum ceu verum Pastorem habeant: *interim*, ait, *vos a confratris nostri diffamatione desistite, & eius communionem nullo modo recusate. Quicumque etiam vestrum in Pisanae Ecclesiae Dioecesi commorantur, debitam ei obedientiam impendere non recusent.* Ex secundis vero litteris constat, non Episcopum Pisanum, sed *Guezelonem*, seu *VVecilonem*, *Vezelinum*, *Nezelonem* (1) Moguntinum Antistitem excommunicatum fuisse; ac de *Guezelone* postrema litterarum verba intelligunt Binius (2), aliique Historici, quibus consentiunt plures Theologi. Et sane, quantum capio, jure, atque merito; nam Moguntinus Episcopus Bertholdo Constantiensi teste (3) *ab anathematizatis electus .... etiam ab anathematizatis juxta Pelagium Papam non consecratus, sed execratus est*, ac proinde eius ordinatio rescissa, abrogataque fuit in Concilio Quintilineburgi apud Halberstadium in Saxonia celebrato: quod autem in Pontificem Pisanum excommunicationis telum intortum sit, neque patria, neque externa monumenta Ecclesiastica loquuntur; perperam igitur Mittarellius, Costadonius, & Soldanius ex ultimis verbis, quae in secundis Urbani litteris habentur, inferunt, huius Civitatis Praesulem poenis Ecclesiae punitum fuisse.

At enim, inquient memorati Auctores, Guezelo Moguntinus excommunicatus est, antequam Urbanus anno 1088. quarto idus Martii in Romanum Pontificem eligeretur; idque ex eo liquet, quod Concilium Quintiline-

(1) Varia huius Episcopi nomina congerit Serrarius *lib. 5. Historiae Moguntinae pag. 700.*

(2) *In T. cit. Concil. col. 735.*

(3) *In Chronico ad ann. 1084. & 1085. pag. 455.* apud Christianum Urstitium *inter Germaniae Historicos Illustres.*

burgense habitum est anno 1085, & idem Guezelo anno 1088. e vita migravit (1); sed Episcopus Simoniacus, de quo fit mentio in laudatis litteris, ab Ecclesiastica dignitate depositus est ab Urbano in Synodo Romana anno 1089. celebrata: non ergo Moguntinus, sed Pisanus Episcopus ille fuit.

Quod in Synodo Romana Episcopus ab Urbano memoratus depositus fuerit, sine testibus asseritur, siquidem Bertholdus (2), ex quo praesertim eam habitam esse erudimur, silet omnino hac de re; quocirca, mea sententia, idem ipse Episcopus in Concilio Quintilineburgensi officio privatus fuit; & licet Urbanus nondum Petri Cathedram ascendisset, verè nihilominus dicere potuit, se illum deposuisse; ipse enim laudatum Concilium convocavit, eique praefuit, cum anno 1085. Legati Apostolici munere in Germania fungeretur, quemadmodum posterorum memoriae commendavit Conradus Abbas Urspergensis (3).

Ex hactenus dictis clarè, aperteque constat, Gerardum inter, & Daimbertum nullum fuisse Pisanum Episcopum *excommunicatum*, *condemnatum*, *depositum*. Investigandum nunc est, quis ille extiterit, qui cum a Guezelone in Diaconum ordinatus fuisset, Martinus, & Rusticus, eorumque Congregationes obtemperare ei nolebant. Ego certè in ea sum opinione, ut judicem, fuisse Daimbertum. Legitur apud Gratianum (4) sequens epistola Urbani II. Petro Antistiti Pistoriensi, & Rustico laudato missa, quam & genuinam, & Binianae partem esse (5), vel saltem utram-

(1) V. Patres Maurinos *T. V. Galliae Christianae col.* 466.
(2) *Op. indic. ad ann.* 1089.
(3) *In Chronico ad eum ann. pag.* 173. *edit. Argentorat.* 1609.
(4) *Par.* 2. *Decreti Caus.* 1. *quaest.* 7. *cap.* 24.
(5) Genuinam esse hanc epistolam gravissimo est argumento, quod Urbano II. tribuatur a Gratiano auctore fere aequali; quod laudetur a Roberto de Flammesburg. saeculi duodecimi Scriptore apud Morinum *par.* 3. *de Sacris Ordinationibus exercitat.* 5. *cap.* 1. *n.* 7., & a S. Raymundo in *Summa lib.* 1. *cap.* 1., nec in dubium ab his vocetur; temere igitur nonnulli recentiores, quos inter Honoratus Tournely *de Sacramento Ordinis*

utramque spectare eandem rem existimo „ Daimbertum a
„ Nezelone licet simoniaco non simoniacè ejusdem con-
„ fessione reperimus in Diaconum ordinatum, & S. Inno-
„ centii Papae sententia constat declaratum, quod Nezelon
„ (quem constat ab haereticis ordinatum) quia nihil ha-
„ buit, nihil dare potuit ei, cui manus imposuit. Nos
„ igitur tanti Pontificis auctoritate firmati, & Damasi Pa-
„ pae testimonio roborati, qui ait, reiterari oportet,
„ quod male actum est, Daimbertum ab haereticis cor-
„ pore, & spiritu digressum, atque utilitatibus Ecclesiae
„ pro viribus insudantem ex integro (Ecclesiae necessita-
„ te ingruente) Diaconum constituimus: quod non rei-
„ terationem existimari censemus, sed tantum integram
„ Diaconi dationem, quoniam, ut praediximus, qui ni-

dinis quaest. 5. *art.* 1. in apocryphorum censum eam referendam esse suspicantur; nam, quod aiunt, cum edita a Binio, de qua dubitari non debet, haud constare, siquidem ex hac liquet, viros regulis Ecclesiasticis addictos de Urbano questos esse, quod ipse Daimbertum ex Diacono in Episcopum consecrasset; ex ea vero, quae est apud Gratianum, apparere, quod illum a Guezelone Diaconum factum iterum in Diaconum ordinasset, tam falsum est, quam quod maxime. Quisquis enim attente verba consideraverit, statim intelliget Urbanum ipsum in epistola Biniana post narratam Petri, ac Rustici querimoniam exponere, quomodo se cum Guezelone haeretico gesserit; in altera autem, quomodo se gesserit cum Daimberto ab eodem Guezelone in Diaconum ordinato. Colligere hinc fas est, Binianam epistolam, quae certe manca est, principium esse alterius, vel saltem harum utramque spectare eandem rem. Neque alicui negotium facessere debet, quod prima epistola missa dicatur ad Abbates Pistoriensem, ac Vallisumbrosae, & Guezelo in ea memoratus Moguntinus Episcopus vocetur; alia vero scripta dicatur ad Pistoriensem Antistitem, & Vallisumbrosae Abbatem, ac Wezelo, de quo in illa fit mentio Magdeburgensis Episcopus a quibusdam asseratur; etenim primae epistolae tituli depravatio indiligenti, rudique exscriptori jure tribuenda est; id quod nemo inficiabitur, qui non ignoret, quot vetera monimenta eorum incuria deflorata sint. Romani Correctores Gratiani cum vidissent a Mariano Scoto *in Chronico lib.* 3. *aetate 6. ad annum* 1078. Wezelinum Magdeburgensem Episcopum laudari, hunc illum ipsum esse putarunt, de quo loquitur Urbanus. Sed dum ita sentiunt, ceteris omnibus Scriptoribus adversantur, errantque vehementer; nam Wezelinus Magdeburgensis, qui ex eodem Mariano *ad ann. citat. pag.* 655. apud Pistorium *T. I. Script. Rerum Germanic. ex edit. Struvii* obiit in bello anno 1078. septimo idus Augusti, haereticum, vel Simoniacum fuisse non constat.

„ hil habuit, nihil dare potuit „. Quis autem adeò ſtupidus eſt, & barduis, ut non videat, ex allata epiſtola maxime cum altera Biniana comparata perſpicuum eſſe, quod paullò ante affirmavimus? Ex epiſtola enim a Gratiano exhibita fit manifeſtum, illum, qui Diaconus a Guezelone Praeſule Moguntino factus eſt, vocatum fuiſſe Daimbertum; ex edita verò a Severino Binio apparet quem Diaconum fecerat idem ipſe Guezelo Eccleſiam Piſanam gubernaſſe, ac proinde eum eſſe, de quo diſputatur.

Daimbertus noſter hujus Eccleſiae regimen ſuſcepit anno 1088. Ughellio teſte, cui non repugno, ſiquidem ratio, cur ultra eum annum Daimberti electionem differendam eſſe exiſtimant Mittarellius, & Coſtadonius, falſa eſt, uti ſupra demonſtravi. Piſis in lucem veniſſe narrant Marangonius (1), P. Laurentius Tajolius (2), & Abrahamius (3), qui praeterea aſſerit, quod *ab illuſtri Lanfrancorum proſapia de Rubeis nuncupata ortum habuit ſuum*. Scribit Dempſterus, Daimbertum Epiſcopum factum fuiſſe, poſteaquam munus obierat Legati Apoſtolici in Hiſpania, ſed hoc munere functum eſſe obtento jam Piſano Epiſcopatu ſatis oſtendit tum Urbanus, qui in Epiſtola antea recitata, quam poſt annum 1089. ſcriptam putamus, inquit, quod Daimbertus pro Eccleſiae utilitatibus ſudabat; tum maximè antiquus auctor Albertus Aquenſis, qui haec habet: *Dagobertus cum adhuc Piſanus eſſet Epiſcopus, ab Urbano Romanorum Summo Pontifice in Hiſpaniam directus in legationem Chriſtiani cultus, & religionis honorifice ab Rege Alphonſo nomine ſuſceptus eſt, & ab omnibus Epiſcopis, & Archiepiſcopis Regni illius in obedientia, & charitate: quin & muneribus precioſis, ac magnificis tam in auro, quam in argento, & oſtro ab ipſo Rege, cunctiſque*

(1) *Croniche di Piſa col. 331. & 337.*
(2) *Hiſtorie Piſane MSS. lib. 2. cap. 26.*
(3) *Op. citato MS. pag. 101.*

que primoribus ditatus, & honoratus est. Innotuit etiam plurimis, quomodo Arietem aureum miri decoris, & operis idem Rex illustris per manum ejusdem Dagoberti Domino Apostolico charitatis causa miserit; quem ille cum cetera undecumque collecta pecunia inardescens avaritia celando retinuit. Et, ut pro vero ajunt, quibus res patuit, hanc massam grandis talenti, & Arietis auri mortuo Urbano Pontifice Jerusalem detulit, ac Boemundum, Baldewinumque corrumpens Godefrido Duci Arietem, & caetera munera contulit, sicque Patriarchatus honore sublimatus est (1). Hactenus Albertus Aquensis, cujus calumniam Daimberto nostro impactam mox refellemus.

Magnae virtutis, doctrinae, prudentiae, perspicacisque ingenii Pontifex noster fuit; & Urbanus tanti eum fecit, ut anno 1091. quarto calendas Julii Insulam Corsicae eidem, successoribus suis, Civibusque Pisanis sub annuo censu librarum 50. Lucanae monetae perpetuo possidendam tradiderit; anno verò sequenti decimo calendas Majas Ecclesiam Pisanam Metropolim instituerit (2). Pridie calendas Januarias hujus anni Daimbertus quaedam bona permutavit cum Presbyteris Rectoribus *Ecclesiae SS. Reguli, & Felicis, quae est posita infra Civitatem Pisam prope Posterulam, quae dicitur de Vicedomino* (3). Hoc item anno 1092, vel postero in Legatum Insulae Sardiniae electum ab eodem Urbano fuisse Daimbertum ipsum, ejus-

(1) *Hist. Hierosolymit. expeditionis sub Godefrido &c. lib. 7. cap. 7. pag.* 295. apud Bongarsium *T. I. Gestorum Dei per Francos.*

(2) Consule *Dissertat. praeviam cap.* 2.

(3) Tabulae sunt in Archivo Archiepiscopatus *T. I. num.* 194. Ex harum tabularum verbis superius recitatis aperte dignoscitur, quinam essent saeculo undecimo huius Civitatis fines orientem versus. Idipsum intelligitur ex instrumento anni 1050. apud Muratorium *T. III. Antiquit. Italic. col.* 1083., quod dicitur *bactum foras Civitatem Pisam in Burgo prope Ecclesiam S. Felicis*. Hoc Suburbium, quod incipiebat ab Ecclesia S. Felicis, protendebatur saltem usque ad Ecclesiam S. Petri *in Vinculis*; nam in Tabulario secreto Archiepiscopatus *T. I. num.* 138. vidi tabulas anno communi 1063. pridie calendas Septembris confectas *fora Civitatem Pisa in loco Burgo, qui dicitur Sancto Petro ad Vinculo*.

ejusque successores arbitror (1); ipsumque in laudatam Insulam concessisse, ac in urbe Turritana Archiepiscoporum, & Episcoporum habito Concilio Torchitorem Galluriensem Judicem scelestissimum Ecclesiasticis poenis multasse (2). Anno 1094. mense Martio Romae erat, ac Summo Pontifice jubente hospitio accepit Lambertum Atrebatensem Episcopum electum, ejusque Consecrationi adfuit, quae decimo quarto calendas Apriles facta est (3). In Urbe quoque versabatur nonis Aprilis, subscripsitque sententiae latae ab Urbano, qua decretum fuit, Ecclesiam Dolensem in Gallia subiectam esse Turonensi (4). Pisas reversus, eodem anno 1094. tertio nonas Octobris mandavit, ut in Sacrificiis, & Orationibus artifices, qui liberales erant erga fabricam Ecclesiae majoris Pisanae, Deo commendarentur (5).

Cum anno memorato exeunte Urbanus Pisas venisset (6), ut inde in Cisalpinam primum, tum in Transalpinam Galliam proficisceretur, Daimbertus noster eundem Pontificem humanissimè excepit, & in laudatas regiones deduxisse videtur; nam anno 1095. duodecimo calendas Martii morabatur Placentiae, interfuitque Concilio ibidem

dem

(1) Confer *eandem Dissertat. ibidem*.

(2) *Ibidem*.

(3) Vide eius Acta apud Dacherium *T. III. Spicilegii pag.* 421. *& seq. edit.* 1723., *ac T. XII. Concil. col.* 761., in quibus Lamberti Consecratio facta dicitur anno 1093., sed illorum Auctor annum a Paschate inchoat. Adeundus Pagius *in C. B. ad ann.* 1094. *n.* 18.

(4) Apud Martene, & Durand. *T. III. Vet. Monument. col.* 880.

(5) Litterae apud Muratorium *col.* 1099. *& seq.*

(6) Bertoldus *op. cit. ad ann.* 1095. *pag.* 372. ,, Dominus Papa Urbanus jamdudum de Roma profectus Natalem Domini in Tuscia gloriosissime celebravit: in qua Provincia Pisanus Episcopus nomine Dagobertus ei studiosissime servivit, quem ipse jamdudum Archiepiscopali pallio, & potestate sublimavit, quod eactenus Pisanensis Sedis Episcopus habere non consuevit ,,. Baronius *in Annal. Eccles. ad ann.* 1095. *n.* 1. Urbani adventum Pisas anno 1095. accidisse opinatur, quia Bertholdus reipsa ad hunc annum illum refert. Sed ille annum incipit a die Nativitatis Domini, ut notat Pagius *ad ann.* 1096. *n.* 1.; unde Summum Pontificem Pisas venisse sub anni 1094. finem vel juxta Bertholdi mentem certum, exploratumque est.

dem ab Urbano celebrato (1). Eodem anno superatis Alpibus in Galliam Celticam pervenit, ac mense Novembri circiter tria Altaria novae Basilicae Monasterii Cluniacensis una cum Hugone Lugdunensi, & Brunone Signiensi Praesulibus sacra fecit (2). Sedit (3) etiam in Concilio, quod Summus Pontifex habuit apud Clarummontem praefato mense exeunte; annoque veniente quarto idus Januarii adfuit Consecrationi Ecclesiae Monasterii Carroffensis (4). Hoc ipso anno 1096. tertio idus Septembris Tarasci, quod est oppidum ad Rhodanum, subscripsit diplomati, quo notum fit, Urbanum donationem factam Monasterio S. Victoris Massiliensis a Stephania Comite, quae *Ducis* cognominabatur, ratam, firmamque habuisse (5).

Urbano ex Gallia in Italiam revertente mense, & anno modò citato, Daimbertum Pisas rediisse non est, cur dubitemus, sed quid egerit integro anno 1097, & usque ad sequentis medietatem, mihi non constat. Id unum scio, nono calendas Augusti anni 1098. confirmasse Patribus Ordinis Benedictini Monasterium S. Luxorii, quod hi a Gerardo acceperant, ut alibi dictum est, eidemque Hugonem Abbatem praefecisse (6).

Sub his temporibus magis in dies insolescentibus Turcis ob Syriam, multasque alias occupatas Provincias, totamque Orientalem regionem capere minitantibus, Urbanus, qui Barbaris froenum iniicere optabat, in Concilio Claromontano praecepit Episcopis eidem praesentibus, ut postea-

(1) Ex eius Actis apud Balutium *Tom. VI. Miscellaneorum pag.* 332. *edit. primae*.
(2) Confer Mabillonium *T. V. Annal. Benedict. lib.* 69. *n.* 2. *pag.* 335. *edit. Lucens.*
(3) V. Fleurium *T. XIII. Hist. Eccl. ad ann.* 1095. *lib.* 64. *pag.* 568. *edit.* 1721.
(4) Apud Martene, & Durand. *T. I. Vet. Anecdot. col.* 271.
(5) Apud eosdem *T. I. Vet. Monument. col.* 557., & apud Boucherum *lib.* 9. *Hist. Provinciae pag.* 83.
(6) Tabulae apud Muratorium *col.* 1101. *& seq.*

postéaquam ad proprios rediissent Ecclesias, hortati essent populum sibi commissum ad arma in Religionis nostrae hostes acerrimos, & crudelissimos animosè sumenda (1). Perquam facile fuit Daimberto Pisanos potentia, & opibus multum valentes, ac nominis Christiani inimicos profligare assuetos ad Romani Pontificis monita exequenda adducere. Itaque numerosa comparata classe in Palaestinam navigarunt anno communi 1098. duce, ac praefecto Daimberto: *anno* 1099. (more Pisano) . . . . *stolus Pisanus in Hierusalem ivit cum navibus centum viginti, de quo Daibertus ejusdem Ecclesiae Archiepiscopus fuit ductor, & Dominus* (2). Tanta prudentia, ac dexteritate Archiepiscopus noster Pisanorum copias duxit, ut anno sequenti post Arnulphi electionem, quam fecerat Ademarus (3), a Romano Pontifice rescissam, Apostolicae Sedis Legatus in toto *Crucesignatorum* exercitu institutus fuerit, quo *in omnibus Apostolica vice adesset, & Ecclesias in locis, unde Pagani expulsi sunt restauraret*. Bertholdus, cuius haec sunt verba (4), existimat, hanc dignitatem ab Urbano obtinuisse, sed cum antea illam teneret Ademarus Podiensis in Occitania Episcopus, qui calendis Augusti e vita

(1) Pagius *ad ann.* 1095. *n.* 13.

(2) *Auctor fragmenti Hist. Pis.* apud Muratorium *T. VI. Script. R. Ital. col.* 109, & apud Balutium *T. I. Miscellaneorum pag.* 430. *edit. Lucensis*. Consule etiam *Gesta Triumphalia per Pisanos facta T. VI. col.* 100., Michaelem de Vico *Breviario Hist. Pisanae T. indic. col.* 168., & Anonymum, cujus verba recitat Cajetanus *in notis ad Pandulphum Pisanum T. III. S. R. Ital. pag.* 400.

(3) Arnulphum in A. S. Legatum ab Ademaro electum fuisse ante Daimbertum, nos docet Radulphus Cadomensis *de Gestis Tancredi Tom. III. Vet. Anecdot. col.* 171., ubi postquam Ademarum ipsum ita loquentem induxit:

Sic me doctrinae vobis Papa Ministrum
Tradidit Urbanus: sic vobis hunc ego trado:

Ita subiungit:

Tradidit Arnulphum nulli hoc in agone secundum.

(4) *Op. cit. ad ann.* 1098. *pag.* 377.

vita migravit (1), tres nimirum post dies ab Urbani morte (2), non dubito, quin verius scripserit Guibertus, Abbas Monasterii S. Mariae *Novigenti* affirmans, Daimbertum tantum honorem a Paschali hujus nominis II. Urbani proximo successore consequutum esse: *Papa Paschalis*, ita Guibertus, *post obitum Podiensis Episcopi vices suas super Dominici exercitus curas Archiepiscopo Daiberto Pisano mandavit* (3). Quo tempore hoc munere fungebatur, litteras misit (4) simul cum Godefrido Bullionaeo, & Raymundo S. Ægidii Comite ad Paschalem Summum Pontificem, omnesque fideles de statu rerum Christianum in Oriente, de variis Civitatibus, aliisque locis ea in regione a nostris in ditionem, & potestatem redactis.

Inter eas Civitates princeps numerabatur Hierosolyma ope praesertim, virtuteque Pisanorum a nostris occupata anno 1099. decimo octavo calendas Augusti (5): quae

(1) Consule Fulcherium Carnotensem *in Gestis Francorum Hierusalem peregrinantium ad ann.* 1099. *pag.* 394. apud Bongarsium *T. I. op. cit.*, Richardum Cluniacensem *in Chronico* apud Muratorium *T. IV. Antiq. Ital. col.* 1089., ac Gilonem Parisiensem *lib.* 5. *de expeditione Hierosolymit. T. III. Veter. Anecdot. col.* 251. sic scribentem:

Dum calet Augusti dictus de nomine mensis
Non sibi, sed populo Praesul moritur Podiensis.

(2) Mortuus enim est 4. calendas Augusti, ut convenit inter omnes Historicos.

(3) *Lib. 7. Hist. Hierosolym. cap.* 13. *pag.* 539. apud Bongarsium *T. I. op. indic.*

(4) Hae litterae exhibentur a Dodechino *in Append. ad Mariani Scoti Chronicon pag.* 664. *& seq.* apud Pistorium *T. I. op. laud.*, a Tyrio, Baronio, Martenio, & Durandio, Flaminio *dal Borgo*, aliisque.

(5) Breviarium Hist. Pisanae *loco cit.* „ anno 1100. (*Pisano*) Hierusalem, ac „ Caesarea a Christianis capta est decimo octavo calendas Augusti, cuius „ victoriae Pisanus populus fuit & caput, & caussa „ Confer item P. Jacobum Philippum Bergomensem *in supplemento Chronic. lib.* 4. *fol.* 77. *edit.* 1503.. Pisanos Hierosolymam adventasse capta jam Urbe scribit S. Antoninus *par.* 2. *Chronicorum tit.* 16. *cap.* 14. §. 9. *fol.* 210. *dit. Lugdun.* 1517. „ cum usque ad illos dies Hierosolymitana vacasset Ecclesia, de „ communi omnium voluntate dominum Daibertum virum venerabilem „ Pisanum Archiepiscopum, qui post captionem Civitatis in Terram Sanctam „ cum multis de Italia navigio venerat in Sedem collocaverunt Patriarchalem „. Vide etiam Muratorium *Annali d' Italia ad ann.* 1099., ubi veteres Auctores praecessisse hac in re S. Antonino contendit.

cum proprio Pastore ob Simonis obitum careret, Daimbertus jam senex (1) ejus Antistes inter Latinos primus creatus est invitus, & ignorans *communi tam Cleri, ac plebis, quam Principum assensu* (2), quoniam omnes spe ducebantur, *toti Regno magnopere profuturum tum quia doctus, & literis apprimè esset eruditus, tum quia praeesse, & prodesse domi, & Ecclesiae jamdiu didicisset* (3). De illius electione ita loquitur Auctor synchronus Radulphus Cadomensis: *Daybertus Pisanorum Episcopus vir in litteris potentissimus, atque eloquentissimus, qui in multis navibus Joppem aggressus fuerat, eodem Boamundo juvante, in Patriarchatum Jerusalem sublimatur. Arnulphus autem magnae indolis vir quamquam dignitatis hujus electione donatus fuerat, tamen libentissimè annuit, sperans Christianitatem ibi magis in illo, quam in se profuturam* (4). Tametsi Cadomensis annum, quo Daimbertus tanto honore affectus fuit, non indicat, hunc tamen extitisse 1099. ad finem properantem Fulcherius Carnotensis (5) literis consignavit. Fulcherium sequitur hac in re Willelmus Tyrius (6), qui praeterea narrat, Daimbertum assumptum fuisse ad Patriarchalem dignitatem in Concilio post diem festum Nativitatis Domini Hierosolymis celebrato; ea occasione Godefridum Bullionaeum, qui jam inde a mense Julio rega-

(1) Confer Willelmum Malmesburiensem *de Gestis Regum Anglorum lib.* 4. *cap.* 2. *pag.* 82. *inter Scriptores Rerum Anglic. edit. Lond.* 1696., cuius verba paullo post recitabo.

(2) *Litterae eiusdem Daimberti ad Boamundum* apud Willelmum Tyrium *in Historia Belli in Palestina gesti lib.* 10. *cap.* 4. *pag.* 778. apud Bongarsium *T. II. op. cit.*

(3) Scriptor Anonymus apud Bongarsium *T. cit. pag.* 578.

(4) *T. III. Veterum Anecdot. num.* 140. *col.* 198, & apud Muratorium *T. V. S. R. Ital. col.* 328. Vide etiam Anonymum Auctorem *Historiae Belli Sacri num.* 37. *pag.* 231. apud Mabillonium *T. I. par.* 2. *Musaei Italici*.

(5) *Op. cit. ad eum ann. pag.* 402.

(6) *Lib.* 9. *op. laud. cap.* 15. *pag.* 771.. Troncius *Annali Pisani ad ann.* 1107. *pag.* 41. putat, Daimbertum in Patriarcham Hierosolymitanum electum Pisanae Ecclesiae nuncium remisisse, eiusque proprio viduatae Pastore regimen suscepisse alium Antistitem „ non è che dubitare, *inquit ille*, „ che

regale solium ascenderat, Regni *investituram* accipere a novo Patriarcha voluisse, ac dotem, quam praedecessores Antistites habuere eidem constituisse (1).

Daimberti electio summa laetitia affecit plures, imprimisque Ivonem Carnotensem; hinc statim gratulatus eidem est sequentibus litteris: *quia divina miseratio sollicitudinem vestram illi Ecclesiae praeesse voluit, de qua Verbum Dei processit, gaudemus, tum propter familiarem, qua vos amplectimur, charitatem, tum propter utilitatem, quam populo Dei collaturam speramus vestram sollicitudinem* (2): non modicam tamen molestiam attulit aliquibus, qui idcirco, ut novus Patriarcha ex Godefridi amore excideret, ab eoque in propriae Ecclesiae bonis vexaretur, curarunt: *vix enim Dux Godefredus*, ait idem ipse Daimbertus, *dum adhuc viveret, non tam propriae voluntatis arbitrio, quam malorum persuasione seductus, ea reliquit Ecclesiae tenenda, quae Turcarum temporibus, qui tunc fuerat*

„ che dopo la promozione di Daiberto al Patriarcato Hierosolimitano essendo rimasta vacante la Chiesa Pisana, fusse stata provista di nuovo „ Pastore, massime essendo sempre stato il Pontefice Pasquale amorevolissimo di detta Città „ Ea occasione Sedem hanc Pontifice vacasse significare quoque videtur Albertus Aquensis; nam *lib. 7. op. cit. cap. 55. pag.* 310. de Pisanis loquens ait: *viduati suo Episcopo Pisano cum clam ab eis subtractus cum Boemundo, & Baldevvino post captionem Jerusalem in eam descendit, & a Godefrido Duce in Cathedram Patriarchatus est constitutus*. Verum cum de Episcopo Pisano, quem statim post Daimberti in Patriarcham electionem factum opinatur Troncius, nulla mentio fiat in antiquis chartis, aliisque monumentis huius Tabularii; nulla apud veteres patrios Historicos; immo Auctor fragmenti Historiae Pisanae, qui eorum temporum Episcoporum obitum ordinate refert, post Daimberti mortem, Petri sub anno 1104. electi, uti suo loco dicetur, lethum duntaxat memoret, & Auctor Breviarii eiusdem Historiae aperte tradat, laudatum Petrum Daimberti nostri successorem fuisse; certa mihi inest opinio, Daimbertum anno tantum superius citato hoc Episcopatu se abdicasse. Ideo vero inquit Aquensis, Pisanos, Daimberto in summum Patriarchatus decus sublimato, Pastore orbatos fuisse, quoniam etsi ille titulum huius Ecclesiae adhuc teneret, & per Vicarium gregem gubernaret, Pisis tamen non morabatur.

(1) Confer etiam Bernardum Thesaurarium *de Acquisitione Terrae Sanctae cap. 82. col. 728. T. VII. S. R. Ital.*

(2) Exstant inter alias Ivonis litteras *num. 93. pag. 45. edit. 1647.*

rat Patriarcha, tenuerat, & Sancta Ecclesia cum amplius honorari, & exaltari debuerat, tunc majora desolationis, & confusionis suae opprobria sustinuit. Resipuit ille tamen, & per misericordiam Dei ab impietatis desistens proposito in die Purificationis B. M. Virginis de Joppe quartam partem Ecclesiae Sancti Sepulchri dedit, & post in die Paschalis solemnitatis jam ultra superbè sapere, aut in saeculari pompa confidere respuens, divino motu compunctus, cuncta, quae juris erant, Ecclesiae libere reddidit, & Homo Sancti Sepulchri, ac noster effectus fideliter se Deo, & nobis amodo militaturum spopondit (1). Non minores aerumnas, animique perturbationes passus est Daimbertus Godefrido anno 1100. XV. calendas Augusti defuncto; tunc enim *Comes Garnerius* pergit Patriarcha noster, *ut hostis contra Ecclesiam Dei insurgens fidem, & pactum justitiae nihili pendens turrim David contra nos munivit, & legatis suis ad Balduinum directis mandat, ut Ecclesiam Dei direpturus, resque ejus violenter occupaturus quantocyus veniat. Unde judicio Dei percussus quarto post obitum Ducis die obiit. Hoc autem ipso mortuo viri ignobiles, ac de plebe adouc eandem turrim cum tota Urbe occupantes tenent, adventum Balduini ad ruinam Ecclesiae, & totius Christianitatis interitum praestolantes* (2).

Afflictus, perditusque Patriarcha haec omnia Boamundo Antiochiae Principi significavit, eumque rogavit, ut ad Balduinum in Regem nuper electum scribere vellet, ne ad Sanctam veniens Civitatem Ecclesiae res occuparet. Sed Patriarchae litteras Boamundus non accepit, siquidem eodem mense, quo Godefridus mortem oppetiit, ille per insidias ab hostibus captus est, dum aggressurus Mesopotamiam iter faceret. Quocirca Patriarcha favore Boamundi ea occasione orbatus, vehementer timens Baldui-

(1) *In litteris citatis.*
(2) *In iisdem litteris.*

duinum, etsi codem auctore (1) Rex institutus esset, antequam hic Hierosolymam accederet, ille optimum duxit Sanctam Civitatem relinquere, & ad Ecclesiam Montis Sion se conferre, *ibique scandala fugiens privatus lectioni, & orationi vacabat* (2).

Rebus tandem Balduinum inter, & Daimbertum anno 1101. compositis *per quorumdam prudentum commendabilem interventum* (3), idem Daimbertus Balduinum ipsum Regia corona insignivit *in die Sancto Nativitatis Dominicae in Ecclesia Bethleemitica adstantibus Clero, & populo, Ecclesiarum quoque Praelatis, & Regni Principibus* (4).

Summa diligentia cum turbae sedatae jam essent, incubuisse Patriarcham ad pietatis opera, & ad populum sibi commissum ad benè agendum excitandum satis erudimur ex Caffaro (5), teite oculato, cujus verba, quae in Annalibus Genuensibus legi queunt, non tantum demonstrant, quod in praesentia animo intendimus, verum ostendunt etiam vehementer errare Joannem Laurentium Moshemium (6), & alios Protestantes ire inficias audentes, Chri-

(1) Confer Cadomensem *de Gestis Tancredi n.* 142. *T. III. Vet. Anecdot. col.* 199, Auctorem *Historiae Belli Sacri num* 37. *pag.* 232., & Folietam *lib.* 1. *Genuensium Hist. col.* 241. apud Graevium *T. I. par.* 1. *Thes. Antiquit. & Hist. Italiae.*

(2) Tyrius *lib.* 10. *cap.* 7. *pag.* 780.. Daimbertum, quo tempore Balduinus Hierosolymam advenit, illa absfuisse tradit etiam Carnotensis, qui de Regis adventu loquens *lib.* 2. *op. citati pag.* 842. apud Duchesnium *T. IV. SS. Hist. Francorum* inquit: *huic celebritati Patriarcha Daibertus non interfuit, quia de quibusdam apud Balduinum erat insimulatus, & discordes ad invicem habebantur, quem etiam major Cleri pars exosum tunc habebat.*

(3) Tyrius *lib. cit. cap.* 9. *pag.* 781.

(4) Idem Tyrius *ibidem*. Vide item Carnotensem *loco cit.*, Willelmum Malmesburiensem *op. indic. pag.* 83., Caffarum *in Annal. Genuensib. lib.* 1. *col.* 249. *T. VI. S. R. Ital.*, & Bernardum Thesaurarium *op. indic. cap.* 84. *col.* 730.

(5) *Op. cit. col.* 250. Consule etiam Auctorem Anonymum *Gestorum Francorum expugnantium Hierusalem* apud Bongarsium *T. II. op. cit. pag.* 582.

(6) *Dissertat. de Lumine S. Sepulcri pag.* 1. *& seq. edit. Helmestad.* 1736. Sed Moshemium, ceterosque cum eo sentientes oppugnat, multis ad rem hanc adductis veterum Scriptorum testimoniis, doctissimus Mamachius *T. II. Origin. & Antiq. Christ. lib.* 2. *cap.* 1. §. 7. *pag.* 65. *seqq.*, qui tamen de Caffaro nullum verbum habet.

Christi Domini Sepulcri lampades jam extinctas igne divinitus immisso nulla naturali vi in die *Sabbathi Sancti* olim accensas fuisse. Non omisit item Daimbertus omne adhibere studium, ut nostri in Palaestina Christianae Religionis hostibus acerrimis debellatis plures Urbes occuparent; de qua re legendus est Ubertus Folieta in Genuensium Historia (1).

Non multò post persecutio contra Daimbertum, quae consenuisse videbatur, recruduit Arnulphi vaferrimi, scelestissimique hominis (2) culpa; quam Patriarcha *ferre non valens, Ecclesia simul, & Urbe* (Hierosolymitana) *relicta inops, & pauper consilii simul, & auxilii indigens ad dominum confugit Boamundum, qui advenientem honeste suscipiens tanto erga eum*

(1) *Opere cit. col.* 241. *& seq.* Consule item Bernardum Thesaurarium *op. cit. cap.* 93. *col.* 738.

(2) De Arnulpho natione Normanno varia sunt Historicorum judicia. Galli, & Normanni Scriptores impense eum celebrant; ut enim praeteram Radulphum Cadomensem, & Auctorem Historiae *Belli Sacri*, Albertus Aquensis *lib.* 7. *op. cit. cap.* 5. *pag.* 294. illum vocat Clericum illustrem Deo devotum; & Petrus Tudebodus *in Itinere Hierosolymitano lib.* 1. *pag.* 812. apud Duchesnium *T. IV. Script. Hist. Normannorum*, eum dicit *sapientissimum, & honorabilem Clericum*. Qui vero diversi natione fuerunt, ac proinde nimio erga Arnulphum studio haud movebantur, aliter de illo sentiunt; Tyrius namque *lib.* 10. *cap.* 7. *pag.* 780. appellat eundem Arnulphum primogenitum Sathane, filium perditionis, malitiosissimum; *& cap.* 25. *pag.* 790. ait, quod *more suo Regem inter, & Patriarcham scandala sevit, & Clerum contra eum suscitavit;* Sanutus *in Secretis Fidelium Crucis lib.* 3. *par.* 6. *cap.* 1. *pag.* 148. apud Bongarsium *T. II. op. indic* inquit *; post Regis electionem improbus Episcopus* Arnulphus *querelas hinc inde seminavit, quod propterea impediatur electio Patriarchae, ut Ecclesiarum diripiantur bona, & jura pereant Clericorum;* idem repetit *cap.* 3. *pag.* 151. Etiam Auctor *Gestorum Francorum expugnantium Hierusalem* antea laudatus *pag.* 590. scribit, Arnulphum concitasse discordiam inter Patriarcham, Regem, & Clerum; Matthaeus Paris autem *in Historia Anglicana pag.* 70. *edit. Londin.* 1640. litteris consignavit, eundem Arnulphum *inter Peregrinos incontinentia, & nimia levitate notatum fuisse;* quod confirmat Raymundus de Agiles *Historia Francorum pag.* 180. apud Bongarsium *T. I. op. cit.* scribens, quod Arnulphus in Patriarcham electus est, *contradicentibus bonis*, & quod in itinere *de incontinentia accusabatur, adeo ut vulgares cantus de eo inhoneste composuissent*. E contrario Daimbertus ab omnibus fere Scriptoribus laudatur exquisitissimis verbis : a Tyrio *lib.* 9. *cap.* 14. *pag.* 771. dicitur vir litteratus, & prudens, religiosus quoque valde, & honestatis ami-

eum maiore motus misericordia, quo ejus sollicitudine, & opera ad Hierosolymitanam Ecclesiam noverat esse promotum; & ne apud se aliter, quam tantum virum haberi oportebat, moram faceret, Ecclesiam S. Georgii, quae infra An-

amicus; a Fulcherio Carnotensi *lib. cit.* apud Duchesnium *T. IV. op. indic. pag.* 852. appellatur *vir prudens, & consilio pollens;* a Matthaeo Paris *loco indic.* „ vir venerabilis ad plenum eruditus, & in agendis Ecclesia-„ sticis a puero enutritus; „ a Bernardo Thesaurario *de Acquisitione Terrae Sancti cap. 82. col. 728. T. VII. S. R. I.* asseritur *vir magnae religionis.* Eodem ferè modo loquuntur Radulphus Cadomensis, Ivo Carnotensis, Auctor Historiae *Belli Sacri*, & Anonymus Bongarsianus, quos antea laudavi. Quae cum ita sint, facilè quisque sibi persuadebit, Arnulphum auctorem fuisse omnium dissensionum inter Balduinum, & Daimbertum, nec non infamiae, quam subiit ipse Daimbertus, nimirum Patriarchatum obtinuisse simoniacè, uti per summam injuriam asserit Albertus Aquensis, cujus verba supra recitavimus; ac significare etiam videtur Willelmus Malmesburiensis, qui *loc. cit.* postquam de Daimberti electione sermonem habuit, subiungit: *in quo facto Urbani Papae consensum obligatum non ambigo, quod esset is* (Daimbertus) *& reverendus senio, & potens eloquio, & pollens marsupio:* ex una enim parte vix, ac ne vix quidem credi potest, virum doctum, pium, prudentem, honestum, qualis ab omnibus celebratur Patriarcha noster, tantum facinus commisisse; ex altera verò cum Arnulphus vir scelestissimus, ac turbarum sator fuerit, quidni asserere optimo jure poterimus, hunc calumniam contra Patriarcham in vulgus sparsisse? quam ab aliis acceptam litteris postea consignaverit Albertus Aquensis, qui Historiam Hierosolymitanae expeditionis sub Godefrido Bullionaeo, & aliis viris Principibus *scripsit ex auditu, & relatione aliorum*, ut ait Cave *Historia Litter. saeculo VValdensi pag.* 571. *edit.* 1705. Non dubito, quin futuri sint, qui mihi crimini dabunt, quod ut Daimberti honestatem, & Arnulphi turpitudinem ostenderem sequens testimonium Paschalis II. in litteris ad Consules Pisanos, quas ex Martinio vulgavit clarissimus dal Borgo *Raccolta di scelti diplomi Pisani pag.* 83. *& seq.* missum fecerim: *quapropter vos dilectissimi filii nostri Pisani Consules ex Oratoribus vestris a nobis benigne exceptis audietis, ac tandem ad vos cum Apostolica benedictione, atque benevolentiae nostrae signis modo remissis, quanta sollicitudine Daiberti fratris nostri Archiepiscopi vestri, & nunc Civitatis Jerusalem Patriarchae partibus, & incremento favere contra reprobum hominem Arnulphum nomine, qui per simoniae labem in Jerosolymitanam Sedem intrudere sese praesumebat, libenter sim paratus facile percipietis, & clarius cum effectu demonstrabimus. Etenim quotiescunque rumor iste ex partibus illis ad aures usque nostras pervenerit, ac requisiti ut judicium de hac re nostrum proferamus, nos praeclara dicti Patriarchae in Romanam Sedem merita, atque exantlatos ab eo pro Catholica Religione labores prae oculis habere, atque sedulo animadvertere non praetermittemus. Quod si forte non contigerit, illum charissimo filio nostro nobili, strenuoque viro Gotefrido, aliisque Principibus Christianis adhuc in Syria, & transmarinis partibus commorantibus pro posse*

Antiochenam Urbem sita est cum ingentibus praediis, & multis redditibus, consentiente domino Bernardo ejusdem loci Patriarcha, liberaliter assignavit, inquit Willelmus Tyrius (1), cui tamen assentiri nequimus, dum ait, Antiochiae Principem, qui Daimbertum excepit, fuisse Boamundum; hic enim anno 1103, quo Patriarcha noster Antiochiam accessit, adhuc in servitute vivebat, ejusque vices gerebat ipsius consanguineus Tancredus, qui una cum Balduino *de Burg*, Willelmo Comite Pictaviense, & Willelmo Carpentario per Legatum enixè rogavit (2) Balduinum Regem, ut Daimbertum in gratiam reciperet, & ad suam pristinam Ecclesiam restitueret: quod Rex, licet aegrè, facere tamen spopondit, dummodo id probasset Robertus Cardinalis Romani Pontificis in Oriente Lega-

posse recomendabimus. Verum idcirco hujusmodi testimonium omisi, quoniam valde suspicor, memoratas litteras apocryphas esse. Cum enim ditae dicantur anno secundo Pontificatus Paschalis, post decimam quartam mensis Augusti diem anni 1100. scriptas fuisse asseramus oportet, siquidem ea die anni 1000. Paschalis in Pontificem M. electus est. At quomodo Paschalis polliceri Pisanis tunc poterat, se commendaturum Daimbertum Godefrido, qui jam inde a die 18. mensis Julii extremum diem morte confecerat, ut Muratorius *Annali d' Italia ad ann.* 1100. ex Tyrio, aliisque vetustis Auctoribus demonstrat?

(1) *Lib.* 10. *cap.* 25. *ad ann.* 1102. *pag.* 790.

(2) Albertus Aquensis *lib.* 9. *n.* 14. *pag.* 331. „ erat autem Dagobertus in eorumdem egregiorum comitatu reprobatus ab eodem Rege; qui Patriarchatus dignitatem recuperare arbitrans cum Tankrado Japhet descendere disposuit; unde Tankradus, & Balduwinus de Burg, Willehelmus quoque Comes Pictavii, pariterque Willehelmus Carpentarius consilio inito qualiter Patriarcha restituatur Regi legationem direxerunt, videlicet ut Patriarcham in suam Sedem relocaret, alioqui nequaquam eos in ultionem suorum Ascalonem posse descendere. Rex horum audita legatione invitus eorum precibus acquievit, nimium indignatus adversus Patriarcham propter subterratam pecuniam. Attamen consilio suorum victus concessit magnificis illius intercessoribus, ut primum Ascalonem descendant adversus arma, & milites Regis Babiloniae, dehinc se omnia de Patriarcha aequo judicio, & consilio ipsorum acturum. Decrevit etiam haec omnia fieri examine Roberti Parisiensis Cardinalis Episcopi, & Legati, qui Mauricio aliquo tempore mortuo, a Paschali Romano Pontifice missus venerat ad discussionem, & correctionem rerum illicitarum Sanctae, & Orientalis Ecclesiae in his Orientalibus plagis.

Legatus. Quocirca praelio, quod Rex contra Urbem Ascalonem parabat, infeliciter confecto, ipse, aliique Hierosolymam se contulerunt, ubi post denuo collocatum Daimbertum in propria Sede, anno paullò ante memorato habitum est Concilium a Roberto Cardinale, multisque aliis Episcopis, in quo Patriarchae caussa examinata, ipse damnatus est, teste Alberto Aquensi (1): *reducto itaque sic Patriarcha Dagoberto Jerusalem, ac in Sede suae majestatis relocato, proxima die in Templo Dominici Sepulcri Concilium statutum est, ubi idonei testes, & accusatores in praesentia, & audientia Domini Cardinalis, ac totius Ecclesiae convenerunt Baldewinus Caesareae Urbis Episcopus, & Episcopus de Bethlehem, Robertus Episcopus de Rama, Arnolfus Cancellarius, & Archidiaconus Dominici Sepulcri, & Clerici multi. Ibi alii hunc ex simonia, alii ex homicidio Christianorum Graecorum in insula Cephali ejus instinctu a Genuensibus perpetrato; alii ex traditione Regis Baldewini; quidam verò ex oblatione, & pecunia fidelium subterrata constanter, & obnixe criminati sunt. Affuerunt pariter in eodem Concilio Engelbardus Episcopus Lauduni, similiter & Episcopus Placentiae, Episcopus de Tarsa, Episcopus de Mamistra, aliique Episcopi, & Archiepiscopi ad decem, & octo computati: Abbas etiam de Sancta Maria Latina, Abbas de Valle Josaphat, Abbas de Monte Tabor; & alii de terra Galliae circiter sex illic sedisse referuntur. Ibidem vero in medio tantorum probabilium virorum conventu Cardinale praedicto residente, & aequo judicio rem examinante, Patriarcha victus, & confusus ab idoneis testibus de perfidia, & caeteris obmutuit. Qui in satisfactione Deo, & Cardinali rebellis, & inobediens existens, & in pertinacia suae pravae excusationis permanens sub judicio omnium fidelium depositus, ac anathemate percussus est. Tankradus vero, & ceteri Principes videntes*

(1) *Lib. cit. cap. 16. pag. 332.*

rem ex puro judicio veritatis finem accepisse. non ultra remissi sunt, sed Rege salutato, in terram Antiochiae, & Edessae, Patriarcha abiecto, utque ajunt, precibus tantorum procerum absoluto secum adducto reversi sunt. Alberti testimonium, etsi longum, recitare placuit, cum non solum quae de Daimberto superius narravimus, confirmet, sed etiam nobis patefaciat Concilium, de quo Labbeus, Harduinus, ceterique recentiores Conciliorum Collectores altissimè silent.

Antiochiae, quo, ut Albertus ait, Patriarcha noster e Hierosolymitana Sede Concilii sententia pulsus, secundò concessit, fuit usque ad annum 1104., quo simul cum Boamundo (1) in Gallias eunte in Apuliam venit, indeque Romam petiit, ut calumnias sibi inultas, & acerbissimam damnationem in seipsum a Concilio Hierosolymitano latam Summo Pontifici reprehesentaret. Statim vidit Paschalis, qui tunc Ecclesiam universam regebat, Patriarcham vexari contra ac fas, & jura sinant, sed nihilominus antequam illum absolveret, ejusque adversarios, & obtrectatores damnaret, cum leges decernant, ne judicium in aliquem indicta caussa feratur, Hierosolymam scripsit, ut illi delicta a Daimberto commissa aperire vellent. Nullum tamen responsum accepit, idcirco eum ad propriam Sedem remisit, quam tunc Ebremarus Pseudo-Patriarcha occupabat (2). Daimbertus Roma navigavit Siciliam versus, sed cum Messanam pervenisset, ibi *moram faciens necessariam transitum expectans, gravi correptus aegritudine decimo sexto calendas Julii viam universae carnis ingressus est. Sedit autem in pace annis quatuor, in exilio verò tribus* (3). Sunt

(1) Vide Auctorem *Historiae Belli Sacri num.* 140. *pag.* 234. apud Mabillonium *T. I. part.* 1. *Musaei Ital.*, & Anonymum *Historiae Hierosolymit.* apud Bongarsium *part.* 2. *pag.* 606.

(2) Confer Albertum Aquensem *loc. cit.*, ac Tyrium *lib.* 11. *cap.* 4. *pag.* 797.

(3) Tyrius *ibidem*. Marangonius *op. alibi cit. col.* 338., ac Tajolius *Hist. Pis. MSS. lib.* 2. *cap.* 26. scribunt, Daimbertum obiisse Hierosolymis; sed erroris convincuntur auctoritate Willelmi Tyrii, cujus verba exhibuimus;

Aucto-

Sunt qui putant (1), Daimbertum anno 1104. obiisse, idque probant testimonio Fulcherii Carnotensis, qui ad eum annum scribit in hunc modum: *Romam ivit Daimbertus, ut caussam suam, & injuriam sibi a Rege factam Romano Papae innotesceret: ivit, & impetravit, sed non rediit, quia in via obiit* (2). At ex hujusmodi testimonio, aut ego vehementer fallor, non colligitur, Fulcherium existimasse, Patriarcham nostrum anno citato extremum diem morte confecisse; siquidem ille occasione tantummodo narrandi Daimberti ad Urbem profectionem, quae revera anno 1104. contigit, meminit etiam ejus mortis, sed non dicit hoc anno accidisse; Fulcherius enim etsi in scribendo temporum rationem sequi sibi proposuerit, non est tamen in hoc ita religiosus, ut ad annum unum non referat, quae diversis annis facta sunt. Ceterum Daimbertum in vivis etiam fuisse anno 1105. mense Julio liquet ex antiquo monumento ab Ughellio (3) publicato; & ad annum usque 1107. spiritum duxisse docent veteres (4), quos recentes nobilissimi Auctores (5) sequuntur.

Auctoris fragmenti *Historiae Pisanae T. VI. S. R. Ital. col.* 109, qui apertè ait Patriarcham nostrum e vita migrasse Messanae; Fulcherii Carnotensis, cujus testimonium paullò post referemus; & Anonymi Historiae Hierosolymitanae superius laudati ita scribentis: *transfretavit cum eo* (Boamundo) *& Hierosolymorum Patriarcha venerabilis Daimbertus, Romamque petens, cum ad Sedem suam cum auctoritate Romani Pontificis reverteretur, in itinere obiit peregrinus.*

(1) Mittarellius & Costadonius *T. III. Annal. Camaldul. lib.* 24. *ad an.* 1104. *n.* 17. *pag.* 113.

(2) *Lib.* 2. *cap.* 31. *pag.* 416. *edit. Bongars.*

(3) *T. IV. in Epis. Genuens. num.* 23. *col.* 848.

(4) Tyrius, & Auctor fragmenti Historiae Pisanae *locis indic.* Fateor auctorem hunc juxta editionem Ughellianam, & Muratorianam Daimberti mortem referre ad annum MCVI., sed nullus dubito, quin errore amanuensis omissa sit secunda nota numeralis I.

(5) Baronius nimirum *ad eum ann. n.* 15., Lamius *epist. ad Joannem Baldasseronium, quae est in Ephemeridibus Florentinis anni* 1743. *n.* 19., Lequienius *T. III. Orient. Christiani col.* 1245., Fleurius *T. XIV. Hist. Eccles. lib.* 60. *n.* 57. *pag.* 106., Gravesonius *Hist. Eccl. saec.* 12. *colloq.* 2. *T. VII. opp. pag.*

Hactenus de Daimberto. Nunc de aliis, quae illius temporibus facta sunt, & ad Historiam Ecclesiae Pisanae attinent, breviter agendum esse sentio. Pisani post captam Hierosolymam patriam versus ex Palaestina navigantes cum pervenissent in regionem Alexio Imperatori Constantinopolitano subiectam, qui eis in Palaestinam petentibus impedimento fuerat (1), multa oppida occuparunt, illiusque filium natu majorem in captivitem redegerunt. Paullo post pace composita, ea omnia Alexio restituerunt Pisani, variis tamen exactis conditionibus, maxime verò ut Imperator sacras vestes, & vasa Ecclesiae Pisanae largiretur, ac pecuniae summam pro perficiendo Templo majori, & Palatio Archiepiscopali donaret (2). Nec hisce tantum Ecclesia Pisana occasione orientalis expeditionis ditata fuit, sed pluribus etiam aliis muneribus Tajolio, ac Troncio testibus (3): Pisani namque in patriam revertentes secum tulerunt tum SS. Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis corpora a Patriarcha, & Godefrido dono accepta

pag. 138. *edit. Mans.*, Morerius *in Magno Diction. Historico T. IV.* ad verbum *Daibert*, Benedictus Pictetus *Histoire de l' Eglise, & du Monde pour servir de continuation a l' Histoire de l' Eglise, & de l' Empire de Monsieur Le Sueur Tom. II.*, & Actorum Conciliorum Collectores *T. XII. col.* 2131.. In excerptis MSS. ad Historiam Pisanam spectantibus Hieronymi *de Sommaja* Florentiae in Bibliotheca Magliabechiana servatis *Classe* 37. *n.* 93. Daimberti mors ad annum 1110., vel sequentem refertur. Multo serius eundem obiisse putat Auctor Anonymus Chronici Pisani editi Lucae *in Miscellaneis Balutianis T. I. pag.* 450. ad annum 1117. ita scribens: *nel ditto anno Messer Lamberto Vescovo di Pisa fu fatto Patriarcha di Gierusalemme, e là andò, e finitte.* Sed haec testimonia nihil omnino moror. Abrahamius *opere in Gerardo citato pag.* 138. refert Daimberti epitaphium, quod, ut ille ait, legitur Messanae. Sed, quantum capio, longe post Patriarchae nostri obitum compositum est, idcirco libenter illud omitto.

(1) Consule Annam Comnenam *lib.* 11. *Alexiados pag.* 266. *T. XI. Historiae Byzantinae edit. Venetae.*

(2) Vid. Marangonium, ac Tajolium *loc. cit.*, Volaterranum *lib.* 5. *Geographiae fol.* 42. *edit.* 1526., Auctorem Chronici Pisani apud Balutium *in Miscellaneis T. I. pag.* 449. *edit. Mansianae*, & Paullum Troncium *Annali Pisani pag.* 37.

(3) *Ibidem.*

cepta, tum duas *ex lapideis illis metretis, in quibus aqua in vinum a Domino Salvatore nostro immutata est* (1).

Canonici Pisani tempore Daimberti pissimae Comitis Mathildis liberalitatem experti sunt; haec enim anno 1100. septimo idus Junii eos suae tutelae subiecit, & privilegia antea concessa rata habuit; triennioque post elargita est *Operae S. Mariae* huius Civitatis, *& fiuta Opera Canonicis, qui justè, & regulariter ibidem pro tempore vixerint, Castrum Papiani, & curtem, & omnia ei pertinentia, & Castrum Civurni, & curtem, & omnia similiter ei pertinentia, & petium unum de terra* positum *foras muros Civitatis propè Ecclesiam S. Nicolai* (2).

XXIX. PETRUS I. MORICONIUS.

Judice Abrahamio (3) *Petrus Moriconius quondam Merli filius nobilis Pisanus ex illustri prosapia illorum de Vico genitus est*. Anno 1095. Abbas (4) erat in patrio Monasterio S. Michaelis *in Burgo* ad Patres Camaldulenses spectante, quos inter Deo sese antea consecraverat. Ad hanc Sedem provectus est *sua bonitate, & virtute*, inquit Augustinus Fortunius (5). Hujus Antistitis primò fit mentio in tabulis anno 1106. decimoquarto calendas Aprilis exaratis, sed Annalium Camaldulensium eruditissimi Auctores animadvertentes, in veteribus chartis, quae in laudati Monasterii Tabulario servantur, Petrum Abbatem postremò memorari ad annum 1104. idibus Decembris,

(1) Jacobus Philippus Bergomensis *in Supplemento Chronic. lib. 4. fol. 77. edit.* 1503. Confer item Martinium *Theatro Basilicae Pisanae cap. 11. pag. 68. edit.* 1705.

(2) Mathildis hac de re diplomata exhibet Paullus Troncius *pag. 38. & seq.*, & Florentinius *Memorie della gran Contessa Matilda pag. 192. in Append. monum.*

(3) *Op. alibi indicato pag. 161.*

(4) Annales Camaldulenses *T. cit. ad eum ann. num. 35. lib. 22. pag. 63.*

(5) Historia Camaldulensi *par. 2. lib. 2. cap. 9. pag. 66. edit. 1579.*

bris, arbitrantur, nec immeritò, eodem anno Daimbertum Romam profectum Ecclesiae Pisanae nuncium remisisse, ipsique statim successisse Petrum, ac decimoquarto calendas Januarias hunc Pisas deseruisse, ut ad Urbem peteret *pro obtinenda confirmatione electionis sui ipsius factae a Clero, & a populo Pisano* (1). Magni eum fecit Paschalis II. Romanus Pontifex, qui ad illum scripsit anno 1106. ejusdem apud Deum preces implorans, ut summa constantia onus maximum sibi impositum ferre valeret (2). Mirificè dilexit Petrus Richardum Abbatem Monasterii S. Victoris Massiliensis, ipsique, & ejus successoribus elargitus est anno 1107. quinto idus Julii Coenobium Sanctorum XII. Apostolorum in ditione Pisana positum, ut ad illud Monachos transmitteret, qui ibi sub *Priore*, vel Abbate versarentur, cum eo, ut ejus electio Episcopo Pisano nota fieret, & ab ipso rata haberetur (3).

Post triennium cum Sanctorum Mamiliani, Gobuldei, Lustri, Vendemii, & Infantis Corpora Pisas ex Centumcellis translata fuissent, eadem in Templo Monasterii S. Matthaei collocavit, quod nos docet vetus inscriptio, quam in ejusdem Monasterii peculiari historia exhibebimus.

Nihil tamen celebrius, gloriosiusque Petri nomen effecit, quam quod gestum ab eo est anno 1113, & sequenti. Accepto a Paschali Summo Pontifice nuntio, quo cum ipse, tum magnis opibus, & copiis praedita, atque affluens Pisanorum Respublica excitabatur ad arma contra Saracenos sumenda, qui Insulis Balearibus, & Ebuso maximo Christianorum detrimento dominabantur, omni cogitatione, & cura in id incubuit, ut Concives sui valida comparata classe, cujus ipse Dux, Praefectusque fuit, ex iis

(1) *Ad annum* 1104. *lib.* 24. *n.* 17. *pag.* 113.
(2) Paschalis litteras laudant Mittarellius, & Costadonius *lib. cit. pag.* 119.
(3) Vide Petri Diploma apud Martene, & Durand *T. I. Collect. veterum monumentorum col.* 614., ac *Tom. VI. Annalium Benedictinorum in addendis pag.* 581.

iis locis immanes hostes expellerent. Ita ad rem hanc scribit Laurentius Vernensis Petri nostri Diaconus (1):

Moxque pius Praesul Petrus virtute coruscus
Civibus haec memorando suis Crucis inclyta signa
Sumpsit, & alterna motae pietate catervae
Sic ad signa Crucis capienda fuere frequentes.

Interea, eodem Vernensi teste (2), duodecim Cives, quorum princeps erat Consul *Azzo Marignanus* dictus Reipublicae nomine

. . . . Cum Praesule digno
Legati Romam vadunt, quos Papa colendus
Nomine Paschalis multo suscepit honore
Pontifici tribuendo Crucem, Romanaque signa
Militiae Ducibus, quae praesens Azzo recepit.
Qui postquam monuit pietatis dogma catervas,
Et quantum Scriptura pati pro fratribus optat,
Hortatus cunctos Sanctis insistere coeptis
Pro tanto facto peccamina cuncta relaxat,
Hancque potestatem Pisano contulit altam
Pontifici . . . .

His omnibus animosiores facti Pisani, eorumque Antistes inita prius societate cum Raymundo Berengario Barcinonae Comite, Gulielmo Montis-pessulani Domino, aliisque viris Principibus tercentis navibus in memoratas Insulas navigarunt, tantaque vi pugnarunt, ut non solum eas in suam redegerint potestatem, sed Regem quoque saevissimum *Burabe* appellatum, qui paullò ante *Nazaradeolo* defuncto successerat; hujus filium, & uxorem coe-

(1) *Lib. 1. Rerum in Majorica Pisanorum col.* 111. apud Muratorium *T. VI. Script. Rerum Italic.*
(2) *Lib. cit. col.* 112. Vide etiam Marangonium *Cronica Pisana col.* 343.

coeperint, Pisasque duxerint: quorum primus, inquit Vernensis (1), in hac Urbe

Praebuit Italiae sese spectabile monstrum.

Secundus primo baptizatus nomine *Lamberti*, & majoris Ecclesiae Canonicus ab Archiepiscopo factus: deinde a Pisanis, qui optimos ejus mores benè noverant, in paternum Regnum, Summo annuente Pontifice restitutus fuit (2); tertia nostris item imbuta institutis Pisis extremum diem morte confecit, uti liquet ex sequenti ejus epitaphio, quod in Ecclesiae Cathedralis fronte adhuc legitur, & recitatur a Troncio, Ughellio, Puccinellio, Cocchio, Martinio, aliisque:

Regia me proles genuit, Pisae rapuerunt
His ego cum nato bellica praeda fui.
Majoricae Regnum tenui; nunc condita saxo
Quod cernis jaceo sine petita meo
Quisquis es ergo tuae memor esto conditionis
Atque pia pro me mente precare Deum.

Quandoquidem, ut superius narratum est, ad Baleares Insulas occupandas cum Civibus aliis Pisanis Archiepiscopus

(1) *Lib. 7. col. 162.* Troncius *pag. 57.* ita scribit: *di Burabe dicono i manuscritti nostri, che anch' egli si battezzasse, e dove si morisse, non lo rinvengo.*

(2) Auctor Anonymus Historiae Pisanae italicè scriptae, quae nondum edita, est in Bibliotheca Maghabechiana *Classe 25. n. 32.*, ac incipit ab aedificatione Civitatis, desinitque in anno 1390., *fol. 6. ad ann.* 1116 sic habet „ il figlio di detto Re [*Nazaradeoli*] si battezò in Duomo per „ mano del Vescovo, e fecenolo Canonico di Pisa, e lo chiamorno per „ nome Lamberto, e la madre lo fece quì nutricare, e poi non essendo „ ancora ordinato di Ordine Sacro a preghi delli Pisani fu incoronato Re „ di Majorica, e allora cominciò quella Terra haver li Re Cristiani. „ Adeundi etiam Volaterranus *lib. 5. Geographiae fol. 42. edit. Paris. 1526.*, Auctor Chronici Pisani, quod clariss. Mansius vulgavit *T. I. Miscellan. Balutian. pag. 450.*, Tajolius *Storia Pisana MS. lib. 2. cap. 37.*, Troncius *Annali Pisani pag. 57.*, Annales Camaldulenses *T. III. lib. 25. ad ann. 1114. n. 33.*, & Anonymus Auctor *Historiae de Bello Balearico*, quae MS. servatur in Bibliotheca citata *Classe, & numero laudatis.*

pus noster concessit, ideo quo anno factum id sit, accuratius investigandum esse video. Ricordanus Malespina (1), & Villanius (2), quos Platina (3), Ammiratus (4), aliique sequuntur, scribunt, Pisanos memoratas Insulas aggressos esse anno 1117., sed errant longe mea quidem sententia, cum certa, distinctaque monumenta ostendant, Pisanorum adversus Saracenos profectionem accidisse anno communi 1113., eorum verò in patriam reditum anno 1114.. Massiliae in Ecclesia S. Victoris extat haec inscriptio, quae a pluribus (5) vulgata est.

Verbi Incarnati de Virgine mille peractis
Annis post centum bis septem connumeratis
Vincere Majoricas Christi famulis inimicas
Tentant Pisani Maumeti Regna prophani.
Mane neci dantur, multi tamen his sociantur
Angelice turbe, Celique locantur in Urbe.
Terra destructa classis redit equore ducta
Primum ope Divina simul & victrice Carina.
O pia victorum bonitas! defuncta suorum
Corpora classe gerunt, Pisasque reducere querunt
Sed simul adductus ne turbet gaudia luctus
Cesi pro Cristo tumulo clauduntur in isto.

Ex verbis illis *vincere tentant Pisani* liquet, epitaphii auctorem docere nos voluisse, annum 1114. tempus, quo Balearicum bellum incoeptum a Pisanis est, significare. Cum autem laudatum epitaphium Pisani confecerint, non dubito, quin anni juxta Pisanorum stilum in eo nume-

(1) *Istoria Fiorentina cap. 76. col. 933. T. VIII. S. R. I.*
(2) *Istorie Fiorent. lib. 4. cap. 30. col. 123. T. XIII. S. R. I.*
(3) *In vita Gelasii II.*
(4) *Istorie Fiorentine lib. 1. part. 1. pag. 49. edit. 1647.*
(5) Nimirum a Volaterrano *loco cit.*, Pagio *ad ann. 1114. n. 14.*, Tajolio, Troncio, Marangonio, Ughellio, & Flaminio *dal Borgo*.

rentur. Auctores etiam Breviarii Historiae Pisanae, & gestorum Triumphalium per Pisanos factorum memorati belli initium ad annum communem 1113. referunt (1). Quod verò Pisani in patriam redierint anno 1114. luculenter ostenditur ex altera inscriptione posita secus Arnum super portam Ecclesiae *la Madonna de' Galletti* nunc communiter dictae; quam inscriptionem Florentinius (2) primò, tum Flaminius *dal Borgo* (3) publicarunt:

Civibus egregiis hec aurea porta vocatur
In qua sic dictat nobilitatis honor
Hanc Urbem decus Imperii generale putetis
Quae fera pravorum colla ferire solet.
Majoris Balee rabies erat improba multum
Illa quid hec posset victaque sensit Ebus.
Annis millenis decem centum cum quinque peractis
Ex quo concepit Virgo Maria Deum
Pisanus populus victor prostravit utramque
Hisque facit strages ingeminata fidem.
Diligite justitiam, qui judicatis Terram.

Idipsum colligitur ex Laurentio Vernensi (4), qui Historiam suam de Balearium Insularum expugnatione sic terminat:

Tunc fuit a Christo tecto velamine Carnis
Centenus quintus decimus [more Pisano] *millesimus annus.*

Sed ad Petrum Archiepiscopum nostra revertatur oratio. Is die quinta Februarii anni 1116. Ecclesiam S. Stephani *de Carraria* prope mare Pisanum sitam consecravit, eique nonnullas possessiones elargitus est (5); deinde Romam

(1) Apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital. col.* 169. & 101.
(2) *Memorie della gran contessa Matilda lib.* 2. *pag.* 316. *edit. Mans.*
(3) *Dissertazione sull' origine della Università Pisana pag.* 29.
(4) *Col.* 162.
(5) Tabulae apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. medii aevi col.* 1123.

mam petens interfuit Lateranensi Concilio pridie nonas Martii inchoato, in quo concives suos defendit contra Lucensem Episcopum, qui eos quaedam bona ad Ecclesiam suam spectantia sibi usurpasse asserebat (1); mense Junio ejusdem anni 1116. Pisas jam redierat; nam die citati mensis 24. mandavit Clericis Ecclesiae S. Petri *ad Gradus* praefectis, ne permitterent, ut *in iis potissimum anni solemnitatibus, quae in eadem Ecclesia diu, noctuque secundum antiquam consuetudinem magno etiam exterorum, atque advenarum concursu celebrantur*, viri mulieribus immixti manerent (2).

Petro Pisanum populum gubernante major Ecclesia a Gelasio II. splendida, & magnifica pompa sacra facta est anno 1118. mense Septembri. Ita Petrus Diaconus (3), veteraque nostra monumenta (4) tradunt contra Cardinalem Aragoniensem (5) narrantem, Ecclesiam S. Mariae non a Gelasio, sed ab ejus successore Callisto consecratam fuisse anno 1120. *tota ibidem Tuscia concurrente*. At Callistum non nisi duo ejus Altaria dedicasse ex Brevia-

(1) Confer Abbatem Urspergensem *in Chronico ad eum ann. pag.* 197. *edit.* 1609. Raphael Roncionius *Storia Pisana lib.* 5. *fol.* 116. juxta exemplar imperfectum, quod MS. servatur Florentiae in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *n.* 94. ita de ratione dissidii inter Pisanos, & Lucensem Pontificem scribit „ volendo l' Arcivescovo di Pisa ricercare le ragioni del- „ la sua Chiesa, massime quelle, che usurpate ci aveva il Vescovo di „ Lucca, dopo una lunga contesa si venne ad una manifesta guerra, „ & i Pisani vietarono al Vescovo di Lucca l' esercitare la sua potestà „ spirituale nel loro contado: della qual cosa se ne lamentò il Vescovo „ in Concistoro. Ma Papa Pasquale avendo maggiori faccende per le „ mani non vi fece sopra alcun provedimento. „

(2) V. *ejus litteras* apud Orlendium *T. II. par.* 2. *Orbis Sacri*, & *prophani lib.* 3. *cap.* 21. *pag.* 862.

(3) *Chronico Monasterii Casinensis lib.* 4. *cap.* 64. *pag.* 533. *T. IV. S. R. Ital.*

(4) Sunt apud Cajetanum, Ughellium, & Martinium; quae monumenta, ubi de majori Ecclesia Pisana ex instituto loquemur, exhibebimus.

(5) *In vita Callisti II.* apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag.* 420. In eadem sententia versatur immortalis Baronius *ad ann.* 1120. *n.* 3., qui etiam in eo errat, quod hanc opinionem non Cardinali Aragoniensi, sed Pandulpho Pisano tribuit, in quo Troncius item *pag.* 59. hallucinatur.

rio Historiae Pisanae (1) erudimur. Metropolitanum quoque nomen, ac dignitatem; qua Ecclesia Pisana ab Urbano II. exornata fuerat, eidem confirmavit Gelasius, deinde Pisis discessit; post cujus discessum Petrus Archiepiscopus una cum Petro Cardinali Apostolicae Sedis Legato in Corsicam petiit, ubi Maranensem Episcopum ordinavit, ejus Ecclesiam sacram fecit, *& aliorum Corsicae Pontificum obedientiam, & fidelitatem recepit*, Conciliumque habuit, ut alibi fusius narravimus (2). Sed antequam Petrus in Corsicam, Gelasius Genuam concederet, amorem, quo Monachos Casinenses prosequebatur, ostendere ille voluit Gerardo eorum Abbati elargiendo Ecclesiam S. Sil-

(1) *Loco antea citato*.

(2) *Dissertazione praevia cap.* 2. In hoc ipso capite notavimus, quemdam Anonymum Historiae Pisanae Scriptorem, & alios Auctores perperam arbitrari ab Innocentio II. dignitate Metropolitana hanc Ecclesiam primò decoratam fuisse. Nunc verò animadvertimus, idem sentire Laurentium Tajolium *Storia Pisana MS. lib.* 3. *cap.* 2., cujus verba, in quibus sanè multa peccat, recitamus, ut appareat, quo in pretio ille de rebus nostris disserens habendus sit „ correndo l' anno di nostro Signore MCXXXVII. „ Innocenzio venne la terza volta alla Città di Pisa, e in quella congregato il Concilio agitava le cose della Fede, nel quale fu condannato di nuovo l' Antipapa Anacleto, il quale ripigliava le forze favorito da Ruggieri Re di Napoli, e di Sicilia. In questo Concilio „ Pisano fu decisa la controversia seguita tanto tempo fra' Pisani, e „ Genovesi delle Consegrazioni de' Vescovi di Corsica, e per tor via „ ogni differenza fu fatto il Vescovo di Genova, fino a quel tempo sottoposto all' Arcivescovo di Milano, Arcivescovo, e in tal maniera il „ Vescovado di Genova fu fatto Arcivescovado, e fugli sottoposti tre „ Vescovi della Corsica come Suffraganei; & il Vescovado di Pisa similmente fu fatto Arcivescovado, e quantunque per li tempi addietro „ sia stato detto dalli Scrittori Arcivescovado, lo dicono per anticipazione, ovvero perchè era come Arcivescovado, non essendo soggetto ad „ altro Arcivescovo, ma reggendosi solo da se sotto lo Sedia Apostolica, giacchè l' Arcivescovado suppone avere giurisdizione sopra i Vescovi Suffraganei. Quest' onore veramente grande fu concesso alla „ Città di Pisa da Innocenzo II. nel Concilio Pisano, e di Vescovado „ fu fatto Arcivescovado, e furongli sottoposti come suoi Suffraganei tre „ altri Vescovi della Corsica, cioè il Vescovo di Savona, il Vescovo „ di Cervia, il Vescovo di Populonia, il Vescovo di Betelli di Sardegna, e il Vescovo di Marema. L' Arcivescovo Pisano fu fatto Patriarca di tutta la Sardigna, e in quella Legato Apostolico, ed il primo „ Arcivescovo fu Pietro Abbate di S. Michele; e Innocenzio in quei „ travagli, e contese teneva la Corte sua nella Città di Pisa come in „ casa de' suoi figlioli „.

S. Silvestri auctoritate Romani Pontificis, consilio, & assensione *Fratrum Canonicorum majoris Ecclesiae* . . . . . . *praesentibus*, *&* *collaudantibus fundatoribus ipsius Ecclesiae* (S. Silvestri) *Olimundo*, *&* *filiis suis*, quos ex familia *Masca* Pisis olim clarissima asserit Troncius; hac posita conditione, ut *Presbyter*, *quem ibi Abbas posuerit cum conscientia Archiepiscopi constituatur tanquam curam populi habiturus* (1).

Ex Auctoribus fragmenti, & Breviarii Historiae Pisanae liquet, Petrum e vita migrasse anno communi 1119. magno totius Urbis moerore. Non solum Ecclesiae suae splendorem, sed jurisdictionem etiam, & proventus multum auxit; a diversis namque personis emit una cum Pisanis Consulibus, & Aedituis Ecclesiae Pisanae oppidula *Ripefractae*, *Montis maximi*, & alia, sicuti constat ex multis chartis a Muratorio (2) vulgatis: hinc colligi posse videtur, Pisanum Antistitem eo tempore participem fuisse publici Civitatis regiminis (3).

XXX. AZZO II.

Sententia est Oldoini (4), & Cajetani (5), Gelasium antequam Pisis discederet, *Azzonem*, *Actium*, seu *Attonem* Archidiaconum Placentinum in Antistitem Pisanum antea electum suis manibus consecrasse. Hoc si verum esset, cum Gela-

(1) Instrumentum est apud Gattulam *part.* 1. *Hist. Monasterii Casinens. pag.* 423. & apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. col.* 1128.

(2) *T. cit. col.* 1131.

(3) Eruditissimus Joannes Targionius *Relazioni d'alcuni viaggi ec. T. II. pag.* 15. ,, il Vescovo di Pisa, *inquit*, era padrone della maggior parte de' contorni di Porto Pisano, e di Livorno, il che non dee recar maraviglia, mentre egli era padrone della maggior parte del territorio Pisano, ed aveva grand' ascendente sopra il governo anche temporale di Pisa, non so se come Vicario Imperiale, o per qual' altro motivo. ,,

(4) *In additionibus ad Ciaconium in vita Gelasii T. I. col.* 935. *edit.* 1677.

(5) *Op. cit. pag.* 405.

Gelasius de hac Urbe profectus sit anno 1118. mense Septembri ad finem properante, illud fieret, Azzonem eo anno Ecclesiae Pisanae regimen suscepisse. Sed cum Petrus, ut mox narratum est, anno tantum 1119. obierit, nullus dubito, quin falsum censeri debeat. Non sum quidem nescius, quod Oldoinus, & Cajetanus affirmant, colligi non obscurè ex Chronico (1) Falconis Beneventani, ubi sic legitur: *cumque sicut relatum est, Pontifex Gelasius apud Civitatem Pisanam ivisset, & Archiepiscopum Civitatis consecrasset*. At vir doctissimus Pagius (2) Falconis textum mutilum, depravatumque esse inquit, ac ita restituendum esse existimat: *Archiepiscopatum & Ecclesiam Civitatis consecrasset*. Itaque ad terminum potius anni 1119., vel principium sequentis Azzonis electio revocanda est; hoc enim anno 3. calendas Februarii emit a Raynerio Comite Guidonis filio *totum Castellum Ricavum cum curte, suoque districto, & omnibus suis pertinentiis* (3).

Archiepiscopus noster Callistum II. ex Galliis Pisas venientem excepit, eumque Volaterras prosequutus est, ubi interfuit Consecrationi majoris Ecclesiae, quam Summus Pontifex habuit anno 1120. decimo tertio calendas Junias (4). Multas Ecclesiae suae acquisivit possessiones, & oppidula *Liburni*, quod nunc celebris portus est, *Cenajae*

(1) *Ad annum* 1118. *T.V. S. R. Ital. pag.* 92.

(2) *Critica Baronii ad ann.* 1118. *n.* 10.

(3) Instrumentum est apud Muratorium *T. indic.*

(4) Confer hac de re inscriptionem apud Ughellium *T. I. in Episcop. Volaterranis n.* 34. *col.* 1430., & apud Oldoinum *in vita Callisti II.* Clarissimus Saxius *in notis ad Sigonium de Regno Ital. lib.* 10. *ad ann.* 1119. scribit, quod Callisti *itinerarium post Remense Concilium usque ad reditum in Urbem ex antiquis documentis accuratè recensuit Pagius*. Sed hic *in Crit. Bar. ad ann.* 1120. *n.* 6. postquam ex Pandulpho Pisano narravit Callistum peragratis *Provinciae partibus, & Alpium difficultate transcensa* pervenisse ad oppidum S. Ambrosii, quod paucis milliariis ab Urbe Segusio in Pedemontio dissitum est, subiungit: *inde Romam perrexit, ubi tertio nonas Junii magno honore exceptus fuit*. In controversiam tamen vocari nequit, Callistum Romam petentem in Tusciam venisse; id enim asserit Bernardus Guidonis *in ejus vita T. III. S. R. Ital. pag.* 421.; & Cardinalis de Aragonia *T. cit. pag.* 420. Pontificis iter clarius exprimens ait, quod ille

jae, nonnullaque alia (1). In vivis adhuc erat anno communi 1121. octavo calendas Septembris, ut apparet ex veteri monumento apud celeberrimum Muratorium; hinc cum Auctor fragmenti Historiae Pisanae (2) tradat mortuum esse anno 1122., quem juxta Pisanorum morem accipi debere vix, ac ne vix quidem dubito, sequitur, aut post laudati anni 1121. medietatem, aut certè ante diem 25. mensis Martii anni sequentis vitam cum morte commutasse.

Paullus Troncius (3) auctoritate innixus quorundam antiquorum, ut ille ait, MSS. quae Pisis asservabantur, affirmat Azzonem inter S. R. E. Cardinales a Callisto relatum fuisse; sed cum nihil hac de re habeat Pandulphus Pisanus, qui de omnibus Cardinalibus ab eodem Summo Pontifice creatis agit (4) diligenter, si minus apertè falsum, saltem incertum admodum est, illum tantam dignitatem consequutum esse.

XXXI. ROGERIUS I.

In aliquibus tabulis bujus Ecclesiae (Pisanae) *habetur, hunc Rogerium Sedem Pisanam obtinuisse anno* 1125., *defunctum verum anno* 1130. inquit Ughellius, qui de Volaterranis Episcopis verba faciens Rogerii electionem ad memoratum annum refert, tametsi postea, re fortassis attentius spectata, scribit electum eum fuisse anno 1123.; id quod magis consonum veritati est, cum ex diplomate quodam in

ille ex Gallia Cisalpina per montem *Bardonem* primò Lucam, tum Pisis accessit, & *a Pisanis cum jucunda, & gloriosa processione nihilominus est receptus, atque tractatus*. Quod autem Pisis Volaterras concesserit praeter citatam inscriptionem ostendunt duae Callisti *Bullae* datae Volaterris anno 1120. duodecimo calendas Junias; quas recitant Annalium Camaldulensium eruditissimi Auctores *T. III. in Append. col.* 283. *& seq.*

(1) V. *chartas* apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital.*

(2) *T. VI. S. R. Ital. col.* 110.

(3) *Annali Pis. pag.* 59.

(4) *In ejus vita* apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag.* 419.

in secreto hujus Archiepiscopatus Tabulario servato (1) manifestum sit, anno communi 1124. septimo idus Augusti, Rogerium hanc Ecclesiam rexisse. Antea Volaterranum populum gubernabat, quem tamen Pisarum factus Antistes non dimisit, quemadmodum patet ex veteribus monimentis (2), in quibus Pisanus, & Volaterranus Praesul appellatur. Pisis ortus ex Upezingorum domo dicitur ab Octavio Angelo Abrahamio (3).

Lambertus *Plebanus Plebis de Ripabella* Rogerio significavit, Ecclesiam suam maximum ferre damnum, quod fideles, quibus praerat, solvere decumas, & in ea tumulo mortuos mandare ita recusabant, ut auderent etiam hac de caussa in proprium Pastorem seditionem facere, illumque saepè injuriis afficere; quare Archiepiscopus noster anno 1125. decimo octavo calendas Octobris per Ugonem Archipresbyterum eis mandavit, ut solverent decumas, & defunctos in propria Ecclesia sepelirent; *hoc enim* inquit, *& antiqua Patrum auctoritas, & Sanctorum habent decreta*. Permisit nihilominus, ut non solum dum viverent in Monasterio ducere vitam possent, sed etiam in morte sepulturam in Monachorum Templo sibi eligere, dummodò ad id agendum pellecti ab iisdem Monachis non fuissent; prius tamen *postulata, & ab eadem Ecclesia accepta licentia honore debito soluto* (4).

Anno 1126. duodecimo calendas Augusti restituta fuit Rogerio ab Honorio II. potestas exercendae jurisdictionis in Insulae Corsicae Episcopis, quam eidem abstulerat Callistus anno 1123. in Concilio, cui ille interfuit, ut alibi (5) diffusa oratione narratum est.

In

(1) *T. I. apographorum n.* 274.
(2) Ex charta scilicet anni 1128. apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. col.* 1143., & ex Auctore fragmenti Historiae Pisanae, cujus verba paullò post referemus.
(3) *Op. supra citato pag.* 173.
(4) Vide *chartam T. laud. col.* 1139.
(5) *Dissert. praevia cap.* 2.

Non secus atque decessores sui multis fundis propriam Ecclesiam ditavit, quos vel emit, vel dono a piis personis accepit, quod clarum est ex instrumentis a Muratorio in lucem editis. Anno superius citato 1126. decimoquinto calendas Julii annuentibus Pisanis Consulibus concessit Ugoni Archipresbytero, aliisque Ecclesiae S. Mariae Cathedralis Canonicis oppidum, quod *Papiana* appellatur (1); & anno 1128. decimotertio calendas Septembris reddidit Guidoni *Priori* Asceterii S. Mariae *de Morrona* quaedam praedia posita *in Rialto*, *&* *in Riparossa*, *&* *aliis locis* Volaterranae Dioecesis (2).

In hujus Pisani Tabularii monumentis nulla fit de Rogerio mentio post finem anni 1130., verumtamen haud ambigo, quin ad annum usque sequentem spiritum duxerit, cum hoc aperte tradat Auctor fragmenti Historiae Pisanae ad an. 1132. more Pisano, scribens: *Roggerius Venerab. Pisanorum Archiepiscopus, & Vulterrensis Ecclesiae Praesul obiit* (3). De loco, in quo Antistes noster sepultus est, haec habet Abrahamius, quae unde hauserit, prorsus ignoro: *Tumulatus est propè Basilicae nostrae Tribunam exterius, quo loci Rogerius adhuc vivens humile sibi sepulcrum paravit, hac item humili inscriptione illius jussu exornandum:*

Hic jacet Rogerius Upetingus jam Pisanus Canonicus,
nec non Episcopus VVlterranensis
Ac postmodum hujus S. Marie Majoris Pisane Ecclesie humilis, indignus, ac peccator Archiepiscopus
Nunc verò pulvis, umbra, nihil.
Quisquis ades anime queso pacem deprecator.

(1) Tabulae sunt apud Ughellium.
(2) Tabulae sunt *T. III. Antiq. Ital.*
(3) *T. VI. S. R. Ital. col.* 110.

XXXII. UBERTUS RUBEUS LANFRANCHIUS.

De Uberti patria Historici inter sese non conveniunt. Etenim Sigonius (1) affirmat, eum fuisse Bononiensem; Ciaconius (2), & Ughellius Pisanum dicunt. His ego assentior, quoniam video, plures fundos in agro Pisano possedisse, quos anno 1126. tertio nonas Octobris huius Ecclesiae Canonicis, in quorum numero & ipse erat, elargitus est (3). Quamquam Sigonius Ubertum ex familia *Ratta* natum asserat, ego tamen Ughellium secutus eum dixi ex gente Rubeorum, quae Lanfranchiorum familiam cognatione attingebat. Ex Canonico Pisano in Sanctae Romanae Ecclesiae Senatum relatus est. Putant nonnulli id factum a Callisto II., sed Pandulphus Pisanus (4) inter Cardinales ab eodem Pontifice creatos Ubertum non modo non recenset, verum praeterea scribit, titulum S. Clementis ab Uberto nostro ut primum in Presbyterum Cardinalem electus est, obtentum, concessum a Callisto fuisse cuidam *Roberto*, quem postmodum tenuit *Anastasius* saltem ad annum usque 1125., quemadmodum liquet ex litteris (5) Honorii II. ad Gualterium Archiepiscopum Ravennatem. Ughellius, & Oldoinus (6) existimant, Cardinalem factum fuisse ab Honorio laudato anno 1127. Meo judicio rem illi attingunt, qui cum Sigonio (7) autumant, Ubertum tanta dignitate decoratum anno 1125. mense Decembri, quo ut Oldonius ipse (8) narrat, Honorius primo Cardinales fecit, & quantum coniicere licet,

cet,

(1) *Historia Bononiensi lib. 3. col. 114. T. III. opp. edit. 1733.*
(2) *T. I. vit. RR. PP., & Cardinalium.*
(3) Instrumentum est apud Ughellium, ac Troncium.
(4) *Loco ante cit.*
(5) Apud Ughellium *T. II. num. 72. col. 366.*
(6) *T. I. in additionibus ad Ciaconium col. 963. n. 4.*
(7) *Loco indic.*
(8) *Op. cit. col. 960.*

cet, mortuus tum erat Anastasius. Certe Ubertus Presbyterum Cardinalem semet appellat & in instrumento, quo ipse varios fundos Canonicis Pisanis concessit, & in Honorii diplomate (1) ad Rogerium Archiepiscopum Pisanum; quorum utrumque datum est anno 1126., diversis tamen diebus, alterum scilicet 3. nonas Octobris, alterum 12. calendas Augusti.

Peculiaris est Mittarelii, & Costadonii sententia, qui animadvertentes, titulum S. Clementis quo tempore Ubertus creatus Cardinalis a quibusdam falso asseritur, alium tenuisse; & in multis Tabulis Ubertum ipsum solummodo Archiepiscopum Pisanum vocari, Cardinalis dignitatem eidem abrogarunt (2); ita vero scribunt ad annum 1135. „ Cum in praecepto Innocentii II. pro Mo-„ nasterio Sextensi, quod retulimus anno antecedenti, „ & in mox relato Morronensi contractu Ubertus sola „ dignitate Archiepiscopatus Pisani decoretur, neque in-„ super Cardinalitio honore auctus efferatur, jam fit ex-„ ploratum eos errare, qui ipsum S. R. E. Cardinalem „ fuisse affirmant Presbyterum tituli Sancti Clementis, „ praesertim cum titulus ab altero obtineretur eo tem-„ pore, quo ipsum obtinuisse dicitur Ubertus „. Miror sane viros ceteroquin eruditissimos tam vehementer (absit verbo invidia) hallucinatos esse in re clarissima. Si hoc pacto argumentari liceat, non video, cur pari facilitate non affirment, neque Balduinum Uberti successorem Cardinalem fuisse, siquidem in multis Tabulis, quas Ughellius, Muratorius, Troncius, & Grandius exhibent, ac in pluribus aliis, quae sunt in hoc secreto Archiepiscopatus Tabulario, Cardinalis minime vocatur. At enim, inquient, Balduinum eo honore fulsisse ex aliis apparet monumentis. Libenter fateor: sed & alia monumenta nos certiores faciunt, Ubertum in S. R. E. Sena-

(1) Est *in Append. monument.*

(2) *T. III. Annal. Camald. lib.* 27. *ad ann.* 1135. *num.* 41. *pag.* 242.

modo simplicem Episcopalem, sed Metropolitanam etiam, & Apostolicae Sedis Legati dignitatem complectebatur.

Ubertus noster ab Honorio, a quo Presbyterum Cardinalem factum ante narravimus, missus quoque est Apostolicae Sedis Legatus in Hispaniam, ubi Concilium habuit, cui praeter Didacum Gelmirum Compostellanum Antistitem, aliosque Hispanienses Episcopos, adfuit Alphonsus Castellae Rex (1). Ab Innocentio II. huius Ecclesiae Praesul institutus est non quidem anno 1136., quemadmodum scribit Dempsterus, sed quadriennio ante, ut colligitur ex duobus instrumentis, quorum alterum servatur in Pisano Tabulario (2), alterum laudat Paullus Troncius (3). Arbitror autem id accidisse sub anni citati 1132. finem; Innocentius enim testatur, se propriis manibus consecrasse Ubertum, quem diligebat, & familiariter utebatur: *Pisanorum Ecclesia*, ita Summus Pontifex Ubertum ipsum alloquitur in litteris, quibus ann. 1137. eidem nonnulla privilegia concessit, & possessiones, quas habebat, ipsi ratas fecit, *specialis Sanctae Romanae Ecclesiae filia a longis retro temporibus ad serviendum Beato Petro, & Romanis Pontificibus prompta extitit, & devota, quod & ipsum in persona nostra manifestis indiciis comprobavimus, & prae ceteris intercessoribus nostris ingruente necessitate Ecclesiae devotionem Cleri, & populi Pisanae Civitatis certis rerum sensimus argumentis. Accedit ad hoc tua familiaritas, & dilectio, Venerabilis frater Uberte Archiepiscope, quem ob specialem praerogativam ad regimen Ecclesiae Beatae Mariae semper Virginis, cui Deo auctore praesides de gremio Sedis Apostolicae ex magna benignitate concessimus, & propriis tanquam Beati Petri manibus Archiepiscopalis dignitatis infula decoravimus.* Licet Innocentius

(1) V. Oldoinus *loco cit.*
(2) *T. I. apographorum num.* 288.
(3) *Annali Pisani ad ann.* 1132. *pag.* 67.

tius non explicet, qua in Urbe sacro chrismate Ubertum inunxerit, vix tamen dubito, quin id Pisis fecerit. At Summus Pontifex nonis mensis Novembris anni 1132. Placentiae adhuc versabatur (1); indeque Pisas rediit, ubi moram trahens conciliata prius Genuenses inter, & Pisanos pace sancivit, ut horum Antistes in tres tantum Corsicae Episcopos Metropolitani jura exerceret, Aleriensem scilicet, Adiacensem, & Sagonensem, ceteris Praesulis Genuensis, quem ad Archiepiscopi honorem extulit, jurisdictioni concessis (2). Anno 1134. Innocentius tertio *Pisas revertitur, ibique aggregatis totius occidentis Episcopis, aliisque religiosis viris magnae gloriae Synodus celebratur* (3), de qua suo tempore agam diligenter. Eodem anno Ubertus noster, Hugo Vicecomes, & Petrus Albizonis *praesente, & jubente domno Papa Innocentio coram multitudine Episcoporum, Cardinalium, Clericorum, ac nobilium virorum, Pisanorum, Januensium, & Pistoriensium Consulum, & aliorum plurimorum illustrium virorum* pacem firmavit inter *Crescentium* Volaterranum Episcopum, & *Genam* uxorem Ugolini (4). Anno sequenti idem ipse Ubertus in Sardiniam profectus in loco *Ardera* vocato, qui a Civitate Turritana distabat quindecim passuum millibus, Concilium habuit Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, & Clericorum totius Insulae, in quo decrevit, Ecclesias S. Georgii *de Barai*, & S. Mariae *de Gennor*, quas Petrus Antistes Turritanus Monachis Casinensibus dono dederat, ad eosdem Monachos spectare, quamquam *sine assensu Clericorum S. Gavini, & absque consilio Episcoporum latenter obtulerat*. Constant haec verò ex monumento ab E-
ras-

(1) Vide Pagium *in Crit. Bar. ad hunc ann. n.* 3.
(2) Confer *Dissert. praeviam cap.* 2.
(3) Ernaldus Abbas Bonaevallis *in Vita S. Bernardi l.* 2. *cap.* 2. apud Bollandianos *T. IV. Augusti ad diem* 20. *pag.* 280.
(4) Consule Instrumenta apud clariss. P. Zachariam *Vol. I. excursuum Litterar. per Italiam cap. ult. pag.* 365.

rasmo Gattula (1), & clarissimo Mansio (2) vulgato, quod incipit: *Ego Ubertus Sanctae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus Romanae Sedis Legatus in perpetuum*.

Memoratur Ubertus in quibusdam etiam tabulis in hoc Archiepiscopali Archivo servatis, & a Muratorio publici juris factis, ex quibus apparet ann. 1135. Gerardum Abbatem Monasterii S. Mariae *de Morrona* ei concessisse duo Castella, & Ubertum Abbatem Monasterii S. Justiniani *de Falesia* partes duas *de Castello, & Rocha, quae dicitur Plumbinum*. Anno 1137. tertio nonas Martii adhuc in vivis erat (3), sed paullò post e vita migravit.

XXIII.

(1) *Historia Abbatiae Casinensis par. 1. saec. 7. pag. 353.*

(2) *T. II. Supplement. ad Concilia Veneto-Labb. col. 425.*

(3) Vide *litteras Innocentii antea citatas*. Hae litterae, seu diploma, quod post Ughellium edidit Carolus Cocquelines *T. II. Bullarii Romani n. 25. pag. 221.* dicitur *datum apud Campilium . . . . . 3. nonas Martii Indict. XV. Incarnationis Dominicae MCXXXIII. Pontificatus verò D. Innocentii Papae II. anno IX.* Quandoquidem annus 1133. cum anno 9. Innocentii non concurrit, idem ipse Cocquelines arbitratur, quod citatum diploma *nisi supposititium omnino sit, suspicione non caret*. Quod si alicui placeat veluti sincerum idem diploma tueri, existimat Cocquelines, notas chronologicas sic emendari posse: *datum &c. 3. nonas Martii Indict. I. &c. vel datum &c. 3. nonas Martii Indict. XII. Incarnat. Dom. anno 1134. Pontificatus verò D. Innocentii Papae II. anno V.* Mea tamen sententia error latet in annis Incarnationis Domini, & pro nota numerali V. indiligens Amanuensis, vel Typographus posuit notam numeralem I., ideoque rescribendum est MCXXXVII; qui annus concurrit cum anno 9. Innocentii a decima sexta Februarii die inchoato, & Indictione 15. notatur. Teste Falcone Beneventano *in Chronico T. V. S. R. Ital. pag. 120.* „ anno 1137., & anno octavo Pontificatus domini Innocentii mense Martio XV. Indictionis praefatus Apostolicus Innocentius, qui tunc Pisis „ morabatur, consilio communicato de Civitate Pisana exivit, & apud „ Civitatem Bitervam advenit. „ Non dubito, quin Innocentius iter fecerit per viam maritimam, per quam anno item 1133. ex hac Urbe Viterbium petiisse litteris consignavit Cardinalis de Aragonia *in vita Innocentii* apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag. 435.* dicens: *Rex* (Lotharius) *per stratam publicam, & Pontifex per maritimam usque Viterbium processerunt*. At non procul ab hac via est Campilium oppidulum ab Urbe Pisis quinquaginta, a mare quinque milliariis distans, ubi citatum diploma datum dicitur die 5. Martii.

XXXIII. BALDUINUS.

In Uberti locum ſtatim ſuffectus eſt Balduinus (1) non quidem Gallus natione, ut poſt Panvinium, & alios putat Oldoinus (2), ſed patria Piſanus, quemadmodum aſſerunt magnus Baronius (3), Pagius (4), Oldoinus (5), & Manrique (6) auctoritate innixi tum Ernaldi Abbatis Bonaevallis ajentis: *in Tuſcia Piſis natalis ſoli gloria, & magnum Eccleſiae lumen Balduinus effulſit* (7); tum vetuſti Auctoris Operis inſcripti: *exordium magnum Ordinis Ciſtercienſis*, qui ita ſcribit „ inter coeleſtis gratiae pinguedine pul- „ lulantes propagines, quas vinea Domini Sabaoth, Ec- „ cleſia ſcilicet Clarevallis emiſit, ut transſplantarentur „ ſuper aquas multas, ideſt ſuper diverſarum regionum „ populos Pontificali honore ſublimarentur, natalis ſoli „ ſpecialis gloria Balduinus mirabiliter emicuit, qui do- „ ctrinam Reverendiſſimi Patris Bernardi ſecutus ſprevit „ univerſi mundi pompas, & voluptates, ipſique mundo „ moriens in Claravalle vivere coepit, & veras volunta- „ riae paupertatis divitias fallacibus auri divitiarum irrita- „ mentis ſe praetuliſſe gloriabatur (8). „ Haec autem verba aperte oſtendunt, laudatum Auctorem exiſtimaſſe Balduinum patria Piſanum; recenſet enim filios S. Bernardi ipſo vivente Eccleſiis per totum orbem praeſidentes, & hoc ſpeciale in Balduino agnoſcit, quod aliis in diverſa loca

(1) *In litteris Innocentii III. ad Abbatem Monaſterii S. Michaelis Verrucenſis* apud Placidum Puccinellium *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag.* 220. Archiepiſcopus noſter *Baldus Balduinus* dicitur; a Petro Cardoſio verò *de Balduinis* cognominatur.

(2) *T. I. Vit. RR. PP. pag.* 982.

(3) *Annal. Eccleſ. ad ann.* 1137. *n.* 33.

(4) *Op. cit. ad ann.* 1137. *n.* 18.

(5) *Op. indic. col.* 982.

(6) *T. I. Annal. Ciſtercienſ. ad an.* 1130. *cap.* 6. *n.* 2.

(7) *In Vita S. Bernardi cit. lib.* 2. *cap.* 6. *pag.* 292.

(8) *Lib.* 3. *cap.* 24.

loca translatis, ac veluti in alieno foro lucentibus, ipse solus natali sibi Urbi, nempe Pisis praefectus est. Ostendunt etiam luculenter, Balduinum ortum esse claro sanguine.

Inter Ordinis Cisterciensis alumnos, & S. Bernardi discipulos numeratus cum *perfectissimorum Monachorum imitator factus esset, didicissetque ab irriguo inferiori, in quo peccata planguntur, ad irriguum superius, in quo ad coelestis patriae felicitatem gemitibus inenarrabilibus suspiratur ascendere* (1); in tantam venit existimationem apud omnes, imprimisque apud Innocentium Summum Pontificem, ut is anno 1130. in Concilio Claromontano Balduinum ipsum S. R. E. Principem Cardinalem creaverit (2). Putat doctissimus Baronius (3) Cardinalem nostrum Abbatem Monasterii Reatini *Sancti Pastoris* fuisse: sed Balduinus, qui Monasterium hoc gubernavit diversus ab eo est, de quo agimus in praesentia, ut ab Ughellio, Oldoino, Pagio, Manrique, & Mabillonio (4) demonstratum est; licet *uterque Italus, uterque ex Claravalle, atque uterque Bernardi discipulus fuerit* (5); quod, inquit Pagius, in caussa exstitit, cur sempiterna memoria dignissimus Annalium Ecclesiasticorum parens Baronius unum cum altero confuderit.

Testis est Petrus Diaconus (6), Balduinum Pisanum jam Cardinalem interfuisse una cum Lothario Imperatore publicae disputationi, quam idem ipse Petrus Monasterii Casinensis nomine habuit cum Guidone, & Gerardo Cardinalibus postea Romanis Pontificibus; & ab Innocentio II. simul cum Raynaldo Abbate missum fuisse, *ut filium Petri Leonis cum suis sequacibus a Monachis Casinensibus*

(1) *Exordium magnum &c. ibidem.*
(2) Vid. Oldoinum *ibidem.*
(3) *Ibidem*
(4) Apud Bollandianos *T. IV. Augusti ad diem 21. pag. 450. & seq.*
(5) Pagius *loc. cit.*
(6) *Chronico Monasterii Casinens. lib. 4. cap. 109. T. IV. S. R. Ital. pag. 573.*

refutari, & anathematizari faceret . . . . . & Papae, & ejus successoribus obedientiam promitterent (1); idque accidisse anno 1137. scribit magnus Baronius (2)

Eodem anno (3) Uberto huius Ecclesiae Antistite defuncto statim successit Balduinus. Sanctus Bernardus huius electionem Monachis suis Claravallensibus his verbis significavit: *infirmus in arcto temporis certe cum lacrymis, & singultibus ista dictavi teste carissimo fratre nostro Balduino, qui stilo ea excepit: quem Ecclesia vocavit ad aliud officium, & ad aliam dignitatem. Orate & pro ipso tanquam unico solatio meo, & in quo spiritus meus plurimum requiescit* (4). Magnum adeptus honorem semper tenuit idem institutum, eandemque vivendi rationem, quam dum privatus Monachus erat, servaverat: *consequutus vero*, inquit Auctor *Exordii* paullo ante memorati, *amplae hujus dignitatis eminentiam tanta spiritualis sapientiae luce refulsit, tantaque auctoritate, ac spiritus libertate officium suum exercuit, & nihilominus mansuetudine, & humilitate verum se Monachum in Pontificali culmine demonstravit, ut non solum Cisterciensis Ordo, verum etiam universi fideles intra Italiam gratularentur vehementer, gratias agentes Deo, qui splendidissimam hanc columnam, & fulcimentum inconcussum Sanctae Ecclesiae suae temporibus ipsorum concessisset.*

Innocentius Summus Pontifex anno 1138. Balduino, ejusque successoribus concessit *Primatus* honorem *super Turrita-*

(1) Petrus Diaconus *lib. cit. cap.* 118. *pag.* 592.

(2) *Loco indic.*

(3) Scribit Michael de Vico *Breviario Historiae Pisanae col.* 171. apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital.* quod *anno* 1145. *Balduinus fuit electus Archiepiscopus Pisanus*. Sed vetera, certaque monumenta demonstrant hoc falsum esse. Itaque, mea sententia, verius asserit Angelus Manrique *op. cit. ad an.* 1137. *cap.* 3. *n.* 11. Balduinum anno 1137. ad Archiepiscopi honorem provectum fuisse. Idem statuere videntur doctissimi viri Mabillonius *in notis chronologicis ad epistolam S. Bernardi*, & Pagius *loco citato*, siquidem ajunt, S. Bernardum epistolam, qua Balduini in Archiepiscopum electionem Monachis Claravallensibus significavit, scripsisse anno antea indicato.

(4) *Epist.* 144. *T. I. opp. edit. Venetae Mabillon.*

ritanam Provinciam Insulae Sardiniae; Episcopatus item Galtellinensem, ac Civitatensem in eadem Insula, & Populoniensem in Tuscia, in quibus Metropoliticam jurisdictionem exercere posset; Legationemque in Insula laudata, quam decessores sui ab Urbano II. acceperant, privilegia denique cetera, quae illi antea obtinuerant, rata habuit (1). Eodem anno 14. calendas Augusti Conradus II. Imperator precibus S. Bernardi permotus multa praedia largitus eidem est, ut apparet ex tabulis, quas exhibent Troncius, & Ughellius; atque ex Anonymo Pisano (2), qui hoc ordine illa refert „ nel 1139. (more
„ Pisano) Currado II. Re de' Romani a prego di Santo
„ Bernardo donò a misser Baldovino Arcivescovo di Pi-
„ sa la corte d'Avane, Bovajo, e Monello, e lo pa-
„ dule d'Arsula, la corte di Bientina, lo prato, e 'l
„ frodo di Buti, e di Vicopisani, e di Santo Giovanni
„ alla Vena, e di Serva-lunga, lo Gonfo nuovo, e vec-
„ chio, la Bergaria di Pugnano, e la Bergaria di Val-
„ tejano, lo prato, e 'l sedio di Rosignano, e di Va-
„ da, lo padule di Notiavello, lo terzo di Stagno, le
„ prese di quelle di Casciaula, e di Ripali posto nelle
„ piagge : e confermò li patti, che erano fra l'Abbate
„ di Morrona, lo commune di Vivalto, del Castello
„ Montanine; cassoe la concessione ch'avea fatta di Li-
„ vorna alli Marchesi di Massa, e concedette uno passag-
„ gio, che si chiama ripaggio, si potesse escire per par-
„ te dell' Arcivescovo intorno a Pisa „. Consules Pisani hoc ipso anno 8. idus Novembris per suos Judices statuerunt, a Brunecto Ugonis filio restituendam esse Balduino Insulae *Planasiae* medietatem, quemadmodum ex tabulis apud Muratorium apparet.

(1) Confer *Dissertationem praeviam cap.* 2.
(2) *Chronico Pisano* apud Muratorium *T. XV. S. R. Ital. col.* 975. Consule etiam Marangonium *Croniche di Pisa T. I. S. R. Ital. col.* 367. *edit. Florent.*

Hoc ipso anno Archiepiscopus noster ab Innocentio Judex constitutus est controversiae, quam Canonici Pisani habebant cum Abbate S. Luxorii de quadam parte *Silvae*, quae *Tumulus* vocatur. Hic eandem *Silvam* ad semet spectare contendebat, quoniam Monasterium suum dono illam acceperat a Gerardo, & Daimberto hujus Ecclesiae Praesulibus, & quadraginta annorum spatio cum pace possederat. Illi e contrario sui juris esse affirmabant, siquidem obtinuerant ab Henrico IV., & Lothario II. Imperatoribus, nec non a Callisto II. Summo Pontifice, ac praeterea jam inde a quadraginta annis in ejusdem possessionem venerant. *At cum privilegium Henrici, cui Canonici plurimum* innitebantur, *pro aliqua macula suspectum* videretur Balduino, ipse adhibito consilio Episcoporum Populoniensis, Galtellinensis, ac Civitatensis, Abbatum SS. Zenonis, & Michaelis, aliorumque decrevit, ut Abbas S. Luxorii *Silvam* teneret, & Canonici hac lite desisterent (1): quibus postea mortuo Balduino, anno scilicet 1147. eadem *Silva* adiudicata est ab Hermanno Episcopo Constantiensi, & Daimberto Comite Conradi III. Imperatoris missis, *salva tamen omni ratione, & justitia Monasterii S. Ruxorii* (2).

Tabulis (3), quibus Hugo Episcopus Othanensis in Sardinia anno 1139. concessit Ecclesiae S. Salvatoris *de Eremo Camalduli* Templum S. Petri *in Olim*, post plures Sardos Antistites subscribit Balduinus his verbis: *Ego Balduinus Pisanus Archiepiscopus, & Romanus Legatus hanc cartam offersionis confirmo, & subscripsi*. Hic procul dubio per illud tempus ea in Insula morabatur, quò profectus erat ad Provinciam Turritanam visitandam, cujus *Primas* declaratus fuerat anno praecedenti, ut antea narravimus.

Anno

(1) V. Balduini tabulae apud Grandium *in Append. vet. monum. n.* 19.

(2) Tabulae apud eundem *num.* 25., & apud Camiscium *Ossequii Letterari &c. pag.* 14. *n.* 4.

(3) Ext. *T. III. Annal. Camaldul. in Append. n.* 247. *col.* 378.

Anno 1145. decimo tertio calendas Februarias locum, quemdam prope majorem Ecclesiam ad orientem positum elargitus est Rollando Canonico Pisano, ut ibi domum pro mulieribus pauperibus aedificare posset (1). Nullus dubito, quin hic sit Rollandus Bandinellius, seu Paperonus, qui, magno Baronio (2) teste, ex Canonico Pisano factus est S. R. E. Cardinalis, deinde Summus Pontifex nomine Alexandri III.

Anno citato 1145. cum Ecclesiam universam regere jam coepisset Eugenius III. *natus in oppido Pisani agri, cui Montis-magni nomen est* (3), Balduinus Apostolicae Sedis Legatus in Sardiniam iterum concessit, quo cum pervenisset, comperiissetque Arborensem Toparcham, qui non jure & aequis legibus, sed vi, & quadam animi libidine in hominibus sibi subjectis dominabatur, illum acriter reprehendit, sed cum nihil profecisset, excommunicationis telum in eundem intorsit, honoreque privavit, suffecto in ejus locum Toparcha Turritano viro religioso, & qui suo sibi merito omnes demeruerat. Id cum rescivisset S. Bernardus in haec verba scripsit (4) ad Eugenium, ,, quod

(1) Donationis chartam damus *in Append. monumentorum*.

(2) *Ad ann.* 1145. *n.* 26. Sunt nonnulli apud Ughellium *in Archiep. Pis. col.* 407., qui negare videntur Rollandum Bandinellium fuisse Canonicum Pisanum, sed temere omninò id faciunt, cum ille ad Summum Pontificatum evectus hoc apertè asserat *in litteris ad Canonicos Pisanos* apud Martinium *in Appendice ad Theatrum Bas. Pis. pag.* 150. *edit.* 1723. ,, Hospitale ,, S. Mariae, *inquit*, prope Ecclesiam Matricem vestram positum, & a ,, nobis jam constructum, vobisque item dono concessum cum adhuc nos ,, in Coenobio vestro ejusdem Ecclesiae ministerio inservientes una vobiscum canonicam vivendi disciplinam profitebamur, illud cum pertinen- ,, tiis suis, sicut ipsum rationabiliter possidetis, Apostolica auctoritate ,, confirmamus, & praesentis scripti patrocinio communimus, immemores nunquam dilectionis nostrae, qua vos benignè prosequimur. ,,

(3) Doctissimus Martenius *T. VI. Veterum Monumentorum observatione praevia ad Libellum de Miraculis Eugenii Papae III. pag.* 139. Videatur item Ughellius *in Additionibus ad Ciaconium in Eugenio T. I. col.* 1034. Per summum errorem asserit Marangonius *op. cit. col.* 370. Eugenium, antequam Romanus Pontifex crearetur, fuisse Pisanum Archiepiscopum.

(4) *Epistola* 345. *T. I. opp. col.* 244. *edit. Venetae* 1726.

„ quod Sanctae memoriae Balduinus Pisanus Archiepi- „ scopus fecit in Sardinia de excommunicatione Arvo- „ rensis Judicis, quia non nisi juste hoc virum bonum „ fecisse credimus, vestra auctoritate rectum, & incon- „ cussum manere rogamus. Porrò Turritanus Judex, quia „ bonus dicitur esse Princeps, sit vobis maximè commen- „ datus, & a vobis manuteneatur „. .

Extremum diem morte confecit Balduinus anno 1145. pridie nonas Octobris (1); dubium tamen est, utrum illius mors acciderit in Sardinia, an in itinere Pisas versus, inquit Manrique (2). Non solum in vita, sed post obitum etiam magna Sanctimoniae fama claruit; hinc a multis Scriptoribus (3), imprimisque ab Andrea Saussaio (4) inter Beatos numeratur sequenti elogio: *pio fine obiit Pisis in Tuscia religiosae memoriae Balduinus illius Sedis Archiepiscopus, & S. R. E. Cardinalis creatus ab Innocentio II. ex Monacho Claravallensi ob virtutum insignium, maximè verò doctrinae, & pietatis ornamenta, quibus auctis cum dignitatis incremento in magna opinione sanctitatis vitam laude plenam consumavit*. Non potuit nihilominus Purgatorii poenas effugere, uti revelatum est (5) paullo post ejus mortem cuidam *honestae conversationis* Sacerdoti; quoniam *contigit instante Diabolo, ut propter ipsum* (Bal-

(1) Ita Ughellius, Troncius, Orlendius, Martinius, & Grandius; sed Pater Manrique *op. cit. ad ann. 1146. cap. 2. n. 1.*, Oldoinus *op. cit. col.* 983., & Petrus Frizonius è vita migrasse putant anno 1146., quod certè falsum est, si dies emortualis Balduini fuit 6. mensis Octobris, ut inter omnes convenit; nam 4. calendas Junias anni memorati Archiepiscopus erat Villanus Balduini successor, ut patet ex litteris Eugenii ad eum missis, & a Troncio *pag.* 79. laudatis; quae cum datae sint Viterbii, scriptae dici non possunt anno 1147., quo Eugenius Viterbio jam discesserat, sed anno praecedenti, quo ea in Urbe aliquandiu moratus est. Consule Pagium *in vita Eugenii n.* 12.

(2) *Cap. cit. n. 2.*

(3) Nimirum a Chrysostomo Henriquez *in Martyrologio Cisterciensi*, ab Auctore *Kalendarii Cisterciensis*, ab Auctore *Exordii magni supra laudati*, & ab aliis, quos mitto.

(4) *Martyrologio Gallicano ad diem 6. Octobris*.

(5) Vide *Exordium magnum &c. lib. 3. cap. 24.*

(Balduinum) *inter Pisanos & Lucenses populos gravis, & periculosa guerra oriretur, quae etiam post obitum ipsius contentione partium inflammata, atque protelata per aliquot annos duravit, & vix tandem ad pacis, concordiaeque vinculum revocari potuit.* Existimat Ughellius, & post eum Oldoinus, bellum, cuius caussa Balduinus dicitur, illud extitisse, quod Pisani gesserunt, ut Castrum *Aghinolfum* a Lucensibus paullò ante occupatum, recuperarent. Certè hoc accidit, quo tempore Balduinus Archiepiscopus erat, communi Historicorum Pisanorum consensione, etsi de anno inter se non conveniant; Anonymus enim primum a clarissimo Muratorio evulgatus (1), & Marangonius (2) ajunt factum fuisse anno 1138; Troncius (3) anno 1141; Michael *de Vico* (4) anno 1143. Accedit, quod in eodem Castro dum a Lucensibus expugnatum fuit, morabatur Balduinus, qui in eo fortassis peccavit, quod captivus Cives suos ad novam pugnam excitaverit, ut ab inimicorum manibus liberaretur, quemadmodum ex voto ei cessit teste Anonymo Pisano laudato: *nel ditto anno* (1139. more Pisano) *li Lucchesi preseno Castello Aghinolfo, il quale era di Pisa, e l' Arcivescovo Ruggieri* (legatur *Balduinus*, nam *Rogerius* jam inde a pluribus annis decesserat) *che v' era dentro: e di presente li Pisani lo tolsero loro, e liberonno il ditto Arcivescovo dalle mani delli Lucchesi* (5).

XXXIV. VILLANUS CAJETANUS.

Balduino proximè successit Villanus patria Pisanus (6), quem Dempsterus, Troncius, Ughellius, Orlendius, & Mar-

(1) *T. XV. S. R. Ital. col.* 976.
(2) *Op. cit. col.* 367.
(3) *Annali Pisani pag.* 75.
(4) *Breviario Historiae Pisanae T. VI. S. R. Ital. col.* 170.
(5) *Loco cit.* Consule etiam Marangonium *ibidem*; & Anonymum Pisanum a celeberrimo Mansio publicatum *in Miscellaneis Balut. T. I. pag.* 450.
(6) *In veteri Chronico* apud Ughellium *Tom. X. col.* 119. Villanus dicitur origine Pistoriensis; errore fortassis Amanuensis, qui cum in Chronici autographo Villani patria sola littera initiali P. exprimeretur, rescripsit *Pistoriensis* pro *Pisanus*, seu *Pisensis*.

Martinius e gente *Villania* natum dicunt: Petrus Farullius (1) verò post Constantinum Cajetanum (2) ex pervetusta, nobilissimaque familia *Cajetana* Pisis adhuc superstite ortum affirmat; quibus hac in re Ughellius etiam priori mutata sententia adhaeret. Ab Eugenio III. anno 1146. quar-

(1) *Cronologia dell' antichissima, e nobilissima famiglia de' Gaetani di Pisa pag. 26.*

(2) *In notis ad vitam Gelasii II. a Pandulpho Pisano scriptam* apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag.* 372. Idem ipse Cajetanus *ibidem*, quem sequitur Oldoinus *T. I. op. alibi citati col.* 1025., & Farullius *loc. cit.*, asserit Villanum nostrum anno 1114. autumnali tempore S. R. E. Cardinalem a Lucio II. creatum fuisse tituli S. Stephani *in Monte Coelio*. Villanum quendam Presbyterum Cardinalem tituli memorati anno 1145. vixisse comperta res est, cum subscribat litteris Eugenii III. eo anno 16. calend. Junias Theobaldo Episcopo Veronensi datis, quae sunt *T. V. Ital. Sac. n.* 80. *col.* 792. Repugnat nihilominus Cajetano Ughellius duabus permotus rationibus. I. neque in veteribus monimentis, quae sunt Pisis, quaeque ipse Ughellius accepit, neque in Romanorum Pontificum litteris, in quibus de Villano fit mentio, Cardinalis hic appellatur. II. Per ea tempora, quibus Villanus vixit, titulum laudatum tenebat Gerardus Presbyter Cardinalis, ut liquet ex antiquis diplomatibus. Horum nonnulla breviter indicabo, quae mihi Italiam Sacram legenti occurrerunt. Gerardum tituli S. Stephani *in Monte Coelio* Cardinalem fuisse patet ex litteris Eugenii III. anni 1151. ad Rodulphum Episcopum Imolensem *T. II. Ital. Sacr. n.* 17. *col.* 625., ex litteris ejusdem Eugenii anni sequentis ad Bonificium Episcopum Tarvisinum *T. V. n.* 32. *col.* 522., ex litteris Hadriani IV. anni 1155. ad Henricum Patriarcham Gradensem *T. V. n.* 37. *col.* 1123., ex litteris ipsius Hadriani anni 1158. ad Canonicos Genuenses *T. IV. n.* 26. *col.* 866. In animo mihi non est judicium ferre, an Cajetanus, an Ughellius rem attigerit. Tantum dicam primam Ughellii rationem levem esse. Vide quae notavimus *in Uberto*. Secundam verò magni faciendam esse; ex eo enim quod Villani Cajetani tempore alter Presbyter Cardinalis tituli S. Stephani *in Monte Coelio* vixerit, jure optimo, quantum capio, infertur cum Ughellio, Villanum Cardinalem illum non esse, de quo inpraesentia disputatur, sed alium longe diversum, qui obiit longe antequam e vita migraverit Villanus Archiepiscopus; sub anno scilicet 1150., quo ab Eugenio III. Gerardus in Cardinalium numerum relatus dicitur. Huic secundae Ughellianae rationi majorem vim addunt litterae ejusdem Eugenii anno 1149. quarto idus Novembris ad Moysem Archiepiscopum Ravennatem scriptae *T. II. Ital. Sac. in Episcop. Placent. num.* 45. *col.* 215., in quibus Villanus Presbyter Cardinalis inter ceteros non legitur. At memoratae littere datae sunt Pisis, ubi tunc morabatur Villanus Archiepiscopus, qui si idem fuisset ac Villanus Presbyter Cardinalis iis subscribere non praetermisisset. Itaque alius fuit a Villano Archiepiscopo Villanus Cardinalis, qui anno citato vel Pisis aberat, vel potius e vita jam migraverat.

Postea-

quarto calendas Junias ei confirmata fuerunt omnia privilegia, quae alii Romani Pontifices Pisanis Praesulibus antea concesserant (1). Ab eodem munus accepit componendi controversiam iterum excitatam inter Canonicos Pisanos, & Monachos S. Luxorii, ut eruitur ex Anastasii IV. litteris (2) ad eosdem Canonicos, in quibus ita legitur: *Praeterea Sedis Apostolicae auctoritate statuimus, ut divisio* Silvae de Tumulo, *sicut a ven. fratri nostro Villano Pisano Archiepiscopo ex mandato jam d. praedecessoris nostri Papae Eugenii facta a nobis assignata esse dignoscitur futuris temporibus rata, & inconcussa permaneat, nec quisquam vobis, vel successoribus vestris invitis divisionem ipsam unquam praesumat infringere, sive occasione qualibet*

Posteaquam haec scripseram, incidi in litteras Innocentii III. anno circiter 1206. ad Ubaldum Pisanum Archiepiscopum scriptas, ex quibus aperte liquet, Villanum revera Cardinalem fuisse; en verba Innocentii *lib. 2. Decretal. tit. 26. de Praescript. cap. 17.* „ Super alio vero articulo taliter „ respondisti, quod ab eo tempore, quo fuisti assumptus ad Praesulatus officium, juramentum fidelitatis pro Sede Apostolica ab ipsis Judicibus [*Sardiniae*] recepisti, sciens, Archiepiscopum Villanum praedecessorem tuum virum magnae auctoritatis, & honestatis, qui longo tempore in Curia Romana extitit *Cardinalis* ipse quoque plenius novit „ consuetudines, & statuta, & omnes praedecessores tui, qui fuerunt viri magnae auctoritatis sic de antiqua consuetudine tenuisse pariter, & „ fecisse, cum nihil tibi, vel ipsis hactenus ab Apostolica Sede fuisset „ obiectum. „ Tametsi fatear Innocentii auctoritate permotus, Villanum nostrum Cardinalem fuisse, nullo pacto tamen persuadere mihi possum, Villanum ipsum eundem esse, qui anno 1145. subscripsit litteris Eugenii III. Hic enim dicitur Cardinalis tituli S. Stephani *in Monte Coelio*, quem titulum anno 1151. tenebat Gerardus, habuitque saltem usque ad annum 1158., ut superius notavimus. Igitur titulum illum nunquam consequutum esse Villanum Pisanum dicamus necesse est, nisi asserere velimus Cardinalem nostrum eo relicto alium sumpsisse, quod illorum temporum consuetudini repugnat teste eruditissimo Panvinio *de septem Urbis Ecclesiis in fine cap. 3.*, ubi scribit initio saeculi decimi quinti tantum, nimirum sub Alexandro V. Cardinales titulos immutare coepisse. At enim, inquiet aliquis Ughellii defensor, si Villanus noster Cardinalis fuit, cur nomen ejus inter alios Cardinales in litteris Eugenii III. Pisis anno 1149. datis non legitur? Efficior sanè ab hoc argumento

Personae mutae, truncoque simillimus Hermae.

Verumtamen cum Innocentius lucuientissimis verbis afferat Villanum nostrum Cardinalem fuisse, hac de re ne leviter quidem ambigo.

(1) Consule *Differt. praeviam cap. 2.*

(2) Quas referunt Troncius, & Ughellius.

perturbare. Anno 1148. decimo calendas Januarias *Calcisiana* uxor Alberti Corsicae Marchionis, *Vernacia*, ac *Tedora* Calcisianae filiae omnem jurisdictionem, quam *in Castello Plumbino* exercebant, Villano nostro adjudicarunt, ac praeterea pollicitae sunt nullam amplius movere litem in Pisanum Archiepiscopum, aut Abbatem Falesiensem (1), qui duas memorati Castelli partes Ubaldo Villani decessori dono dederat, ut alibi diximus.

Monachus quidam *Benedictus* fortassis appellatus in litteris ad G. Abbatem Massiliensem, quibus exponit graves difficultates, quas pro eligendo novo *Priore* Monasterii, ut arbitror, Sancti Andreae *in Kinsica* Pisis expertus est ob varias Civitatis dissensiones, sic ait: *neque enim, ut plura omittam, Pisanus Archiepiscopus illuc* (nempe in Sardiniam) *introiit, qui captus ab hostibus tenetur, cum propter timorem insidiantium sanum visum est consilium ad propria remeare coaptatis obtimis fratribus ire viam suam*. Ut primum has litteras a Martenio, & Durandio (2) publicatas legi, in eam veni opinionem, ut crederem, easdem vel ad annum circiter 1140. esse referendas, quo, ut superius narravimus, Balduinus vinctus tenebatur a Lucensibus; vel potius ad annum 1168., aut sequentes, quibus turbae plures excitatae sunt Pisis, & Villanus Archiepiscopus in exilium missus est, ut suo loco dicetur; sed cum litterae memoratae nonnisi ad Guillelmum Abbatem scribi potuerint, ut putant clarissimi Editores; qui ab anno 1147. ad annum usque 1163. Monasterium Massiliense gubernavit (3), fateor opinationem meam veritati consonam haud esse. Quocirca etsi Pisanus Archiepiscopus, qui in iisdem litteris memoratur, si temporum ratio (4) habe-

(1) Instrumentum est in Archivo Archiepiscopatus *T. I. n.* 365.
(2) *T. I. collect. veter. monument. col.* 810.
(3) V. Martenium, & Durandium *ibidem*.
(4) Clarissimi litterarum Editores eas ad annum 1150. referunt; sed hoc anno Pisani bellum haud gerebant cum Genuensibus, a quibus, quantum conjicio, Villanus noster captus est. Ad annum potius 1162. postremum Guil-

habeatur, alius dici nequeat a Villano, vix tamen, ac ne vix quidem certo scio, qua occasione, & a quibus captus ille fuerit, cum nihil patriae, nihil externae Historiae tradant.

Litigantibus inter se Haymone Episcopo Sulciensi, & Raynaldo Casinensi Abbate; Turritano Archipresbytero, ac Monasterio Sanctae Mariae *de Tergo* in Sardinia, Eugenius III. Villano praecepit, ut coram se vocato Sulciensi Pontifice illorum caussas finiret (1).

Anno 1151. idibus Octobris a Guidone Presbytero Cardinali Senis morante adjudicatum fuit Antistiti nostro praedium quoddam in loco Montis-vasi, de quo non parva lis erat inter Villanum ipsum, & Galganum Volaterranum Episcopum (2). Antiochiae Princeps Raynaldus, ejusque uxor Constantia dono dederunt anno 1154. *Ecclesiae Sanctae Mariae, & Archiepiscopo Pisanae Civitatis, Consulibus, & Senatoribus, & communi populo* locum in portu Urbis Laodicensis in Syria ad construendam ibidem domum; & aliam domum concesserunt in Civitate Antiochena (3). Parem liberalitatem erga Villanum, Pisanosque Cives ostendit anno 1157. Almericus Comes Ascalonis, qui assensu Balduini Regis Hierusalem germani fratris sui iisdem elargitus est mediam partem publicorum vectigalium, quae in Urbe Joppe exigebat, plateam unam in ipsamet Civitate, *ut in ea componant sibi domos, & faciant ibidem forum sibi*; ac locum quemdam, ubi Ecclesiam aedificare possent (4): ex quibus fit manifestum, Villanum non solum apud Italos, sed

Guillelmi Abbatis Massiliensis litteras ipsas spectare existimarem, quo bellum inter duas Respublicas iterum excitatum est, & Genuenses Bonacursium unum ex Pisanis Consulibus coeperunt, ut memoriae posterorum mandavit Folieta *lib. 2. Genuensium Historiae col. 268. T. I. par. 1. Thesauri Hist., & Antiq. Italiae.*

(1) Apud Gattulam *T. I. Hist. Abbatiae Casin. pag.* 155.

(2) Instrumentum apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. medii aevi.*

(3) Diploma exhibent Troncius, Ughellius, & Flaminius *dal Borgo.*

(4) Lege diploma apud eosdem.

apud Orientales etiam in magna existimatione fuisse.

Contendebant inter se de *Cappella*, seu Ecclesia S. Christophori de *Colignola* Abbas Monasterii S. Michaelis in *Burgo*, & *Plebanus* S. Juliae *de Caprona*, ac uterque sui juris illam esse affirmabat; sed Villanus rationibus utriusque partis auditis anno 1155. definiit; quod *Abbas Sancti Michaelis Capellanum cum in illa Ecclesia de Coloniola intromittendus est, inveniat, & eum Plebano repraesentet. Plebanus vero si eum canonice recusare non poterit Parochiae curam cum Abbatis consilio illi Sacerdoti committat, & Sacerdos ipse de temporalibus ad Monasterium specialiter pertinentibus respondeat Abbati; Plebano vero de spiritualibus respondeat* (1). Hanc tamen Ecclesiam Ubertus praefati Monasterii Abbas triennio post decimo calendas Aprilis donavit Villano nostro (2), qui eodem anno undecimo calendas Februarias pluribus Castellis, aliisque bonis ditatus fuerat a Guidone Abbate Monasterii Sanctae Mariae *de Serena* (3).

Scribunt Paullus Troncius (4), atque Camiscius (5), quibus praeivit Marangonius (6), ad Guelphonem Spoleti Ducem, Tusciaeque Marchionem, qui in Castellum olim celebre *Sancti Genesii* non longe ab oppido *Miniatensi* anno 1160. venerat, Legatos ivisse Villanum Archiepiscopum, Lambertum Grassum, Bolsonem Casapierium, & Henricum Friderichium Pisanos Consules; at non video, quonam pacto narratio de Villani Legatione cum iis conciliari possit, quae Troncius laudatus refert alio loco (7) his verbis: *l'Arcivescovo Villano uomo di singolar bontà, che due anni continui era stato grandemente infermo*

(1) Vide tabulas apud Grandium *de Pandectis in Append. n.* 28.
(2) Apud Muratorium *T. cit.*
(3) Apud eundem *ibidem*.
(4) *Annali Pisani pag.* 95.
(5) *Ossequj Letterarii in vita Guelphonis* 6. *n.* 27. *pag.* 10.
(6) *Op. cit. col.* 378.
(7) *Pag.* 106.

mo nè poteva moversi di letto, *nel dì* [decima septima Junii anni 1161.] *che passò S. Raniero di questa vita*, *restò affatto libero*. In Actis eiusdem Sancti apud Bollandianos (1) non legitur quidem, Villanum duobus annis graviter aegrotasse, verumtamen cum in iis narretur, quod ille qua die corpus Sanctissimi Confessoris tumulatum fuit, *ad celebrandam Missam venit*, *quam nec prius per multum cantaverat*, *nec postea per longum tempus cantavit suae caussa infirmitatis*; relinquitur semper locus si minus reiiciendi, saltem vehementer dubitandi de Archiepiscopi ad Guelphonem Legatione, quae ex recentibus, non ex antiquis monumentis nobis affulget.

Cum Alexander III. qui Romae propter schismaticorum seditiones quietam vitam transigere nequibat, anno 1161. decrevisset in Galliam proficisci, atque idcirco, ut navigationi sese committeret, Terracinam adiisset, Pisana Respublica eo misit Villanum instructa, ornataque navi, in quam idem ipse Villanus, & Alexander conscendentes venerunt primo Plumbinum, quo in oppido Archiepiscopus summis honoribus affecit Pontificem; tum accesserunt ad Vada, deinde Liburnum appulerunt (2). Alexandrum per aliquot dies ibidem constitisse existimat Paullus Troncius (3). Sed Marangonius (4), & Arrostius (5) ajunt, Pisanos Consules recusasse Pontificem ingredi Liburnum propter Fridericum Imperatorem, in cujus odium se ob id incursuros esse sciebant; quamobrem ad portum Veneris concessisse una cum Villano, qui usque in Galliam eum prosequutus est, quo sub initium mensis Aprilis 1162. pervenit. Ad ambigendum de hoc Villani itinere adducere quemquam fortassis possent verba ex Actis S. Raynerii

(1) *T. III. Junii ad diem 17. cap. 12. Act. pag. 453.*
(2) Consule Marangonium *col.* 383.
(3) *Pag.* 106.
(4) *Ibidem*.
(5) *Croniche di Pisa MSS. lib. 1. fol.* 28. Servantur in Tabulario publico hujus Civitatis, quod communiter dicitur *la Cancelleria de' Signori Priori*.

nerii excerpta, paulloque ante recitata; sed ego nullus dubito, quin Villanus ipse Terracinam adierit, cum id aperte tradat Auctor synchronus Romualdus Salernitanus [1] dicens: *interea Alexander Papa quum apud Anagniam, & Terracinam fuisset aliquanto tempore demoratus suggestione Villani Archiepiscopi, qui ad eum cum una Galea venerat, acceptis etiam Galeis Regiis cum Cardinalibus Januam venit*. An vero Archiepiscopus noster in Galliam Alexandrum deduxerit, sola Marangonii auctoritate innixus affirmare certo non ausim. Illud observo, quod si Villanus una cum Alexandro in eam petiit regionem, brevi ibidem moratus est; nam idem ipse Alexander eos Antistites referens, qui sententiae apud Montempessulanum mense Majo in Octavianum, seu Victorem IV. Pseudopontificem latae adfuerunt, Pisanum Archiepiscopum haud nominat [2].

Anno 1163. Villanus jussu Alexandri litem composuit inter Bonitum Pontificem Calaritanum, qui nonnullas possessiones ad S. Saturnini Monasterium in Sardinia spectantes injuste tenebat, & ejusdem Monasterii Monachos; quibus possessiones a Villano assertae sunt, ac simul jussum, ut Praesulis Calaritani essent observantiores. Ubi datum sit hujus decisionis instrumentum, quod clarissimi Martenius, & Durandius [3] laudant, me latet, siquidem illud non vidi, sed cum ei subscribant plures Episcopi Sardi, & Constantinus Judex Calaritanus, arbitror in Sardinia datum fuisse; ex quo liquet, Pisanum Antistitem tunc ea in Insula versatum fuisse.

Quo tempore Alexander in Gallia morabatur Octaviano Lucae defuncto anno 1164. duodecimo calendas Majas, statim in ejus locum suffectus est a Cardinalibus schismaticis Guido Episcopus Cremensis nomine Paschalis III.. Pi-

(1) *In Chronico T. VII. S. R. Ital. col.* 203.
(2) V. Alexandri epistolam *in Appendice* 3. *n*. 5. *T. XIII. Concilior. col.* 232.
(3) *T. I. Veterum Monumentorum col.* 653.

Pisani, qui stare in omnibus a Friderico Imperatore, cujus mandato Guido in Pseudo pontificem electus fuerat, promiserant, rejecto Alexandro, Guidonem ipsum ceu verum Christi Vicarium non sine clari sui nominis ignominia habuerunt; hinc cum anno circiter 1167. postrema die mensis Novembris [1] Christianus Archiepiscopus Moguntinus Imperatoris Cancellarius, & Paschalis Pisas venissent, Villanus, qui obtemperare ei noluit, propria Sede deturbatus in exilium pulsus est [2]; annoque sequenti in eandem Sedem intrusus fuit *Benincasa de Benincasis* Canonicus Pisanus, & feria secunda post *Pascha* Archiepiscopus consecratus ab eodem Paschali, non autem a Victore, ut perperam scribit Ughellius. Narrat haec omnia Michael *de Vico* [3], cujus verba recitare operae pretium puto „Consules juraverunt Papam Paschalem pro
„ catholico tenere, & ei tanquam catholico obedire, &
„ Clericos Pisanos jurare facere promiserunt. Similiter
„ & Archiepiscopum Villanum, qui nullo modo ei obe-
„ dire voluit, promiserunt non recipere, nisi ipsi Papae
„ obediret, nec Rolando, qui Papa Alexander diceba-
„ tur, obedire, & alium Archiepiscopum in Pisana Se-
„ de eligere, ipsumque consecrandum ipsi Papae Pa-
„ schali praesentare tactis Evangeliis promiserunt. Postea
„ quidem 8. calendas Aprilis Pisani volentes obedire
„ praeceptis praedictorum Imperatoris, & Papae Paschalis

(1) Michael de Vico *Breviario Hist. Pisanae col.* 176., & Marangonius *col.* 309. arbitrantur Christianum, & Paschalem Pisis venisse anno 1165., quibus ego repugno, cum ex iis, quae *in vita Alexandri III. n.* 59. *& seq.* narrat Pagius veterum Historicorum auctoritate innixus colligatur, ante annum 1167. circiter ad hanc Urbem non accessisse.

(2) Ughellius, quem alii etiam sequuntur, ait, Villanum voluntario exilio Pisas deseruisse, sed ejectum reipsa fuisse non modo Obertus Cancellarius, cuius verba paullò post recitabo, & Marangonius *col.* 400. asserunt, sed liquet etiam ex tabulis in hoc Archiepiscopali Tabulario servatis *T. II. n.* 439., in quibus haec leguntur: *in brevi enim Consulum continetur omnes sententias contumaciae a tempore expulsionis Domini Villani Archiepiscopi, quae contra Archiepiscopatum datae fuerint.*

(3) *Op. cit. ad ann.* 1168. *col.* 179.

„ lis Benencasam Canonicum Sanctae Mariae majoris Pi- „ sanae in Archiepiscopum elegerunt, cui ipse Papa Sab- „ bato Santo Sacerdotium dedit, & die Lunae Pasquae „ honorifice cum suis Cardinalibus in Archiepiscopum „ consecravit „ Hoc factum est Lucae, ubi tunc versabatur Guido, qui Benincasae plura indulsit privilegia, ac inter cetera jurisdictioni eius Episcopum Lunensem [1] subiecit. In Urbe Luca mansit Benincasa usque ad finem mensis Maii, ut ex Michaele *de Vico* ante laudato erudimur, ita scribente: *& sic Pisas cum Consulibus, qui cum eo iverant, reversus est* [Benincasa] *decimo calendas Junii;* quo cum pervenisset illius respectu *si fecero molte Feste da quei, che già avevano perso il cervello affascinati dall'empio Federigo, che buon per Pisa, che mai gl'avesse aderito*, inquit Paullus Troncius [2]. Non omnes tamen Pisani Cives Paschali adhaerebant; Ughellius enim omnium primus quatuor Alexandri III. litteras [3] evulgavit, quibus Pontifex gratias agit Canonicis Pisanis, quod omni studio extinguere schisma, Villanum ab exilio revocare, & Pseudoarchiepiscopum, quem idem Alexander *Malincasam* vocat, expellere curarent; ex iisdem litteris patet etiam nonnullos ex Clero, immo ex Canonicis ipsis favisse dissentionibus.

Illud obiter hoc in loco animadvertendum est, plerosque omnes Canonicos, & alios etiam, de quorum statu non satis constat, Alexandri, & Villani partes sectatos esse non solum, ut vult Ughellius, ob amorem, quem in Alexandrum ipsum conceperant, dum hic inter eos Ecclesiasticis muneribus fungeretur, sed maxime, nisi me fallo,

(1) Ita Troncius *ad ann.* 1167. *pag.* 121. & Arrostius *lib.* 1. *fol.* 43. Marangonius verò *col.* 415. scribit, Lucensem, non Lunensem Episcopum jurisdictioni ejus subiecisse. At non dubito, quin error sit Amanuensis illius, qui codicem in pluribus sanè vitiatum exscripsit, quo usus est Florentinus Editor.

(2) *Loco cit.*

(3) Quarum nonnullas dabimus *in Append. monumentorum*.

fallo, ob inopinatos eventus, & calamitates, quas Pisani passi sunt anno 1168., quasque ex iis plures naturae vi accidere non posse existimabant, sed monita esse Divina credebant, ut decepti Cives se ad frugem bonam, ut dicitur, reciperent (1). A mensis Septembris medietate usque ad pridie idus Novembris pluviae adeo copiosae fuerunt, ut flumen Arnum dejectis, vel superatis ripis novies undis obruerit totam Pisanam planitiem, multaque aedificia prostraverit. Successit pluviis sceleratum, & immodicum frigus, quo Januario mense *tam fortissime fuit glaciatus Arnus, quod per 12. dies super glaciem a Carraria Gondulae usque ad Sanctum Masseum mulieres, equi, equites, currus, & boves secure transibant, & commeabant: & quando diglaciari incoepit, fuit Pisis ubique auditus tonitruus fortis, & tremendus maximo cum mugitu* (2).

Haec omnia tamen nullum incussere metum Benincasae, qui dignitatem contra jus, & fas obtentam non dimisit, sed eam tenuit usque ad annum 1170., ut liquet ex instrumento, quo ipse nonis Maji praedium quoddam in emphyteusim dedit *Guntulino filio quondam Bulgarelli*, quodque sic incipit: *manifestus sum ego Benencasa Dei gratia Pisanae Ecclesiae humilis Archiepiscopus* (3). Me latet, utrum intrusus hic Antistes, quem arbitror alium non esse ab illo Benincasa Canonico item Pisano, cui, ut legitur in Actis (4) S. Raynerii, a juvene quodam narratum fuit insigne miraculum a Deo ejusdem Sancti intercessione patratum, anno 1170. e vita migraverit, an alia de caussa dignitati iniustè acquisitae nuncium remiserit. Fortassis tamen id verum est, quod scribit Abrahamius (5), nimirum Benincasam ipsum conatu praesertim Canonicorum Pisanorum e Sede dejectum fuisse. Certè quidem ex

(1) V. Breviarium Historiae Pisanae *col.* 181., ac Troncium *ibidem*.
(2) Breviarium citatum *loco indic.*
(3) Est in *Appendice monument.*
(4) Cap. 8. pag. 445. apud Bollandianos.
(5) *Op. MS. alibi cit. pag.* 233.

litteris Alexandri III. Romani Pontificis ad eosdem Canonicos liquet illos obnixè operam dedisse schismati extinguendo. Putat Dempsterus, Benincasam in Cathedra Pisana sedisse usque ad Innocentii III. aetatem, ad eumque missas fuisse litteras illas, quas ab Urbano III., & Innocentio laudato scriptas legimus ad Archiepiscopum Pisanum. Sed haec somnia sunt Dempstero familiaria.

Itaque Benincasa dimisso ad Villanum redeamus. Exul, atque extorris ab solo patrio fuit tres circiter annos; expulsus enim est sub anno 1168., ut antea vidimus, & initio anni 1171. ad propriam Sedem redierat, quemadmodum constat ex tabulis nonis Martii confectis (1). Exilii tempore varia incoluisse loca non dubito; atque hinc factum esse reor, ut Auctor *Brevis Chronici Pisani* ab Ughellio primum vulgati (2), Troncius (3), & alii asserant missum fuisse in Insulam Gorgonae, Marangonius (4) in Caprariam, & Obertus Cancellarius (5) in Insulam Montis Christi. Quamvis Pisis aberat, non omisit tamen Civium suorum tranquillitati, utilitatique consulere; cum enim videret Genuenses, & Lucenses foederatos adversus Pisanos strenuè pugnare non sine horum detrimento (6), in id diligentissime incubuit una cum Genuense, & Lucense Praesulibus, ut hostium animos inter se componeret. His verbis rem totam exprimit ad annum 1168. Obertus Cancellarius antea memoratus „ Pisanae Urbis Villanus Archiepiscopus, quem „ Pisani illorum calliditate pro Imperatore de Civitate „ in Monte-Christo fugaverant, cum Abbate Insulae Gor- „ gonae advenit Januam in Ecclesia S. Laurentii Marty- „ ris super populum humiliter, & sapienter de pace „ prae-

(1) Sunt in Archivo Archiepiscopali *T. II. n.* 431.
(2) Extat *T. X. Ital. Sac. col.* 119.
(3) *Loco cit.*
(4) *Col.* 413. *& seq.*
(5) *Lib.* 2. *Annal. Genuens.* apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital. col.* 322.
(6) Consule Breviarium citatum *col.* 181., ac Troncium *ad ann.* 1168. *pag.* 122.

„ praedicans; qui poſt aliquos dies Januenſes Conſules,
„ & Hugonem Archiepiſcopum cum prece convenienti ro-
„ gavit, ut uſque Portum Veneris pro pace componenda,
„ ex qua multum ſe dicebat ſperare, irent ſecum cum
„ Piſanis loquuturi. Et facto proinde conſilio, Hugo Ar-
„ chiepiſcopus, & Eccleſiae noſtrae Obertus Praepoſi-
„ tus, & Lambertus Grillus Conſul cum pluribus ſapien-
„ tibus viris Portum Veneris adierunt, & inventis Vil-
„ lano Archiepiſcopo Piſano cum ſapientibus quibuſdam
„ multa verba invicem contraxerunt. Nam cum Archie-
„ piſcopus Piſanorum agnoſceret, quod abſque ſuis Con-
„ ſulibus id, quod dixerat, & promiſerat, explere non
„ poſſet, redivit Piſas ad ſuos Conſules in proximo ſe
„ rediturum promittens. Quo aliquantis diebus expecta-
„ to Januam noſtri redierunt . . . . . . Et abeuntibus
„ illis invenerunt Villanum Archiepiſcopum ad Portum
„ Veneris, qui a Piſis redierat, & nolentes cum eo lon-
„ gos ſermones componere, arripuerunt iter ſuum verſus
„ Lucam. Quo facto Archiepiſcopus Piſanus Miſſo, &
„ litteris inſinuavit Conſulibus, ut ſine mora Portum Ve-
„ neris adirent, quia multa ſperabat de pace trium Ci-
„ vitatum componenda, quae & poni debebat in tribus
„ Laicis perſonis quiſque de ſua Civitate, & duobus Ar-
„ chiepiſcopis, & Lucae Epiſcopo. Cuius perlectis litteris
„ iverunt ad ipſum Archiepiſcopus, & Praepoſitus noſter
„ cum pluribus ſapientibus viris, & junctis Piſanis ſimul, &
„ Lucenſibus, & Januenſibus, atque Archiepiſcopis, & Lucae
„ electo tractaverunt diù quibus modis pax poſſet componi„.
Res tamen praeter ſpem, & deſiderium accidit; nam u-
naquaeque Reſpublica pacem facere renuebat, niſi maxi-
mam ex ea utilitatem caperet.

Ad propriam Sedem reverſus Villanus cum vir pius eſſet, diligentius pietatis officiis operam dedit; anno enim 1172 pridie idus Martii quamdam Silvae *Tumuli* partem elargitus (1)

 eſt

(1) Ex tabulis, quas damus *in Append. monumentorum*.

est domui hospitali S. Leonardi, quae extra Urbem Pisanam mare versus in loco, qui nunc etiam *Stagnum* dicitur, posita erat.

Troncius (1), ut Veneti quoque Ughellii correctores animadvertunt, asserit Villanum nostrum decessisse anno 1173., quod certè falsum est, ut apparet ex instrumento (2), quo Antonius, & Rusticus Presbyteri Canonici *Plebis Calcisanae* anno 1174. septimo calendas Februarias notum faciunt, Pisanum Archiepiscopum dominum fuisse ejusdem *Plebis*, utpotè in illius praedio aedificatae. Saniori igitur consilio Ughellius, Orlendius, & Martinius e vita migrasse narrant anno modo laudato; hoc enim apertè docent Michael *de Vico* (3), & Auctor veteris Calendarii Monasterii S. Zenonis (4); qui tamen errat, dum ait, obiisse 4. nonas Augusti, siquidem ex tabulis (5), quibus Villanus confirmat *Hospitali* supra memorato omnia bona, quae ipse dono eidem dederat, erudimur, vitam perduxisse saltem usque ad finem mensis Octobris; tabulae enim laudatae scriptae sunt anno 1175. decimo calendas Novembris Indictione 8. a mense Septembri juxta Pisanorum consuetudinem mutata.

Dempsterus, Ughellius, & Gonzalez (6) existimant, Villanum nostrum esse Antistitem illum Pisanum, qui ab Alexandro III. petiit, utrum ingrediens *Monasterium invita uxore, qua ipsum repetente coactus est ad eam redire, ea mortua . . . . . . cogatur reverti ad Monasterium, an aliam possit ducere in uxorem;* cui Pontifex respondit, *quod votum non tenuit, unde ratione voti ad Monasterium non tenetur redire; ulterius verò non poterit uxorem accipere* (7). Sub

(1) *Ad annum* 1173. *pag.* 155.
(2) *In Append. monument.*
(3) *Breviario Hist. Pisanae col.* 191.
(4) Apud Ughellium *in Villano*.
(5) *In Append. monumentorum*.
(6) *Comment. in lib.* 3. *Decretal. tit.* 32. *cap.* 3. *de conversione Conlugatorum*.
(7) Alexandri litterae sunt *lib. cit. Decretalium*.

Sub hoc Archiepiscopo Anastasius IV. anno 1153., & Hadrianus IV. post triennium confirmarunt Canonicis Pisanis omnes possessiones, ac privilegia, quae ab aliis Summis Pontificibus acceperant (1). Alexander III. non paucas ad eosdem scripsit litteras (2), quarum nonnullis hortatus ipsos est ad consilium, & opem ferendam Attoni Abbati Monasterii S. Salvatoris Sextensis non procul ab oppidulo *Blentina* olim positi pro tuenda *immunitate* Ecclesiastica ejusdem Monasterii, quae schismaticorum perfidia penè obsoleverat; aliis gratias egit, quod Benincasae Pseudoarchiepiscopo adversarentur; aliis tandem quanti faceret, amaretque ipsos, & Ecclesiam Pisanam significavit dicens: *quam celebris, & quam famosa sit Ecclesia vestra, & qualiter usque ad haec tempora inter Ecclesias Italiae fulgeat nomine, nos cum multae laudis praeconio ad memoriam saepè reducimus.*

XXXV. UBALDUS LANFRANCHIUS.

Villanum excepit Ubaldus patria Pisanus ex clarissima Lanfranchiorum (3) gente; idque accidisse anno 1173. narrat Paullus Troncius (4) auctoritate innixus veterum Instrumentorum in Archiepiscopali Tabulario exstantium, quae, ut ille ait, ab eo anno incipiunt. Sed Ubaldi decessor, ut antea vidimus, vitam perduxit saltem usque ad finem anni 1174., & longe a veritate distat, primum instrumentum, in quo de Ubaldo fit mentio, datum esse anno 1173.. Mihi verisimillimum est, Ubaldum non suscepisse huius Ecclesiae regimen ante initium anni 1175.; tabulae

(1) V. litteras apud Troncium, & Ughellium.
(2) Quas exhibent Ughellius, aliique Auctores.
(3) Joannes Baptista Ubaldinius *Istoria della Casa degli Ubaldini pag. 69. edit.* 1588. asserit Ubaldum e domo *Vicecomitum*, sed e *Lanfranchiorum* familia dicitur ab Anonymo Historiae Pisanae apud Muratorium, cujus verba mox recitabo.
(4) *Ad eum annum pag.* 135.

bulae enim sententiam continentes Judicum Pisanorum in controversia inter Ubaldum nostrum, & Attonem Monasterii Sextensis Abbatem, quas vulgavit Muratorius (1), & ad annum 1174. spectare tum ipse, etsi dubitanter, tum alii (2) arbitrantur, ad annum 1177., vel sequentem referendae sunt (3).

Alexander III. anno 1176. tertio idus Aprilis Archiepiscopo nostro concessit *Primatum* super reliquam Sardiniae Insulam, Calaritanam scilicet, & Arborensem Metropolim, quam alii postea Summi Pontifices confirmarunt, ut in Dissertatione de Ecclesia Pisana diximus. Plures molestias, Ughellio teste, passus est a Friderico, quod partes Alexandri III. eidem contumaci Imperatori odiosissimi sectatus fuerit. Sed amicitiam illius sibi paullo post conciliasse videtur; nam Ubaldus ipse, & Consules Civitatis eum sub initio anni 1178. Pisas venientem cum Filio, uxoreque sua Beatrice summo honore affecerunt; illum enim praestolati sunt in Templo S. Nicolai, quò perveniens ab iis simul cum toto Clero ductus fuit ad majorem Ecclesiam (4), & inde ad Archiepiscopale Palatium, ubi hospitatus est (5). Martinius (6) Friderici diploma recitat, ex quo patet, ipsum Papiae morantem 7. idus Martii confirmasse Ubaldo quaecumque Conradus Im-

(1) *T. III. Antiq. Ital. col.* 1175. *& seq.*

(2) Auctores Annal. Camald. *T. IV. ad ann.* 1169. *lib.* 31. *pag.* 30.

(3) Apud Muratorium charta laudata scripta dicitur *anno* 1178. *Indict.* 8. 4. *calend. Octobris*. Cum ea Indictio anno memorato non respondeat, vir doctissimus existimavit, errorem in anno latere, cum lateat in Indictione; in apographo enim ejusdem chartae, quod est in hoc Archiepisc. Tabulario *T. II. n.* 444., cui autographum convenit, dicitur data anno 1178. Indictione 11. 4. calendas Octobris. Porrò autem indictio 11. anno communi, qui ibi notatur, congruit. Itaque eadem charta referenda est ad annum 1178., vel ad praecedentem, si mutata sit Indictio mense Septembri, ut Pisani ferè semper consueverant.

(4) Consule Marangonium *ad ann.* 1178. *col.* 451., ac Troncium *pag.* 142. *& seq.*

(5) Hoc apparet ex ejus diplomate pro Canonicis apud Ughellium, quod datum dicitur in eodem Palatio.

(6) *Theatro Basil. Pisanae pag.* 78. *ed.* 1705.

Imperator dono dederat Balduino Ubaldi decessori. Eodem anno 11. calendas Octobris Alexander memoratus scripsit (1) ad Ubaldum, ad alios Tusciae Episcopos, & Abbates, ut prima Dominica venientis Quadragesimae Romae essent, ubi Concilium generale habitum est, cui Ubaldus noster interfuit, illiusque Actis subscripsit (2).

In Sardiniam profectus anno circiter 1181. opem, auxiliumque tulit (3) Pisanis Consulibus in componendis litibus, quae inter ejusdem Insulae Judices versabantur; ex quo liquet, non solum res Ecclesiasticas, ad quas praesertim curandas eo concessisse Ubaldum opinari fas est, sed etiam patriae commoda illi cordi fuisse; id quod clarius, & apertius ostendit anno sequenti 14. calendas Junii ad Josephum Elmirae Bugiae Regem scribens (4), ut Pisanos, qui in Bugiensi Regno manebant, liberaliter tractaret.

Vehementer dolebat Gregorio Summo Pontifici hujus nominis VIII., quod a nostris Urbs Jerosolyma amissa fuisset; quam recuperare non posse sentiens, nisi viri Principes suppetias ferrent, Pisas Ferraria se contulit, ut pace Pisanos inter & Genuenses composita utrosque tempestate illa opibus maritimis pollentes hortaretur (5) ad clas-

(1) Ejus litterae sunt *T. I. Bullarii Rom. n. 9. pag. 46. edit.* 1727.

(2) Vide *T. XIII. Conciliorum col.* 415.

(3) Adeundi Marangonius *ad annum* 1180. *col.* 457., ac Troncius *pag.* 145.

(4) Ubaldi litteras recitat Troncius *loco cit.*

(5) Martinius *Append. ad Theatr. Bas. Pisanae pag.* 150. *& seq.* litteras Gregorii exhibet ad Canonicos Pisanos, quibus post descriptum infelicem rerum Christianarum in Syria statum, eos hortatur, ut excitare Cives suos vellent ad arma sumenda contra Saracenos; significat se in animo habuisse Pisas accedere, qua de re scripsisse se ait etiam Archiepiscopo; ac interea ipsos rogat, ut diversorium pro domesticis suis pararent: *rogamus idcirco universitatem vestram, ut locum commodum in* Coenobio *vestro pro dignioribus de nostra familia nobiscum venientibus opportunè praeparetis, & quidquid honoris, & commodi eisdem discretiò vestra impenderit, atque suppeditaverit, illud totum tanquam in nos collatum accipiemus, grataque memoria perpetuò tenere, nec unquam oblivisci spondemus.* Vereor tamen ne hae litterae genuinae sint; nam datae dicuntur Romae, ubi certè nunquam fuit Gregorius, qui Ferrariae electus ibidem mansit usque donec iter Pisas versus arripuit. Vide ejus litteras *T. XIII. Concil. col.* 664., *& seq.*, & apud Baronium *ad ann.* 1187. *n.* 13. *& seq.*

classem contra Saladinum Regem Saracenorum instruendam. Sed morbo intempestivè oppressus anno 1187. die 17. mensis Decembris *secundo mense Pontificatus sui animam Deo reddidit in hac eadem Civitate Pisana, & fuit sepultus in Cathedrali intra grandem ex candido marmore arcam iis temporibus satis pulchram in Cappella Deiparae incoronatae cum funebri pompa, qualem conveniebat mortuo Pontifici a Civitate tunc potentissima; quae arca, seu malis appellare tumba hodie spectatur ad manum dexteram majoris Ecclesiae intrantibus per portam regiam*, inquit incertus Auctor apud Papebrochium (1). Verum haec arca nunc minime superest, siquidem periit cum eadem Ecclesia multum damni ob incendium passa est, quod accidit, non quidem anno 1600., ut litteris consignavit Papebrochius memoratus, sed quinquennio ante, nocte diem 15. mensis Octobris praeeunte, quemadmodum narrat testis oculatus Raffael Roncionius (2): & modo tantum conspicitur inscriptio quaedam anno 1658. a Camillo Campilia Ecclesiae aedituo posita, quam in communem usum dedit eruditus Martinius (3).

Post biduum (4) a Gregorii morte in hac ipsa Urbe summo Sacerdotio praefectus est Paulinus Scholaris patria Romanus nomine Clementis III.; qui decessoris sui cogitata executioni mandavit; anno enim 1188. mense Majo ad

(1) *Par. 2. Propylei pag. 30. edit. Antuerp.*

(2) *Hist. Pis. MSS. lib. 3. ad ann. 1062. pag. 58.* V. item Arrostium *Croniche di Pisa MSS. fol. 241.*

(3) *Theatro Basilicae Pisanae pag. 42. edit. 1705.*

(4) Vide Pagium *ad ann.* 1188. *n.* 1. Monumentis, quibus Pagius utitur ad ostendendum contra Baronium, & alios, Clementem non anno 1188. postridiè idus Januarii, sed mense Decembri anni praecedentis electum fuisse, addi possunt litterae eiusdem Clementis datae 10. calendas Januarias anno 1187.; quae sunt *T. IV. Annal. Camaldul. in Append. num.* 95. Obiter hic animadverto, Clementem non statim electum Pisis discessisse, uti existimat Troncius *pag.* 151., sed in hac Urbe moratum esse saltem usque ad diem 16. Januarii, ut colligitur ex pluribus Clementis litteris *T. cit. Concil. col.* 667. *& seq.*, nec non *T. indic. Annal. Camaldul. in Append. num.* 96. *&* 97.

ad Pisanam, & Genuensem Respublicas duos misit Cardinales, nimirum Petrum tituli S. Ceciliae Presbyterum, & Sofredum S. Mariae *in via lata* Diaconum, qui pacem inter eas conciliarunt; quae mense Julio Lucae publicata est, ac deinde ab ipsomet Romano Pontifice mense Decembri confirmata (1). Rebus compositis Pisani Cives, Clemente imprimis hortante, classe multarum triremium comparata, cui Ubaldum nostrum praefecerunt, Palaestinam versus navigarunt anno superius citato (2) mense Septembri: *Pontifex iste*, inquit Michael de Vico, *in praefata majori Ecclesia Pisana petiit, rogavit, & exoratus est Pisanos, ut succurrerent ad recuperandam Hierusalem Sanctam; & propriis manibus dedit vexillum S. Petri* do-

(1) Clementis litteras hac de re exhibeat Troncius, & clariss. Flaminius *dal Borgo* inter Pisana diplomata.

(2) Michael de Vico *Breviario Hist. Pisanae col.* 191. Pisanam expeditionem refert ad annum 1186., sed hoc anno nondum Petri Cathedram conscenderat Clemens; quocirca verius narrat Anonymus alter Historiae Pisanae *T. XV. S. R. Ital. col.* 975., laudatam expeditionem anno 1188. factam fuisse; quod ante citatum Anonymum scripserat Sicardus Episcopus Cremonensis *in Chronico T. VII. S. R. Ital. col.* 606. dicens: *anno Domini* 1189. *Ubaldus Pisanus Archiepiscopus similiter Apostolicae Sedis Legatus, & de omni occidentali Provincia Peregrini Tyrum applicuerant*. Porrò Tyrum accesserunt Pisani octo fere menses, postquam ex patria discesserant, cum hyemem traduxerint Messanae in Sicilia. Est apud Martinium *Appendice ad Theatrum Basil. Pisanae pag.* 152. epistola Clementis III. ad Ubaldum nostrum, in qua hac habet Pontifex „ cum itaque, sicut acceptimus Dominica *Laetare* dies magnae solemnitatis apud vos est a „ tempore jam celebris expeditionis sub Godefrido fidelissimo filio nostro „ habitae; ideo praedicta die, Hubalde frater, suademus, ut omnes „ Suffraganeos Episcopos tuos, & alios Tusciae Praelatos, Abbates, „ Praepositos, Comites, Marchiones, Equites, ceterosque Nobiles, ac „ potentes dictae Provinciae viros, ac praesertim strenuos concives tuos, „ quibus litteras nostras dereximus, & in quibus nos multum confidimus „ ad Conventum in Ecclesia matrice tua peragendum convocare pro „ posse festines. „ Ex hac epistola, quae data dicitur anno 2. Pontificatus Clementis, idest post diem 19. mensis Decembris anni 1188., vel initio sequentis anni apparet, Pisanos Orientem versus navigasse longe post tempus a nobis statutum, cum ad Archiepiscopum nostrum scripta fuerit, ut Concives suos, & alios Tusciae populos ad orientalem expeditionem stimularet; sed non dubito, quin pro Pontificatus Clementis anno *secundo* rescribendum sit *primo*.

domno Ubaldo Pisano Archiepiscopo, ut esset vexillifer exercitus, & omnium Christianorum, & Legatus Apostolicae Sedis in omnes Christianos. Egressus est dictus Archiepiscopus, & populus Pisanus in exercitu navium L. medio Septembris; hiemavit in Messana Siciliae Civitate, & octavo idus Aprilis pervenit Tyrum (1), fuitque *Tyrensibus non modicum adiumentum*, teste Bernardo Guidonis (2). Mansit in Oriente Ubaldus duobus circiter annis; interfuit enim expugnationi Civitatis Ptolemaidis, quae anno 1191. accidit; ac ibidem una cum pluribus aliis Episcopis expiavit Ecclesias a Saracenis pollutas, & Altaria dedicavit, quemadmodum litteris consignavit Rogerius Hovederus (3). Pisani in patriam revertentes cum in Istriam pervenissent, bellum moverunt adversus Venetos, quibuscum iidem Pisani rixas in Oriente habuerant, ac Polam occuparunt, quam tamen postea amiserunt non sine magno eorum damno, & dedecore (4); quod in caussa fuisse reor, quamobrem Anonymus Historiae Pisanae a Muratorio editae, scripserit: *nel mille cento ottantotto M. Uberto de' Lanfranchi Arcivescovo di Pisa con settanta navi de' Pisani, e collo Imperadore Federigo andonno al passaggio della terra Santa d oltra mare, là dove lo ditto Arcivescovo di Pisa colli Pisani ne tornonno con poco onore, e prode* (5).

Quo tempore Ubaldus in Oriente fuit, cum Canonicorum Pisanorum numerus nimis diminutus esset, eorum *Capitulum* novos Canonicos elegit, quod aegre tulit Archiepisco-

(1) *Loco cit.*

(2) *In vitis RR. PP. T. III. S. R. Ital. pag.* 378. Vide etiam Sicardum *ibidem*, & Hieronymum Rubeum *Hist. Ravennat. ad ann.* 1188. *lib.* 5. *pag.* 360. *edit.* 1580.

(3) Apud Ughellium *T. V. in Episcop. Veronens. col.* 811.

(4) V. Marinum Sanutum *in vita Henrici Danduli Ducis Venet.* 35. apud Muratorium *T. XXII. S. R. I. col.* 527.

(5) *Loco citato*. Anonymus, cuius Historia Pisana servatur MS. Florentiae in Bibliotheca Magliabechiana *Classe* 25. *num.* 32. ait: *con poco onore, e utile*.

scopus noster existimans, id jurisdictioni suae, suorumque successorum praejudicium inferre, licet postea illorum electionem ratam habuerit, ut apparet ex antiquo monumento, quod utpote memorato *Capitulo* valde gloriosum in Appendice publici juris faciemus.

Post reditum ex Oriente, & ante annum 1198. in Sardiniam rursus concessit; sententiamque tulit adversus Antistitem Arborensem in controversia, quam hic habebat cum nonnullis Canonicis, & Guillelmo Massae *Marchione*, & Judice Calaritano. Sed illius sententiam Innocentius III. improbavit, ut in Sardinia Sacra (1) narravimus. Sub his temporibus anno scilicet 1197. septimo calendas Septembris flagitante Henrico VI. Imperatore pacem fecit quibusdam conditionibus decretis cum Civitate Volaterrana, cum qua per plures menses pugnaverat ob nonnullorum oppidulorum possessionem (2).

Lucius, Urbanus, & Innocentius hujus nominis III. Summi Pontifices plures litteras Ubaldo dederunt. Illorum alter anno 1185. Archiepiscopo nostro commisit, ut caussam examinaret, quae agitabatur inter Gualandum, Ugolinum nobiles viros Pisanos, & Placidum *Priorem* Camaldulensem circa electionem *Hospitaliarorum* Monasterii Pisani SS. Martini, & Frigdiani. Is autem pro Placido sententiam tulit (3). Alter anno 1186. ad eundem litteras misit, quibus praecepit, ut in quosdam Sardos Episcopos, qui graviter deliquerant, animadverteret (4). Tertius verò anno 1198. decimo tertio calendas Decembris scripsit ad ipsum, ut pecunia, quam multi Episcopi collegerant pro exercitu conflando, ac *in Terram Sanctam* mittendo non effusè, sed frugaliter erogaretur (5).

Hh 2 Cum

(1) *In Archiepiscopis Arborens. n.* 3. *pag.* 239.
(2) Tabulae *in Appendice monumentorum.*
(3) Vide *T. IV. Annal. Camaldul. ad ann.* 1186. *lib.* 34. *n.* 11.
(4) Consule *Sardiniam Sacram pag.* 287.
(5) Apud Balutium *T. I. lib.* 1. *n.* 409. *pag.* 241.

Cum a Guillelmo superius memorato fidei sacramentum de Insula Sardiniae sibi, suaeque Ecclesiae delatum recepisset, reprehensus graviter est anno 1205. ab Innocentio, qui in suis litteris plurimum ea de re se mirari ait, *cum ad Romanae Ecclesiae jus, supremumque dominium Sardiniam pertinere ipsi Episcopo* [Ubaldo] *compertum esset*, *magisque se commotum* subiungit, *quod eundem virum ab ejusmodi sacramento ut imperaret absolvere neglexisset*, *quapropter ne cunctetur amplius monet*, *minasque intentat* (1); cumque nihilominus idem ipse Ubaldus non obtemperasset, anno veniente Pontifex minacioribus litteris eidem jussit, ut mandata faceret, *vel ut saltem intra mensem vel ipse*, *vel alius procuratoris jure*, *ac nomine ab ipso missus Apostolicae Sedi se sisteret* (2).

Non dubito, quin Ubaldus multa fecerit pro Ecclesia, & populo sibi commisso, sed eorum memoriam abolevit vetustas. Mihi tantum constat, anno 1177. jussisse hominibus oppidi *Blentinae*, ita exigente Ecclesiae Pisanae utilitate, ut habitarent in determinato loco Orientem versus, eis *in feudum* dedisse quaedam bona, & ab illis fidei sacramentum accepisse (3). Anno 1199. mandasse Castri Moronae Consulibus, ne quid unquam tentarent contra honorem suum, vel Archiepiscopatus Pisani (4). Anno verò sequenti construere coepisse Campum religiosum, ac sanctum vel usque ex Hierosolymis terra Pisas transportata, de quo alio in loco agam diligentius; & post quinquennium 3. calendas Aprilis Loctario Eremitae, ejusque so-

(1) Raynaldus *T. I. continuat. Annal. Eccles. ad ann.* 1205. *n. 66.* Confer etiam Innocentii litteras ad Judicem Calaritanum *lib.* 2. *Decretal. tit.* 24. *cap.* 22., & ad Archiepiscopum Pisanum *lib. cit. tit.* 26 *cap.* 17., quas ex earum lectione constat ad Ubaldum missas fuisse, non vero ad illius successorem Loctarium, quemadmodum existimant Pithoei Fratres *pag.* 116. ut qui ajunt scriptas an. 1212., & Grandius *in notis ad monumentum* 47.
(2) Idem Raynaldus *ad ann.* 1206. *n.* 26.
(3) Instrumentum *in Append. monum.*
(4) Apud Muratorium *T. III. Antiq. Ital. &c.*

sociis elargitum esse domunculam cum nonnullis possessionibus non procul a loco, qui *Veclanum* appellatur (1). Scribit Ughellius veteris Necrologii Monasterii S. Zenonis auctoritatem secutus, Ubaldum e vita migrasse anno 1209. decimo tertio calendas Julias, sed ex dicendis paullo post manifestum fiet, anno 1208. ante die 15. Aprilis mortuum jam fuisse.

Quod attinet ad Ecclesiae Pisanae Canonicos, anno 1178. quarto calendas Februarii a Friderico I. Imperatore Pisis morante confirmationem obtinuerunt omnium privilegiorum (2); id quod consequuti etiam sunt anno 1186. ab Urbano III., & anno 1191. a Coelestino item III., & Henrico VI. Imperatore (3). Sub Alexandro III. Summo Pontifice Hugo Etherianus natione Tuscus, petente universo Clero Pisano, librum scripsit *de Anima corpore jam exuta*. Ideo vero religiosissimus hic Clerus Hugonem rogavit, ut librum illum componeret, quoniam ea aetate Pisis erant, qui de orationibus, aliisque piis operibus, quae fideles viventes pro defunctis agere solent cum Ecclesia Catholica non sentiebant: *sunt enim apud nos*, *qui ceu desperantes dicant mortuis fidelibus neque orationes*, *neque denique sacrificia conferre*, inquit laudatus Clerus in epistola ad Hugonem (4). Inter Ecclesias, quas Pisani in diversis mundi partibus habebant, unam possidebant Constantinopoli, cujus *Prior* cum auderet Confirmationem Sacram conferre pueris Patriarcha Constantinopolitano, aliisque Episcopis praesentibus; anno 1208. mense Martio ab Innocentio III. his litteris increpitus est: *ad audientiam nostram venerabili fratre nostro Patriarcha Constantinopolitano significante pervenit*, *quod eo*, *& aliis Episcopis praesentibus pueros praesumis unctione Sacri Chrismatis confirma-*

(1) V. instrumentum *in Appendice monumentorum*.
(2) Diploma exhibet Ughellius *in Ubaldo*.
(3) Diplomata apud eundem *ibidem*.
(4) Extat una cum libro citato *T. XXII. Bibliothecae Vet. Patrum pag. 1176. & seq. edit. Lugdun. 1677.*

mare; quod etsi dicas aliquando tibi fuisse ab Apostolica Sede concessum, nos tamen tibi ne illud faceres curavimus inhibere. Cum igitur hujusmodi Confirmatio puerorum ad Episcopos tantum pertinere noscatur, auctoritate tibi praesentium districtius inhibemus, ne de cetero pueros aliquatenus confirmare praesumas; alioquin sententiam, quam in te propter hoc Patriarcha praedictus rationabiliter promulgarit, ratam habebimus, & faciemus eandem auctore Domino firmiter observari (1).

XXXVI. LOTHARIUS ROSARIUS.

Lotharius, seu Lutterius cognomento *Rosarius*, vel *Rosanus* Cremonae natus est. Cum esset patriae Ecclesiae Canonicus, & Innocentii III. cubicularius secretus (2) factus est primò Vercellensis Episcopus, tum ad hanc Ecclesiam gubernandam venit. Ughellius, quem sequuntur Orlendius, Martinius, & Grandius (3), existimat, Ubaldo successisse anno 1209., sed ego anno ante in Pisanum Antistitem eum electum puto; nam Innocentius in litteris (4) datis *Potestati*, *Consiliariis*, & *Populo Pisanis* scribit in hunc modum: „ de nostra gratia reddimus vos securos, „ & ad gratiae plenioris indicium dignitates, immunitates, „ & libertates, quas Pisana Ecclesia temporibus praedecessorum venerabilis fratris nostri Lotharii Archiepiscopi „ vestri noscitur habuisse, duximus innovandas, & ut „ idem Archiepiscopus, qui eis successit in ipsius regimine, possit liberius illis uti, privilegia, confirmationes, „ & indulgentias universas eidem Ecclesiae, seu praedecessoribus dicti Archiepiscopi a praedecessoribus nostris, vel a nobis ipsis concessas ipsi, & eidem Eccle-

siae

(1) Apud Balutium *T. II. lib.* 11. *n.* 22. *pag.* 146.
(2) Vide Troncium *ad ann.* 1209. *pag.* 175., ubi hac de re laudat instrumentum quoddam sibi a Josepho Brescianio Historico Cremonensi missum.
(3) *Epistola de Pandectis pag.* 255.
(4) Apud Balutium *lib. cit. n.* 80. *pag.* 171.

„ ſiae auctoritate Apoſtolica confirmamus, dantes in man- „ datis eidem, ut L. concivem veſtrum a vinculo excom- „ municationis abſolvat, ita quod uxor, & ſocrus eius, „ ac terra nihilominus eorundem in ea, qua manent, ſen- „ tentia perſeverent, donec ab eis nobis fuerit ſatisfa- „ ctum „ : ſed hae litterae datae fuerunt anno communi 1208. quinto idus Maji, ſeu anno undecimo Innocentii a die 8. menſis Januarii, qua Summus Pontifex creatus eſt, inchoato. Quantum conjicio Lotharius menſe Martio circiter Piſanum Archiepiſcopatum obtinuit; ſiquidem ab Innocentio in litteris (1) ad eundem Lotharium anno ſuperius laudato decimo ſeptimo calendas Maii ſcriptis dicitur *electus*.

Haec cum ita ſint, apertum eſt, Piſanum Antiſtitem, qui jubente Innocentio Othonem Imperatorem poena excommnnicationis affectum denuntiavit, fuiſſe Lotharium, non Ubaldum, ut arbitrantur Volaterranus (2), Ubaldinius (3), Ughellius (4), & ante ipſos Auctor Anonymus Hiſtoriae Piſanae apud Muratorium, qui rem ita narrat: *nel mille dugento undici Otto Imperadore Duca di Saſſogna per comandamento di Papa Innocenzio III. come rebello della Chieſa iſtando in Piſa fue dinonziato iſcomunicato per l' Arciveſcovo Ubaldo, e per la ſua Chericia; unde lo detto Arciveſcovo ne fugitte, e andò alla Gorgogna, e lo ditto Imperadore li tolſe tutte le ſue rendite, e occupolli tutte le ſue Caſtella, e aſſegnoſſi tutte le ſue ragioni nel Caſtello di Raſignano* (5); Imperator enim excommunicatus fuit poſt obtentam a Summo Pontifice auream coronam, quemadmodum ex Chronico *Foſſaenovae* erudimur, ubi legitur „ Oddo coronatus Imperator veſtitus Imperialibus ve- „ ſtimentis ſacratis, mitratus, & coronatus ivit cum do- „ mi-

(1) *In Appendice monumentorum.*
(2) *Lib. 5. Geographiae fol. 42. edit. Pariſ. 1526.*
(3) *Iſtoria della Caſa degli Ubaldini pag. 70.*
(4) *In Ubaldo col. 42.*
(5) *T. XV. S. R. Ital. col. 977.*

„ mino Papa usque ad Portam Romae, & dominus Pa-
„ pa ibi eum benedixit, & licentiavit, & rogavit eum,
„ ut alio die adveniente recederet a territorio Romano,
„ quod ipse minimè fecit, sed deficiente Romano fodro,
„ & adveniente in Castris panis, & vini inopia, volens,
„ nolens recessit a Roma; & ab ipso tempore Oddo Im-
„ perator pejurando coepit habere irrita, & vana omnia
„ praecepta domini Papae, & infestare, & minuere o-
„ mnia jura Ecclesiae . . . . . unde dominus Papa coe-
„ pit eum monere per Archiepiscopum Pisanum, & alios
„ Episcopos, & Abbates, ut recederet ab iniquitate, &
„ infestatione Ecclesiae . . . . omnia vilipendens facere
„ recusavit, tandem dominus Papa eum excommunica-
„ vit (1). „ At Imperator coroneam auream accepit mense Septembri exeunte anni 1209., ut colligitur ex litteris Innocentii, & Othonis, quas inter alias *de negotio Imperii* publicavit celeberrimus Balutius (2). Porrò autem anno 1209. Ubaldus e vita migraverat, Ecclesiamque Pisanam regebat Lotharius, ut antea probatum est.

Hic anno 1210. quinto calendas Julii sententiam tulit adversus *Priorem Hospitalis* Pisani S. Sepulcri, qui *Hospitale de Osnello* sibimetipsi subiectum esse contendebat [3]; & anno sequenti mense Decembri ab Innocentio judex electus est una cum Abbatibus S. Paulli Congregationis Vallisumbrosae, & S. Michaelis *Discalceatorum* Congregationis Pulsanensis in controversia, quam F. Bernardus cum *Plebe Calciensi* habebat; statuitque, ut ille Ecclesiam construere, & fundare *Eremum* Calcense Sanctorum Jacobi, & Verani posset, de quo disputabatur [4]. Anno 1212. tertio idus Septembris versabatur in loco, qui dicitur

(1) Apud Muratorium *T. VII. S. R. Ital. col.* 889., & apud Ughellium *T. X. Ital. Sac. col.* 29.
(2) *Ad calcem T. I. n.* 187. *& seq. pag.* 762. *& seq.*
(3) Tabulas damus *in Appendice monumentorum*.
(4) Vide Annales Camaldul. *T. IV. in Append. n.* 189. *col.* 310. *& seq.*

citur *Sambuca* posito ultra montes Pistorienses Bononiam versus, quo concesserat, ut discordias inter Bononienses, & Pistorienses componeret, qui ipsum compromissarium judicem elegerant [1].

Mos erat in Ecclesia Pisana antiquissimus, ut nemo ejusdem Canonicus designaretur, *nisi prius Ecclesiis, si quas haberet in Pisana Dioecesi, resignatis, ut per hoc subtracta Canonicis evagandi materia quasi necessitate interposita residendi sedula ipsi Ecclesiae obsequia exhiberent;* nihilotamen minus anno 1212. Vitalis Canonicus factus est Ecclesiae Calciensis *Plebanus*. Lotharius scripsit hac de re ad Innocentium, cui etiam antiquam consuetudinem, & abusus, qui ex illius inobservantia oriebantur, significavit; quamobrem Summus Pontifex anno 1213. secundo nonas Januarii litteras dedit Episcopo Pistoriensi, quibus mandavit, ut si vera essent exposita a Pisano Antistite, nullam declararet Vitalis electionem in *Plebanum* [2]. Ex veteribus tabulis, quas in Appendice monumentorum ad calcem huius Tomi exhibenda publicabimus, liquet, Lotharium Summi Pontificis mentem Vitali significasse, & contendisse, ut idem Vitalis vel Canonicatu, vel Ecclesia Calciensi se abdicaret. Eodem anno 1213. octavo calendas Octobris Lotharius ipse, Joannes, & Martinus Aretinus hic, ille Florentinus Episcopus jussi sunt ab Innocentio nobilem virum Guidonem Tusciae Comitem, qui vulgò *Guido-guerra* appellabatur, hortari, ne molestias Eremo Camaldulensi inferret, eumque poena excommunicationis afficere, nisi obtemperasset [3].

Ex litteris (4) Innocentii, quibus ipse anno 1213. Concilium Lateranense IV. convocavit, manifestum est voca-

(1) Confer instrumentum apud cl. P. Zachariam *in collectione Anecdot. medii aevi clas. 3. n. 6. pag.* 132.

(2) Apud Balutium *T. II. litterarum Innocentii lib. 15. n. 198. pag.* 703.

(3) V. *Innocentii litteras in laud. Append. Annal. Camaldul. n.* 298., & apud Balutium *lib. 16. n. 114. pag.* 802.

(4) *T. XIII. Concil. col.* 911.

tum ad illud fuisse Lotharium; cui etiam anno 1215. habito interfuisse scribit Ughellius (1): sed cum in ejus Actis Episcoporum subscriptiones desiderentur, nihil certi, mea quidem sententia, statui potest. Quod verò scribit Arisius [2], nimirum Lotharium laudato Concilio adfuisse Patriarchali dignitate jam ornatum tam falsum est, quam quod maxime, ut ex paullò post dicendis manifestum fiet.

Post gubernatam plures annos hanc Ecclesiam, ad Hierosolymitanam regendam accessit: *Lotharius demum cum in Orientem illic bellantibus Christi fidelibus opem laturus cum suis Pisanis transiisset, Patriarcha Hierosolymitanus creatus est anno 1216.*, inquit Ughellius, ubi de Archiepiscopis Pisanis agit, cui adhaerent Orlendius, & Martinius: sed in Historia Pontificum Vercellensium priore mutata sententia Lotharii electionem in Patriarcham in annum 1215. retrahit. Hoc si veritati consonum est, non nisi post medietatem anni, vel potius circa illius exitum accidere potuit; nam 12. calendas Augusti Lotharius Archiepiscopus electus fuit a Summo Pontifice ad litem examinandam, quae erat *inter Presbyterum Sodum Cappellanum Ecclesiae S. Marci de Pistorio, & Presbyterum Sylvestrum Monachum, & Sindicum S. Michaelis de Furculis* [3]: octavo calendas Novembris idem ipse Lotharius cum adhuc Pisanus Antistes esset, tradidit *Hubaldo quondam Raynerii de Sancto Cassiano*, ejusque fratribus *libellario nomine* multas possessiones [4]: & Hierosolymitanus Patriarcha alius a Lothario nostro interfuit [5] Concilio Lateranensi, quod habitum est mense Novembri anni 1215.

Ego

(1) *T. IV. in Episc. Vercell. n. 65. col.* 795.
(2) *T. I. Cremonae Litteratae pag.* 100.
(3) Instrumentum apud P. Zachariam *op. cit. classe* 12. *num.* 24. *pag.* 551. *& seq.*
(4) Instrumentum in Archivo Archiepisc. *T. II. n.* 608.
(5) Confer Heroldum *in Continuat. Belli Sacri lib.* 3. *cap.* 2.

Ego tamen ut ingenuè fatear id quod sentio, arbitror Lotharium Hierosolymitanam Cathedram conscendisse anno 1216., siquidem eam conscendit, posteaquam in Orientem profectus est cum Pisanorum classe, ut Ughellius testatur. Anno enim 1215. Pisanos in Palaestinam navigasse Annales patrii silent omnino; immo Genuenses Historiae narrant (1), Pisanos cum Genuensibus bella gessisse. E contrario comperta res est, anno 1216. Innocentium III. Roma digressum esse animo Pisas veniendi ad celebres Respublicas, Pisanam scilicet, & Genuensem componendas, easque stimulandas ad bellum in Saracenos suscipiendum (2): & licet exequi cogitata nequiverit, quippe qui anno citato 16. calendas Augusti Perusii e vita migravit; Honorius tamen hujus nominis III., qui post biduum Innocentio successit, statim electus in id summoperè incubuit, ut in nostrae Religionis inimicos arma sumerent omnes viri Principes, imprimisque Pisani, & Genuenses, ad quos etiam ob eundem finem misit Legatum suum Hugolinum Cardinalem, & Episcopum Hostiensem. Non sum quidem nescius, Ogerium Panem (3), Folietam (4), & Raynaldum (5) Hugolini legationem ad Pisanos, & Genuenses revocare ad annum 1217, ad quem electio Lotharii in Patriarcham referri non potest, ut manifestum fiet ex iis, quae in fine hujus articuli dicemus. Sed mihi valde probabile est, Pisanos acceptis litteris Honorii anno 1216, quibus ad sanctum opus excitabantur, eodem anno una cum Lothario naves Orientem ver-

(1) Consule Ogerium Panem *lib. 4. Annal. Genuensium T. VI. S. R. I. col.* 409., & Folietam *Hist. Genuens. lib. 3. col.* 303. *T. I. part. 1. Thesauri Antiq., & Hist. Italiae.*

(2) Adeundi Ptolomaeus Lucensis *Hist. Eccles. lib. 21. cap. 18. col. 1128. T. XI. S. R. I.*, Bernardus Guidonis *in vita Innocentii III. pag. 486. T. III. S. R. I.*, Dluglossus *Hist. Polonica lib. 6. pag. 619. edit. 1711.*, & Sigonius *de Regno Italiae lib. 16. col. 905. T. II. opp. edit. novae.*

(3) *Loc. cit. col.* 411.

(4) *Loco indic. col.* 304.

(5) *Ad eum annum n.* 20.

ſus conſcendiſſe, quippe qui a Summo Pontifice ſecuri reddebantur, quod a Genuenſibus moleſtias nequaquam paterentur, etſi inter duas Reſpublicas pax ſacramento firmata nondum fuiſſet; quod anno tantum ſequenti factum eſt. Et ſanè eodem Ogerio (1) teſte anno 1216. Genuenſium *multi homines, & mulieres in nomine Domini ad honorem Sancti Sepulcri Cruces coeperunt*, cur igitur id etiam feciſſe Piſanos haud veriſimile putabimus? Itaque eodem anno electum etiam fuiſſe Lotharium in Patriarcham cenſendum eſt.

Chronologiae a nobis ſtatutae repugnant tum Lequienius (2), tum Albericus Abbas Trium-fontium (3), & Marinus Sanutus (4). Lequienius enim animadvertens, Innocentium III. anno 1215. decimo calend. Martii epiſtolam (5) miſiſſe ad Patriarcham Hieroſolymitanum, in qua Pontifex meminit alterius epiſtolae a ſe ſcriptae ad Albertum bonae memoriae deceſſorem ejus; exiſtimat Patriarcham illum, quem Innocentius haud nominat, eſſe Lotharium in Alberti locum anno 1214. ſuffectum. Albericus vero inquit: *Patriarcha Hieroſolymitanus poſt Simonem, & Albertum dicebatur* Galterus, *qui hoc anno* [1214] *a quodam peſſimo Chriſtiano cultello occiſus fuit: cui ſucceſſor factus eſt Magiſter Radulphus, qui erat in Sarepta Sydoniorum Epiſcopus*; & Sanutus ait: *anno* 1214. *Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus in Proceſſione mortuus eſt, cui ſucceſſit Rodulphus*. Sed Rodulphus judice Alberico citato (6) obiit anno 1225. Itaque poſt hunc annum duntaxat Lotharius Eccleſiam Hieroſolymitanam regere coepit. Verum Lotharium non niſi anno 1216., vel ſi ma-

vis

(1) *Col.* 410.
(2) *T. III. Orientis Chriſtiani col.* 1255.
(3) *In Chronico ad ann.* 1214. *pag.* 475. apud Leibnitium *T. II. S. R. Brunſvicenſium*.
(4) *Secretis Fidelium Crucis lib.* 3. *par.* 11. *cap.* 5. *pag.* 205. apud Bongarſium *T. II. Geſtorum &c.*
(5) *Appendice ad lib.* 16. *T. II. pag.* 838. *edit. Balutii*.
(6) *Ad eum annum pag.* 518.

vis exeunte anno 1215. in Patriarcham electum fuisse probant clara, & explorata monumenta superius indicata. Quocirca libenter concedo P. Lequienio anno 1214. Alberto successorem datum fuisse, sed ajo hunc extitisse Rodulphum Lotharii nostri proximum decessorem, qui anno exeunte 1215. vel ineunte sequenti, e vita migravit, quod doctissimus Papebrochius (1) etiam non obscure significat dicens: *sed nec diuturnus Rodulpho Patriarchatus fuisse potuit*. Nec aliquod negotium mihi facessit Alberici auctoritas narrantis, quod Rodulphus ad annum usque 1225. spiritum duxerit; nam Albericus in chronologia saepè turpiter errat, ut alibi (2) notavi; quod solemne ei etiam esse in Historia vel illius verba paullò ante recitata demonstrant, in quibus multa peccat. Imprimis enim peccat, dum vocat Alberti decessorem Simonem, qui Soffredus dicebatur, ut videre est apud Lequienium, & Ughellium in Vercellensium Episcoporum serie. Peccat deinde scribens, Alberto successisse Galterum (hunc Lequienius censet unum, & eundem esse ac Lotharium: quod sanè falsum est, nam Lotharius ipse in tot monumentis a me lectis nunquam Galterus vocatur); cum tamen Galterus diversus ab Alberto non sit; dicitur enim ab eodem Alberico anno 1214. gladio peremptus, quod de Alberto verum est, uti Sanutus testatur, & legitur in ejus Actis apud Bollandianos (3). Sed quantum capio, Albericus Patriarcham unum in duos divisit, deceptus ab cognomine Alberti, qui utpote natus in *Castro Gualterii* Dioecesis Parmensis, Galterus, seu Gualterus cognominabatur.

Lotharium nostrum ad annum usque 1221. Ecclesiam Hierosolymitanam rexisse placet Arisio (4), quamquam Bresciano (5) teste in Tabulario Cremonense liber exstet,

(1) *Initio T. III. mensis Maji Bollandiani pag.* 54.
(2) *Sardinia Sacra pag.* 323.
(3) *T. I. Aprilis ad diem* 8. *cap.* 4. *pag.* 774.
(4) *Loco cit.*
(5) Apud Arisium *ibidem*.

ſtet, in quo mortuus dicitur anno 1219. nonis Decembris. De anno obitus Lotharii inſignis eſt error P. Graveſonii (1), qui eum deceſſiſſe putat anno 1230.; *Lotharius*, inquit, *poſt mortem Rodulphi creatus eſt Patriarcha Hieroſolymitanus anno* 1227, *& ſedit tribus annis, ſeu uſque ad annum* 1230.. Papebrochius in Patriarcharum laudatae Eccleſiae Hiſtoria, quam ex inſtituto ſcripſit, pauciſſima de Lothario habet, ſiquidem ejus electionem narrat, praeterea nihil. Quaedam refert Bernardus Theſaurarius (2), ſed cum parvi momenti ſint, hic omittuntur.

Diſputatur ab Hiſtoricis, & Jureconſultis, utrum Lotharius, cujus hactenus meminimus, idem ſit ac Lotharius ille Juriſconſultus patria item Cremonenſis, qui Sigonio (3) judice anno 1189. Bononiae Lector factus eſt. Unum & eundem eſſe putant Odefredus (4), Panzirolus (5), Gonzalez (6), Gravina (7), & alii. Diverſum credit Ariſius (8), quem Grandius (9) imprimis ſequitur duplici fundamento innixus; alterum eſt, quod Lotharius Archiepiſcopus Jus Caeſareum non multum ſciverit; nam interrogatus an Clerico fas eſſet propriis privilegiis renuntiare, reſpondit licere (10), cum tamen in *l. jus publicum ff. de pactis*, & *l. neque pignus ff. de div. regul. jur.* diſertè legatur, privatorum pacto jus publicum tolli non poſſe, aut illi derogari: alterum verò eſt, quod Archiepiſcopus ab omni impuritatis nota alienus fuerit: Lotharius autem Juriſconſultus nimiae in mulieres licentiae

(1) *Catalogo Patriarch. Hieroſolymit. T. XII. opp. pag. 32. edit. Manſianae.*
(2) *De Acquiſitione Terrae Sanctae cap. 187., & ſeq. col. 822., & ſeq. T. VII. S. R. Ital.*
(3) *Hiſtoria Bononienſi lib. 4. col. 170. T. III. opp. edit. cit.*
(4) *In l. 3. n. 9. ff. de Juriſdictione.*
(5) *De claris Legum Interpretibus lib. 2. cap. 26. pag. 116. edit. Lipſ.*
(6) *In cap.* Si diligenti *lib. 2. Decretal. tit. 2. cap. 12.*
(7) *De ortu, & progreſſu Juris Civilis n. 152. pag. 150. edit. Venetae 1752.*
(8) *Loco cit.*
(9) *In notis ad monumentum 47. ad calcem epiſtolae de Pandectis.*
(10) Conſule *epiſtolam Innocentii lib. cit. Decretalium.*

tiae infamia laboraverit. Sed duplex hoc fundamentum levius est, quam in Grandii opinionem trahere me queat; ac primò quidem tam falsum est, quam quod maximè, Lotharium Pisanum Pontificem Jus Civile ignorasse, ut apparet tum ex verbis litterarum Innocentii (1) ad eundem; tum ex Bernardo Canonico Bononiensi auctore suppari, qui in commentario in praefatas litteras ait: *quidam Clericus Pisanus contraxit cum aliquo promittens eidem ad certum terminum solvere certam pecuniae quantitatem, alioquin posset eum convenire coram Judice saeculari, & Clericus promisit ei respondere sub illo juramento interposito. Dubitatum fuit, an posset sic renuntiare juri suo saltem in temporalibus, & Judicem laicum sibi constituere, & an juramentum teneret. Super hoc consultus fuit Archiepiscopus Pisanus, qui fuerat Doctor Legum.* Tantum verò abest, ut contrarium probet, quod Grandius opponit, ut potius demonstret, Lotharium magnam Juris Caesarei peritiam habuisse; is enim asseverans licere Clerico renuntiare *praescriptioni fori* respexit ad leges Justinianeas (2), quibus id apertè declaratur; respexit ad communem Jurisconsultorum consensionem, qui Justiniani (3) verbis innixi existimantes fori Episcopalis praescriptionem privilegium esse Clericorum, non verò *Jus probibitivum* constituere, cum antiquitus, tum post Innocentium III. in ea fue-

(1) *Asseruisti te usque ad haec tempora tenuisse, quod licitum sit Clerico renuntiare saltem in temporalibus juri suo, & sibi laicum Judicem constituere, praesertim ubi adversarii voluntas accedit; ac tenere juramentum super hoc interpositum respondisti.*

(2) Nimirum ad l. 51. c. *de Episcop., & Clericis*, quae est hujusmodi; *si quis in conscribendo instrumento sese confessus fuerit non usurum fori praescriptione propter Sacerdotii praerogativam, sancimus non licere ei adversus sua pacta venire, & contrahentes decipere, cum regula sit juris antiqui, omnes licentiam habere his, quae pro se indulta, sunt renuntiare*; & ad l. 29. *de pactis*, qua idem decernitur.

(3) *Novella* 83., ubi de praescriptione fori Episcopalis loquens ait „ petiti „ sumus a Menna Deo amabili Archiepiscopo huius felicissimae Civitatis „ [*Constantinopolitanae*,] & universalis Patriarcha reverendissimis Clericis hoc dare *privilegium* „.

fuerunt opinione ut crederent, rationem, quam Grandius in medium profert, nullius esse momenti ad ostendendum Clericos praescriptioni fori renuntiare non posse, *constituat Innocentius*, inquit celeberrimus Cujacius, *quantum volet, ne ullus Clericus se subiiciat jurisdictioni saeculari, & sit hoc ratum deinceps; at ne hoc praetextu utatur, quod pactis privatorum Juri publico detrahi non possit, quia haec ratio non congruit* (1).

Quod ait secundo loco Grandius de Lothario Jureconsulto, narrant non modò Panzirolus (2), sed etiam ex antiquis Odefredus (3) laudatus, & Cinus Sinibaldus (4): verum Arisius (5) non dubitat, quin id litteris consignatum fuerit *per invidiam . . . . . . ab aemulis coevis contra ipsum aegre ferentibus Henrici Caesaris animum erga Lotharium fuisse vehementissimè propensum*. Certè Lotharius multos aemulos habuit maximè insignem Jurisconsultum Azonem, qui removit se ab illius amicitia, quod is nimis Imperatori assentaretur (6); hinc verisimillum est, tum Azonem ipsum, tum ejus familiares Lotharium calumniis affecisse, ac posterorum memoriae mandasse. Fac tamen vera esse, quae de Lothario Jureconsulto a quibusdam scribuntur; undenam habet Grandius vera quoque non esse de Lothario Archiepiscopo, ut hunc ab illo diversum jure, meritoque asserat? Quo tempore Pisanam regebat Ecclesiam ab omni impuritatis nota liberum fuisse Lotharium libenter patior, sed hoc pro Grandio nihil est. Ut rem conficeret probandum illi esset, vel ante obtentam Archiepiscopalem dignitatem Lotharium ab ea nota immunem fuisse, quod, nisi me fallo, impossibile omninò est. Lo-

(1) Apud Stephanum Pomeranum *lib. 1. de Jurisdict. cap. 12.*
(2) *Loco cit.*
(3) *Loco indic.*
(4) *In l. 15. c. de Judiciis.*
(5) *Op. cit. ad ann. 1189. pag. 93.*
(6) V. Panzirolum *lib. cit. cap. 25. pag. 115.*, & Gravinam *op. laud. n. 151. pag. 149.*

Lothario Antistite Pisano ad Hierosolymitanam Sedem translato suffectus in ejus locum est *Aleprandinus*, seu *Alexandrinus*, uti vocatur a Troncio (1). Hic statim electus misit ad Honorium III. Pontificem Maximum Bartholomaeum Archidiaconum, Vitalem, & Gallum Canonicos ad curandum, ut ipse Honorius electionem suam ratam faceret, quemadmodum liquet ex veteri monumento ab Ughellio relato, quod incipit: *Anno Incarnationis Christi 1216. Pontificatus domini Honorii Papae III. anno I. mense Decembris die 16. Indic.* 5. Nulla deinceps de *Aleprandino* fit mentio in Pisani Tabularii chartis; hinc existimo, ejus electionem abrogatam fuisse ab Hugolino Cardinali Apostolicae Sedis in Tuscia Legato, cujus examen Honorius eidem commiserat, uti refert Odoricus Raynaldus (2) his verbis: *adjecit Pontifex Legato Cardinali discutiendae electionis Pisani Archiepiscopi provinciam, ut eam si jure celebratam reperiret, auctoritate Apostolica confirmaret; sin vero contra leges tentatam, rescinderet, Collegiumque Canonicorum, repudiata cujuscunque provocationis mora, alium designare juberet.*

XXXVII. VITALIS.

Ex qua familia natus sit Vitalis, non satis constat. Dempsterus, Ughellius, Troncius, Martinius, & Orlendius progenitum ipsum afferunt ex familia *Martiorum* Pisis olim praeclara, quam non fuisse ab ea diversam, quae nunc etiam Florentiae manet, quidam opinantur. Cajetanus (3) vero, cui Farullius (4) subscribit, arbitratur ex nobilissima *Cajetana* gente ortum duxisse. Sed hi Scriptores ejus, quam tuentur, sententiae nullam firmam, solidamque pro-

(1) *Annali Pisani pag.* 178.
(2) *Ad annum* 1217. *num.* 87.
(3) *In notis ad vitam Gelasii II. T. III. S. R. Ital. col.* 400.
(4) *Cronologia dell' antichissima, e nobilissima Famiglia de' Gaetani di Pisa pag.* 26.

bationem afferunt. Illud exploratum est, Vitalem genere, & morum probitate clarissimum fuisse; Luthetiae Parisiorum sedulam litterarum studiis operam navasse, ac ita profecisse ut Bononiae praesertim, ubi Lector fuit, magnum nomen sibi comparaverit: haec omnia patent ex sequentibus carminibus epitaphii, quod Vitalis sepulcro incidi curavit Guido ejus nepos:

Sanguine clarus erat, sed morum lampade major
Ingenuos praecessit avos de fonte Sophiae;
Parisias potavit aquas, quas prodigus imber,
Inde Bononias large diffudit in agros.

In patriam reversus primo Ecclesiae majoris Pisanae Canonicus, deinde rescissa, & abrogata *Aleprandini* electione per Hugolinum Cardinalem, Archiepiscopus factus est. Ex litteris (1) Honorii constat, Vitalis electioni nonnullos repugnasse, Bartholomaeum nempe, quantum conjicere licet, & alios Canonicos Pisanos, quos pro *Aleprandino* stetisse vidimus paullo ante; sed cum Pontificis gratia, & benevolentia uteretur, omnes difficultates vicit, ac praeterea obtinuit ab Honorio anno 1218. confirmationem omnium privilegiorum, quae a Summis Pontificibus Antistites illius decessores consequuti fuerant, ut in Dissertatione praevia narravimus; & facultatem impetravit delegandi in sua Dioecesi Judicem *laicum*, coram quo Clerici a *laicis* postulati caussas dicerent juxta Ecclesiae Pisanae consuetudinem (2).

Pau-

(1) Apud Ughellium *T. III. in Archiepiscopis Pisanis col.* 428., quas laudat etiam Troncius *Annali Pisani pag.* 184. In his autem Honorius sic Vitalem alloquitur „ Dolentes compellimur exclamare, poenitet nos hominem hunc „ fecisse, cum propter haec de te non modicum confundamur, & adver- „ sarii tui contra nos, qui te promovimus *ad Archiepiscopatum*, ma- „ teriam habeant insultandi; nonnulli Fratrum nostrorum nobis in fa- „ ciem jam pluries insultarint ex eo, quod Apostolicae Sedis, & nobis „ te indevotum sic exhibes, & ingratum „: & paullo post subiungit: „ vix sine nostra, qui te nonnullis contradicentibus, & invitis promo- „ vimus posses confusione confundi.

(2) Videatur Raynaldus *ad annum* 1218. *num.* 31.

Paucos post annos ex amore Pontificis excidit Vitalis ob insignem contumaciam in Episcopo praesertim nullo pacto ferendam. Illius favore, vel saltem conniventia constitutus fuerat a Pisanis Civitatis Potestas Ubaldus ex Vicecomitum gente, quem jam inde ab anno 1218. ob occupatam Sardiniae Insulam Summus Pontifex poena excommunicationis affecerat (1). Id summopere displicuit Honorio, qui proinde scripsit ad Vitalem, ut nisi Cives Pisani Ubaldum ab officio removerent, ipse Civitatem Ecclesiastico Interdicto, Ubaldum, ejusque fautores excommunicatione puniret, illamque per totam Urbem, ac Diœcesim promulgaret. Vitalis Honorii litteras recipere noluit, & nuncii, qui eas detulerunt, ut in domo sua verberibus cederentur, permisit. Incoepto non destitit Honorius, sed negotium cuidam Clerico Episcopi Bethleemitani commisit, qui Pontificias litteras coram Vitali legit. Hic autem non minus quam antea stabilis, & constans non solum respondit, *quod idem Episcopus de iis hoc tempore se intromittere non* debebat, verum etiam nihili ducens Ecclesiae Censuras rem Divinam Pisis faciebat, & excommunicatorum consuetudine in omnibus utebatur. Ubi haec omnia rescivit Honorius, anno 1223. mense Septembri misit ad Vitalem litteras minaces, & acerbas, quibus primo praecepit, ut ad Ubaldi *confusionem majorem, & ejus contumaciam confutandam ipsum cum complicibus, ac fautoribus suis singulis diebus Dominicis, & Festivis pulsatis Campanis, & candelis accensis anathematizatum, & ab Ecclesiae unitate precisum* denuntiaret, & ut ab aliis denuntiaretur per totam Pisanam Dioecesim curaret: deinde vetuit, ne quousque Ubaldus contumax maneret, ullum *prorsus Ecclesiasticum Sacramentum praeter Baptisma parvulorum, & Poenitentiae morientium* conferretur, alioquin sciret se *ab officio Pontificali, & Sacerdo-*

(1) Raynaldus *ibidem*.

tali suspensum fore, & sistere se debere Apostolicae Sedi ad rationem reddendam de contumacia, & contemptu erga ipsam (1).

Vitalem Honorio obtemperasse, non est, cur dubitemus, siquidem ex Pisanis monumentis non apparet, sub his temporibus Romam petiisse; & aliunde constat Pontificiis acceptis litteris in curandis negotiis Ecclesiasticis vigilantiorem evasisse; cum enim anno 1225. quidam Cives Pisani, quibus a Republica Pisana demandatum fuerat novas condere leges, statuissent, *quod si quis Clericus, vel laicus contra quemcumque laicum Pisani districtus ad Judicem Ecclesiasticum litteras Apostolicas impetraverit in mille solidis [nisi hujusmodi renuntiaverit litteris] condemnetur, nec reditus possessionum suarum reddantur eidem, vel agri excolantur illius, sed banno potius subjaceant Potestatis :* & quod *Clerici suis sumptibus Castrum Ripae-fractae* facerent *custodiri; quod si renuerint, contra eos Potestas procedere teneatur;* de his legibus Ecclesiasticae libertati contrariis Vitalis illico questus est cum Honorio, qui in mandatis dedit Episcopo Senensi, ut *in Consiliarios, & Officiales Civitatis, nisi statuta ipsa de Capitularibus suis deleri fecerint*, excommunicationis sententiam promulgaret, eos autem, qui statuta confecerant feudis Ecclesiasticis, quae possidebant, privatos denuntiaret (2).

Litem habuit per multos annos cum Canonicis de quibusdam Ecclesiis, quas jurisdictioni Archiepiscopi nullo pacto subesse hi contendebant: & licet eam composuissent anno 1224. mense Junio tres exploratae prudentiae viri, scilicet Abbas de Insula, Archipresbyter Collensis, & Senensis Archidiaconus, ut patet ex veteri monumento apud Ughellium, partes tamen horum judicio non acquievisse videntur; in secreto enim Archiepiscopi Tabulario servan-

(1) Vide *Honorii litteras antea citatas*.

(2) *Lib. 5. Decretal. tit. 39. cap. 53.*, & apud Cironium *Compilatione V. epistol. Decretalium Honorii III. lib. 5. tit. 18. cap. 5. pag. 228. edit. 1645.*

vantur petitiones (1) tum Canonicorum, tum Vitalis exhibitae anno 1239. Gaufrido Castilioneo Cardinali, & Sabinensi Episcopo in eorum caussa a Gregorio IX., ad quem litigatores confugerant, electo Judice, qui cum per se testes examinare nequiret, id commisit *Priori* Ecclesiae Pisanae S. Petri *in Vinculis*, & *Priori* Ecclesiae Lucensis S. Michaelis *in forò* (2). Exitus hujus caussae ex Archivii Pisani monumentis non constat.

Plura negotia diversis temporibus commisit Vitali Gregorius IX. Anno 1230. undecimo calendas Apriles illi jussit, ut *Parochum* in Ecclesia Sanctae Mariae Magdalenae constitueret; quod cum ipse per se exequi non posset, quippe qui ob nonnullas res ad Ecclesiam Pisanam spectantes extra Civitatem petere cogebatur, ad hoc Vicarium suum instituit *Priorem* S. Petri majoris Urbis Lucensis, qui Vitalis praecepta executioni mandavit (3). Cives Lucenses regionem, quam *Carfanianam* vocant, contra Pontificis monita *hostiliter invaserunt*, *prophanarunt Sancta*, *diruerunt Ecclesias*, & *Altaria suffoderunt*, & *Plebanum de Lopia abducentes captivum retruserunt eum in custodia carcerali*. Illico Pontifex *ne tantam Dei*, & *Ecclesiae injuriam noxie negligere* videretur, *medicinalem Petri gladium* exercuit in eosdem, *ipsos censura Ecclesiastica percellendo*, *sperans*, *ut percussi dolerent*, & *attriti reciperent disciplinam*. *At ipsi malleum velut stipulam reputantes ad percutientem noluerunt converti*, *sed indomabili corde tumentes excessus excessibus cumularunt*; quamobrem Gregorius anno 1230. quinto nonas Julii praecepit Vitali nostro, ut publice significaret Lucensibus, quod nisi ad diem festum Assumptionis Beatae Mariae Virginis plene satisfecissent Apostolicae Sedi de tot injuriis eidem illatis, ipsorum Civitatem Episcopali honore, & Ecclesiae Cathedralis

(1) *T. III. apograph. num.* 743. 744.
(2) Vide tabulas *in Append. monumentorum*.
(3) Vide chartam *in Appendice monumentorum*.

dralis Canonicos dignitate privandos fore; mandavit etiam ipsimet Vitali, ut *si usque ad praedictum terminum non redirent, sententias prolatas tam in Lucenses, quam in fautores eorum* innovaret, *totam Terram ipsorum arctissimo* supponeret *interdicto : populis quoque circumpositae regionis sub poena excommunicationis, quam ipso jure incurrerent contemptores, districtius* inhiberet, *ne aliqua exercerent commercia cum eisdem, nec aliquem de Civitate Lucana ad Potestariam, aut aliud officium advocarent, nec de ipsis aliquis aliquod officium in praedicta reciperet Civitate : statuta etiam, quae Potestas Lucana, vel ejus Officiales ederent, & sententias, quas Judices promulgarent, nec non instrumenta, quae Tabelliones conficerent post terminum praenotatum auctoritate* Pontificia nullius esse momenti decerneret. Hujusmodi minis perterriti incoepto non destiterunt Lucenses, quinimo fortius Clericos persequi, illorumque bona occupare coeperunt; quamobrem Gregorius, quae comminatus fuerat, perfecit anno 1231. quinto calendas Apriles (1).

Luca honore Episcopali privata, ejusque Antistite Opizone remoto, & ablegato, tota Dioecesis in varias partes divisa est, atque commissa Pontificibus Pisano, Florentino, Volaterrano, Lunensi, ac Pistoriensi. Vitalis praefectus est *tam Ecclesiis de porta Sancti Donati Lucan., quam hiis de Dioecesi, quae sunt ex parte Sarni* [*lege Arni*] *usque ad curiam Sancti Miniati ex parte Castri Martis, & pontem Sancti Petri usque ad muros Civitatis versus Pisas recta li-*

(1) In hac historia narranda usus sum ipsis Gregorii verbis in duabus epistolis, quarum altera est *T. III. Bullarii Romani num. 20. pag. 261. edit. Mainardi;* altera apud celebrem Garampium *in Opere*, cui titulus : *Illustrazione di un' antico Sigillo della Garfagnana cap. 1. pag. 18. & seq.* Sed non dubito, quin Summus Pontifex quod attinet ad recensitos Civium Lucensium excessus rumore vulgi deceptus fuerit, quemadmodum in errorem ab iis inductus est, qui ipsi persuaserunt regionem *Carfanianam* ad Ecclesiam Romanam spectasse, ut pluribus ostendit clarissimus Pater Fridericus Vincentius di Poggio in quadam Dissertatione, quae cum adhuc MS. sit, olim publicabitur ab eruditissimo Sebastiano Donato Lucensi.

tinea usque ad Abbatiam de Posseolis usque ad Sanctam Mariam ad Montem, & omnibus Ecclesiis, quae sunt in dictis partibus usque ad Archiepiscopatum Pisanum (1). In his porro Ecclesiis nullam aliam jurisdictionem principio exercere quibat, nisi earum Clericis, ceterisque personis Ecclesiastica Sacramenta conferre, sed paullo post octavo scilicet calendas Octobris anni laudati facultatem obtinuit omnia jura Episcopalia exercendi, ita uti liquet ex sequentibus litteris Gregorii ab Ughellio primum vulgatis „ Meminimus olim partem Episcopatus Lucani tibi quo-„ ad Sacramenta omnia commisisse, reservatis in ea E-„ piscopalibus juribus ven. Fratri nostro Episcopo Flo-„ rentino : nunc autem Fraternitati tuae facere volentes „ gratiam specialem, praesentium tibi auctoritate man-„ damus, quatenus in eadem parte vice nostra pleno jure „ Sacramenta omnia, & Episcopalia jura studeas de ce-„ tero exercere, donec nostrae processerit beneplacito vo-„ luntatis ; non obstantibus litteris super hoc a nobis ei-„ dem Episcopo destinatis. Contradictores &c. Datum „ Reate 8. calend. Octobris Pontificatus nostri anno V.

Per annos quinque, & nonnullos menses Antistes Pisanus Dioecesis Lucensis partem gubernavit ; cum enim Cives Lucenses anno 1234. promisissent, ac in se recepissent Pontificis mandata plenissime esse facturos, petiissentque absolutionem a Censuris Ecclesiasticis, ac dignitatis Episcopalis, aliorumque privilegiorum amissorum restitutionem (2), post biennium tandem voti compotes facti sunt (3). Hoc ipso anno 1236. Gregorius jussit ipsimet Vitali, ut fulmen Ecclesiasticum jacularetur in Sergianenses, quod Parasonem defuncti Turritani in Sardinia Judicis filium impuberem barbarica immanitate trucidas-

(1) Confer epistolam citatam apud Garampium *ibidem*.
(2) Vide epistolam Gregorii apud eundem *pag.* 25. *& seq.*
(3) Ughellius *T. I. in Episcopis Lucensibus num.* 66. *col.* 822., Raynaldus *ad annum* 1236. *n.* 26., *ad annum sequentem num.* 15., & Garampius *pag.* 37.

dassent, ac feris exposuissent (1). Anno 1239. mandante eodem Gregorio Actium electum in Episcopum Grossetanum consecravit, ut liquet ex litteris Gregorianis 2. calendas Majas datis, quas laudat Ughellius (2). Ab Innocentio etiam hujus nominis IV. sub anno 1245. in patronum electus est Fratrum Minorum, ut hos defenderet ab *Episcopis*, *Abbatibus*, *& aliis Ecclesiarum Praelatis per Tusciam*, *Vallem Spoletanam*, *Marchiam Anconitanam*, *& Provinciam*, *Dioecesimque Pisanam constitutis*, qui laudatis Fratribus molestias inferebant (3).

Cum quidam Insulae Sardiniae Episcopi in controversiam vocarent Ecclesiae Pisanae jura, & privilegia, quibus antea utebantur ea in Insula Archiepiscopi Pisani, Vitalis anno 1234. Romam petiit, eorundem privilegiorum confirmationem a Gregorio IX. impetraturus; qui ut apparet ex ejus litteris (4) ad Capitulum, & Clerum Pisanum 14. calendas Augusti missis, ob Antistitis nostri *devotionis fervorem*, *nec non & affectionem*, *quam ad eandem Ecclesiam*, *& Civitatem Pisanam specialiter* idem ipse Summus Pontifex gerebat, Vitalis petitionibus *quantum cum Deo* potuit, libenti animo indulsit, *quibusdam tamen pro Praelatis aliquibus ipsius Insulae instanter petentibus justitiae sibi plenitudinem exhiberi*, sibi reservatis. In Urbe manens Vitalis multum pecuniae *apud Sedem Apostolicam* expendit; hinc aes alienum contraxit, quod ut dissolvere posset, licentiam obtinuit a Pontifice exigendi ab Abbatibus, Prioribus, aliisque Praesulibus Ecclesiarum Civitatis, Dioecesisque Pisanae certam pecuniae summam. Raynerius de Cascina Canonicus, cui non secus atque Guidoni de Curtibus, & Malpilio item Canonicis Pisanis onus exigendi demandatum ab Archiepiscopo fuerat,

(1) Consule Raynaldum *ad eum annum num. 26.*
(2) *T. III. in Episcopis Grossetanis num. 21. col. 664.*
(3) Vide Innocentii litteras *T. I. Bullarii Franciscani num. 85. pag. 369.*
(4) Apud Ughellium *col.* 430.

rat, non solum cogere ad solutionem tentavit Monasteria Ordinis Camaldulensis S. Savini, S. Zenonis, S. Michaelis in Burgo, S. Frigdiani, & S. Stephani de Cintorio, quae Sedi Apostolicae immediate, ut ajunt, subjecta erant, verum etiam Henricum illorum Monasteriorum Syndicum jura sua dicentem a se ejecit comminationibus, & percussionum infligendarum jactationibus. Monachi igitur haec omnia significarunt Gregorio Summo Pontifici, qui anno 1234 nonis Octobris scripsit ad Gratiadeum Berlingherium Episcopum Pistoriensem, ut prohiberet Vitali, ne Monachos Camaldulenses ad pecuniae solutionem compelleret; & anno sequenti idibus Januarii litteras misit ad Praepositum Pratensem, ut excommunicationis, vel interdicti poenam, si quam contra eos Archiepiscopus fulminasset, revocaret (1).

Vitalis Gregorii litteris ad Capitulum, & Clerum Pisanum paullo ante laudatis fretus, anno 1235. in Sardiniae Insulam profectus est. Verum cum institutum consuetudine firmatum esset, ut quotiescumque Antistites Pisani Legati munus in memorata Insula exercere volebant specialem facultatem Apostolicam obtinerent, nec ea vice illam Vitalis prius impetrasset, Gregorius 2. nonas Octobris Fulginei degens Vitalem ipsum acriter reprehendit, eique jussit, ne id amplius auderet Romano Pontifice inconsulto: *de cetero*, inquit, *nullatenus in Sardinia Legationis officium exercere praesumas, nisi a Sede Apostolica licentiam obtineas specialem, alioquin indignationem Sedis Apostolicae poteris non immerito formidare* (2). Quo tempore Vitalis in Sardinia fuit, Potestas, & Consiliarii oppidi, quod Vicum Pisanum dicunt, jurisdictionem Archiepiscopi perturbarunt quamdam *Turrim* praesertim occupantes; hinc Pisas reversus litem iis intendit, pro qua componenda Gregorius Summus Pontifex anno 1237.

(1) Consule *T. IV. Annalium Camaldulensium lib. 39. pag. 333. & sequentibus.*
(2) Vide *Dissertationem praeviam cap. 2.*

1237. septimo calendas Novembris scripsit ad Abbatem Monasterii Marturensis S. Michaelis, ad Marturensem, & oppidi S. Geminiani Praepositos (1).

Anno 1240 iterum excitata est controversia inter Vitalem nostrum, & Consules Vadenses. Contendebat ille ad Ecclesiam suam spectare silvam quamdam *Asca* vocatum, quam eidem adiudicaverat Plebanus Vadensis Judex ab Archiepiscopo ea in caussa electus. Bernardus filius Lamberti, & Guido Consules non sinebant, Vitalem possidere silvam, idcirco excommunicationis poena affecti ab eo fuerunt, sed cum hac de re cum Gaufrido Castilionaeo Cardinali S. Marci Sedis Apostolicae Legato conquesti essent, hic statuit anno 1228. quarta die mensis Aprilis, ut ab excommunicationis poena absolverentur, & Archiepiscopus silvam pacifice possideret (2). Mirum quantum hoc postremum Consulibus Vadensibus displicuerit; quocirca provocarunt ad Comitem Pandulphum *de Fasanellis*, qui se dicebat Imperialis Aulae in Tuscia *Generalem Capitaneum*. Is Vadensium caussae patrocinari promisit, Judicemque in ea sese constituit; quod cum significatum fuisset in oppido Castelionis Aretini, seu Florentini, ut communiter nunc appellatur, Bertoldo publico Nuntio Communis Pisani, & Procuratori Vitalis, ille statim respondit, nolle se coram ipso litigare; nam cum saecularis esset Judex Clericorum esse nequibat. Pandulphus nihili fecit Bertholdi rationem, sed contra Vitalem Archiepiscopum sententiam tulit (3); quocirca Archiepiscopus ad Sedem Apostolicam appellavit, & Gregorius Summus Pontifex ad Gratiadeum Episcopum Pistoriensem paullò ante laudatum scripsit, ut revocaret *in statum debitum quidquid post appellationem huiusmodi temere inveniret aptemptatum* (4). Hoc diligenter

(1) Tabulae *in Appendice monumentorum*.
(2) Tabulae *in Appendice monument.*
(3) *In Appendice &c.*
(4) V. Gregorii litteras *in Appendice &c.*

ter praestitit Gratiadeus anno 1241. decimo calendas Apriles (1); qui praeterea anno sequenti 7. idus Januarii onus delegavit Martino Abbati Monasterii Pisani Sancti Michaelis *in Burgo* mittendi Archiepiscopum in silvae possessionem (2).

Per haec eadem tempora anno scilicet 1241. quinto nonas Maias Pisani Friderico Imperatori foederati Cardinales duos Sedis Apostolicae Legatos, aliosque Praesules in navibus Genuensibus vectos Romam ad Concilium euntes in captivitatem adduxerunt *juxta Insulas, quae vulgò vocantur Gilium, & Planosa* (3). Ob hujusmodi scelus, & ob occupationem decem oppidùlorum, quae Antistes Lucensis sui juris esse contendebat; nec non Provinciae, quam *Carfanianam* dicunt, excommunicationis, & interdicti poena Pisae punitae fuerunt, teste F. Salimbene Parmensi Ordinis Minorum saeculi decimitertii Auctore (4). Post quadriennium in gratiam cum Ecclesia redire, & a censuris liberari desiderantes Pisani, per Vitalem

(1) Confer chartam *in Archivo T. III. num.* 761.

(2) *T. citato num.* 770.

(3) Confer Nicolaum de Carbio *in vita Innocentii IV. cap.* 3. apud Muratorium *T. III. S. R. Ital. pag.* 592., & Richardum a Sancto Germano *in Chronico ad ann.* 1241. *col.* 1046. *T. VII. S. R. I.* Vide etiam cl. Flaminium dal Borgo *Dissertazione* 4. *dell' Istoria Pisana par.* 1. *pag.* 207. *seq.*

(4) *In Chronico pag.* 340., quod MS. servatur Romae in Bibliotheca nobilissimae familiae *de Comitibus*. Consule item litteras Innocentii IV. apud Ughellium *T. III. in Archiep. Pisanis num.* 51. *col.* 431. *& sequent.* Troncius *Annali Pisani pag.* 190. scribit, quod Pisani ob Praesulum capturam praeter excommunicationis poenam, quam subiere, fuerunt etiam *privati della dignità Archiepiscopale*. Sed cum Innocentius IV. in litteris paullo post laudandis Antistitem Pisarum vocet *Archiepiscopum*, certe Troncius in errore versatur. Huic errandi occasionem sine dubio praebuit Marangonius *Cronica Pisana ad ann.* 1237. *col.* 501. asserens, Pisanos ob hujusmodi facinus non solum excommunicatione, & interdicto affectos fuisse, sed etiam *privi d' ogni beneficio Ecclesiastico;* vel potius Joannes Villanius, qui *lib. 6. Historiarum Florentinarum cap.* 19. *T. XIII. S. R. I. col.* 167. ait: *per la detta presura furono scomunicati i Pisani, e tolto loro ogni beneficio di Santa Chiesa*. Villanium sequitur hac in re Lapus de Castilioncho *epistola ad Bernardum filium par.* 3. *pag.* 93. *edita ab eruditissimo Laurentio Mehus*.

talem voluntatem suam Innocentio IV. notificarunt, qui Vitali ipsi commisit, ut eos voti compotes faceret, dummodo pollicerentur stare a Summo Pontifice contra Fridericum, & oppidula, de quibus ante posui, dimitterent, traderentque uni ex Cardinalibus, cui magis placeret, usque donec judicatum fuisset, cuius interessent (1).

Gothifredus *de Porcari* Civis Pisanus clam Vitalem nostrum sub anno 1245. obtinuit ab Innocentio IV. *Praeposituram* S. Petri ad Gradus, quae ad Mensam Pisanam spectabat; hinc ipse Vitalis, qui ad controversias videbatur natus, litem intendit Gothifredo, quem item juxta morem suum, eorumque temporum excommunicavit. Sed litem hanc composuit anno 1252. Ubaldus Prior Monasterii Pisani S. Frigdiani Judex electus utriusque partis consensione. Qua ratione lis composita sit apparet ex antiquis tabulis, quas in Appendice monumentorum vulgabo.

Vitalem decessisse anno 1253. tradunt Ughellius, Troncius, Cardosius, Martinius, & Orlendius, quod etiam legitur in eius epitaphio mox exhibendo. Sed ibi procul dubio anni secundum Pisanorum morem numerantur; hinc satis probabile est, anno communi 1252. desinente obiisse; hoc enim anno 4. idus Novembris *corporis infirmitate gravatus* erat Vitalis (2). Die veniente, seu 3. idus mensis laudati eidem adiudicata fuerunt auctoritate Apostolica omnia bona, quae ad Monasterium S. Justiniani *de Falesia* Dioecesis Massanae spectabant (3): deinde nullum est in secreto Archiepiscopatus Tabulario instrumentum anni citati, ubi de Vitali mentio fiat. Servatur tamen instrumentum quoddam confectum anno sequenti pridie idus Aprilis, ex quo patet eo tempore defunctum jam fuisse (4). Illud autem observo, quod si Vitalis

(1) Adisis litteras Innocentii apud Raynaldum *ad annum* 1245. *num.* 66.
(2) Ex instrumento in Tabulario Archiepiscopatus *T. III. num.* 813.
(3) Tabulas damus *in Appendice monumentorum*.
(4) *T. cit. num.* 815.; in hoc sic legitur: *licet bonae memoriae D. Vitalis &c.*
Haec

talis obiit anno communi 1253., necesse est asseramus, decessisse ante diem 25. mensis Martii, quando Pisani novum annum incipere consueverant, ne errorem esse in epitaphio affirmare cogamur. Laudatum verò epitaphium est hujusmodi.

Cum tribus, & quinque decies cum mille ducenta
Tempora currebant, Dominusque concipiebatur,
Ecce proceres lacrymas deducite luctus
Solvite, Vitalem mecum deplangite, cuius
Ardua vita fuit, vivendi formula recta;
Sanguine clarus erat, sed morum lampade major
Ingenuos praecessit Avos de fonte Sophiae:
Parisias potavit aquas, quas prodigus imber
Inde Bononias large diffudit in agros.
Pisanas ita pavit oves, ita praefuit ipsis
Ut pariter prodesset eis, obsequia nostra,
Dicite si similem nostro vidistis in aevo.
Praesidium Cleri, dux pacis, amator honesti.
Quas invenit opes a Sacra Sede receptas
Providus immenso Pater augmentavit acervo;
Pauperibus conquassa fuit pia dextera Patris.
Quantus erat Pater iste putas dum transiit aequor
Inclyta Primatis ostendens cornua Sardis.
Denique turris erat nullo concussa pavore.
Metra Nepos Guido tuus est Pater ista tibi do.

Ughellio teste hoc epitaphium olim legebatur in Ecclesia majori prope altare S. Luciae, ubi in marmoreo tumulo

Haec autem formula *bonae memoriae* quamvis etiam adhuc viventibus tribuatur, uti post Ducangium, Mabillonium, & Muratorium ostendit viginti quatuor adductis exemplis eruditissimus Grandius in Dissertatione de hoc argumento, quae est apud P. Calogerà *Raccolta di Opuscoli Scientifici, e Filologici T. IX. pag. 272. & seq.*, plerumque tamen mortuis tribuitur eodem Grandio teste *epistola de Pandectis pag.* 109. At in laudato instrumento non dubito quin citata formula Vitalem jam defunctum significet, siquidem apertum est mense Novembris anni 1252. hunc aegrotasse, & anno sequenti decessisse legitur in ejus epitaphio.

lo sepultus fuit Vitalis. Sed nunc non amplius extat, quoniam periit anno communi 1595., quo, ut alibi dictum est (1), laudatae Ecclesiae pars interior magno damno affecta fuit ab igne.

Dolendum sanè est nullum ferè superesse vetus monumentum, quod nobis liquidò ostendat praeclara facinora, quae Vitalem pro populo sibi commisso gessisse Guido memorati epitaphii auctor generatim indicat. Nihil enim aliud compertum nobis est, quam eum anno 1233. prima mensis Novembris die *apud Calcem* morantem concessisse Monialibus Sanctae Clarae Ecclesiam, & Monasterium omnium Sanctorum *in ripa Arni Pisani* situm, illudque ab omni jurisdictione Archiepiscopi exemisse (2): anno 1247. post iteratas Innocentii IV. flagitationes tandem indulsisse (3), ut Patres S. Francisci Ecclesiam SS. Trinitatis possiderent, quam dono acceperant a Coelestino IV., quo tempore Sedis Apostolicae Legati munere in Tuscia fungebatur: & anno 1252. undecimo calendas Apriles facultatem dedisse Gabrieli *Priori* Monasterii S. Donnini, ut Monasterium ipsum, & illius Ecclesiam alio in loco Orientem versus aedificare posset, Deo dicandam *ad honorem Beatae Mariae ad Martyres*, *&* *S. Donnini*, *&* *S. Venantii*, *&* *aliorum Sanctorum* (4).

Sub initio saeculi decimitertii Canonicorum Pisanorum numerus magis exiguus erat, quam Ecclesiae Pisanae dignitati, & amplitudini convenire videbatur: quamobrem Honorius III. litteris, quas refert Martinius (5) anno 1217. initio mensis Augusti ad Archiepiscopum, & Capitulum Pisanum missis praecepit, ut imposterum sexdecim saltem essent huius Ecclesiae Canonici: *cum Ecclesia vestra*,

(1) *In Ubaldo pag.* 240.
(2) Confer ejus litteras apud clarissimum Sbaraleam *T. I. Bullarii Franciscani pag.* 168.
(3) Litteras damus *in Append. monument.*
(4) Tabulae *in Appendice cit.*
(5) *Appendice ad Theatrum Basilicae Pisanae pag.* 157.

stra, inquit Pontifex, *non parva praerogativa gaudeat dignitatis, plurimum ipsius honori detrahitur, & famae vestrae non modicum derogatur ex eo, quod in ipsa Ecclesia jam a longo tempore non fuit Canonicorum numerus consuetus. Volentes igitur, ut Divini nominis cultus, qui est diminutus, ibidem per nostram sollicitudinem restauretur, & scandalum, quod ob paucitatem vestram etiam inter Laicos ortum esse dignoscitur, conquiescat, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus quatenus ordinationem de personis idoneis usque ad sextum decimum numerum in ipsa Ecclesia faciatis.*

Eodem saeculo decimotertio erant Florentiae non pauci homines impii, qui teste Thoma de Lentino (1) *Manichaeorum haeresi infecti erant*, ac Patareni vocabantur, de quibus plura eruditissime disserit praestantissimus Lamius (2). Gregorius IX. hos haereticos extirpare ex memorata Urbe, & nervis omnibus impedire optans, ne Pisis etiam pedem figerent, sequentes litteras scripsit anno 1233. idibus Maji ad Canonicos Pisanos „ Dolentes „ audivimus, & referimus cum moerore, quod inimicus „ humani generis salutis fidelium invidus quosdam Haeresiarchas perditionis filios in subversionem fidei catholicae inter Florentinos dicitur statuisse, qui ut soli recta sapere, ac juste vivere videantur, Magisterium Ecclesiae Romanae refugiunt, doctrinam Evangelicam, „ Apostolicam, & Propheticam deputantes, & novis adinventionibus auditorum corda seducant trahendo post „ se simplices, & indoctos, ut coeci coecis ducatum „ praebentes tam duces, quam ducti, immo seductores „ potius, & seducti in perditionis aeternae foveam dilabuntur. Ea propter filii nostri dilectissimi studiis omnibus cavete, ne lues tam contagiosa, quae totam ferme di- „ ctio-

(1) *In vita S. Petri Martyris aucta ab Ambrosio Taegio cap. 3. num. 22.* apud Bollandianos *T. III. Aprilis ad diem 20. pag. 693.*

(2) *Lezioni d' Antichità Toscane, lezione 15. 16. 17.*

„ ctionem Florentinam invasit, & contaminavit, oves
„ etiam Pisani gregis nunc vobis, & venerabili fratri no-
„ stro V. Archiepiscopo vestro commissas audeat unquam
„ infectare. Huius pessimae, ac diabolicae zizaniae dis-
„ seminatoribus modo fortes resistite, illos oppugnare
„ de more vestro satagite, constantes in ea fide, quam
„ huc usque incontaminatam, immarcescibilem, & ac-
„ ceptam in Coelis, Divina cooperante gratia, servastis.
„ Solliciti insuper estote, & vigilate ne quidem odor
„ tam pessimi morbi aerem vestrum saluberrimum cor-
„ rumpat, cui si vel minimus daretur aditus, illicò ma-
„ ximo progressu per Pisanum agrum serpere, mox vo-
„ bis intima penetrare, ac demum universum populum
„ subvertere non secus ac fermentum parvo temporis in-
„ tervallo farinae immixtum, de quo satis Evangelista,
„ & ad nostram doctrinam profert, viribus omnibus non
„ praetermitteret, quod Deus omninò avertat, & mini-
„ me sequuturum speramus; plurimum namque fidei, &
„ constantiae vestrae confidimus, quorum integerrimae
„ vitae, atque Religionis Orthodoxae testimonia quam-
„ plurima etiam nunc prae manibus habemus. Praeterea
„ universitatem vestram exoramus, atque in Domino sol-
„ licite hortamur, ut A. charissimo fratri nostro Floren-
„ tino Episcopo, qui contagium tam perniciosum e me-
„ dio sui gregis auferre pro posse conatur, auxilium
„ vestrum, cui multum ipse confidit, impendere beni-
„ gnè dignemini in omnibus his, quae ad opus tam Deo
„ gratum suscipiendum necessaria modo, & opportuna
„ fore discretio vestra cognoverit. De qua re largam
„ vobis bonorum omnium largitor Deus mercedem re-
„ tribuet, & patrocinium Sanctae Romanae Sedis, & no-
„ strum favorabile semper in opportunitatibus vestris ex-
„ periri, & repromittere poteritis. Nos tandem orationi-
„ bus vestris etiam atque etiam recommendantes Apostoli-
„ cam rursus benedictionem vobis, & universitati vestrae

„ li-

„ libenter impertimur. Datum Laterani idibus Maji Pon-
„ tificatus nostri anno septimo „. Martinius (1), qui has litteras publicavit, fatetur eas exscriptas fuisse *ex Archivo Ecclesiae principis Apostolorum de Urbe*. Verumtamen erit fortassis, qui eas dubias existimabit. Principio enim continent verba plena nimiae humanitatis, a Gregorii IX. gravitate prorsus aliena, quaeque non leguntur in aliis sinceris eiusdem Pontificis litteris. Deinde Summus Pontifex mandat Canonicis Pisanis, ut curent, ne Patarenorum lues Pisas inficeret; sed Pisis etiam Patareni tunc erant, vel saltem paullo ante fuerant; hi namque haeretici non re, sed nomine tantum diversi erant ab Albigensibus (2), quos in hac Urbe sub saeculi duodecimi finem extitisse testis est omni exceptione major Clerus Pisanus in litteris ad Hugonem Etherianum inquiens: *sunt enim apud nos, qui ceu desperantes dicant mortuis fidelibus neque orationes, neque denique Sacrificia conferre* (3); quibus verbis non dubito quin indicentur Albigenses, qui teste Caesario Heisterbacensi (4) *quidquid beneficii mortuis a viris impenditur* irridebant, asserebantque *Praelatos Ecclesiae Christi animabus mortuorum fidelium remissionum Indulgentiis non posse ullatenus subvenire*, ut ait Lucas Tudensis (5). Accedit, quod Philippus Paternus, qui anno 1228. Florentiae Patarenorum Episcopus habebatur, jurisdictionem suam protendebat ab Urbe Pisis usque Aretium (6). Igitur aetate Gregorii IX. Pisae non secus at-

(1) *Op. cit. pag.* 153.

(2) Confer Monachum Altissiodorensem *in Chronico ad ann.* 1181. Idipsum colligitur ex iis, quae eruditissime disputat clariss. P. Ricchinius *Dissertatione prima de Catharis cap.* 2. *& seq.*, quae est *initio Operis V. P. Monetae*.

(3) Extant *T. XXII. Bibliothecae Veter. Patrum edit. Lugdun.*

(4) *Dialog. de illust. Miraculis distinct.* 5. *cap.* 21. apud Tissierium *T. II. Bibliothecae Cisterciensis pag.* 138.

(5) *Praefatione adversus Albigensium errores T. XXV. Bibliothecae Vet. Patrum pag.* 195. *edit. Lugdun.* 1677.

(6) Consule clarissimum Joannem Lamium *Lezione* 15. *pag.* 494.

que aliae Italiae Civitates Patarenorum errore infectae erant. Quod cum sit, litterae superius recitatae cum eorum temporum historia non conveniunt, ac proinde suspectae sunt.



APPEN-

APPENDIX.
MONUMENTORUM.

APPENDIX
MONUMENTORUM.

I.

Quaedam bona ad Ecclesiam de Camajano spectantia dantur in emphyteusim Oberto filio Hamalfridi a Grimaldo Episcopo Pisano.

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus Pisani Tom. I. apographorum num. 56.

IN nomine Sancte, & Individue Trinitatis. Berengarius, & Adalbertus filio ejus gratia Dei Regibus anno Regni eorum auxiliante Domino, octavo, septimo idus Decembris Indictione secunda (1). *Manifestu sum ego Oberto, que Oppitio vocor filio bone memorie Hamalfridi quia tu Grimaldus gratia Dei uius Sancte Pisane Ecclesie umilis Episcopus per cartula livellario nomine ad censum persolvendum dedisti mihi, idest duos portionis ex integra de omnibus casis & rebus illis pertinentibus Ecclesie, & Plebis vestre cui illo vocabulum est Beati Sancti Gerusalem & Sancti Johanni Baptiste quod est Plebem baptismalis situ loco & finibus Camajano* (2), *qui est de sub regimine & potestate Ecclesie Episcopatui vestro Sancte Marie, de Casis*

Anno communi 958.

(1) Ex his tabulis apertius constat, quod contra Ferdinandum Ughellium asseruimus *pag.* 151. *nota* 4., nimirum annum octavum Regni Berengarii, & Adelberti cum anno 958. concurrere: Indictio enim secunda a mense Septembri mutata juxta Pisanorum morem convenit anno superius laudato.

(2) Ubi positum fuerit antiquum oppidulum *Camajanum*, quod a *Camugliano* diversum censeri debet, diximus *in Dissertatione praevia cap.* 5. *in fine*.

verò ipsis una cum casis & casinis tam domnicatis quam & massariciis cum fundamentis, & bomnem edificiis vel universis fabriciis suis, seu curtis, terris, ortis, vineis, olivis, silvis virgareis, pratis, pascuis, cultis rebus, vel incultis de omnia, & ex omnibus casis, & cassinis, seu rebus domnicatis, & massariciis quantas ubique in qualibet locis, vel vocabulis ad suprascritte Ecclesie Plebem vestram sunt pertinentibus, vel aspicientibus, atque in antea ibidem pertinentes fuerint, ut dictum est duos portionis ex integrem mibi ea livellario nomine dedisti, seu dedisti mibi, idest duos portionis ex integrem de bomnem redditum, & debitionem illa quantas singulis ominibus, qui sunt abitantibus, aud in antea abitantes fuerint in villis illis, que dicitur Camajano, Canturini, Popogna . . . . . gia, Quarratula, Suvera, Stropossico, Cesari, Colle, Casalasci, Pineto, Casapettuli, Catitia . . . . . . singulis quibusque annis ad pars ipsius Ecclesie Plebis vestre consuetudi, vel debiti sunt reddendi, aut in antea consuetudi, vel debiti fuerint reddendi &c.

Actum Pisa

† *Ego Oberto &c.*

II.

Albericus Episcopus Pisanus dat in emphytheusim quaedm bona Martino filio Toti.

Ex eodem Archivo Tom. cit. num. 65.

Anno communi 985. *IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei Eterni, anno ab Incarnationis eius nonagesimo octuagesimo sexto, octavo calendas Junii, Indictione tertia decima. Manifestus sum ego Martino filio bone memorie Toti, quia tu Albericus gra-*

gratia Dei uius Sancte Pisane Ecclesie umilis Episcopus per cartam livellario nomine ad censum persolvendum dedisti mihi idest medietatem ex integram de duo petiis de terris illis, quas abis foras Civitatem ista Pisense prope domum Episcopatui Sancte Marie (1) que est pertinentes predicti Episcopatui Sancte Marie que una ex ipsa petia de terra que ambas capitas cum uno lato tenet in via, & alio lato tenet in terra Andree de filio quondam Ra..... in terra illa ..... subter dedisti; & ille alia petia de terra que uno capo tenet in fluvio Ausere (2), & alio capo tenet in terra illa quas mihi supra dedisti lato uno tenet in via & alio lato tenet in terra supradicti Andree; de as suprascrittis duo petiis de terris in predicto loco qualiter ab omnis parte circumdate sunt per designatas locas ut dictum est medietatem ex integram mihi eas livellario nomine dedisti tali ordinem ut da admodum in mea qui supra Martino vel de meis heredibus sint potestatem abendi tenen-

(1) Doctissimus Grandius ex quadam charta anni 1214. ab ipsomet relata ad calcem *epistolae de Pandectis num.* 47. ostendit *initio etiam saeculi* 13. *Pisanam majorem Basilicam prope muros Civitatis constitutam fuisse;* ac praeterea animadvertit nullam exstare memoriam *majoris amplitudinis Urbis bujus Boream versus, qualem vulgo sibi persuadent, ne tam insigne Templum in angulo extremo Civitatis a Pisanis extructum fateantur*. Ex tabulis, quas hic publicamus, apparet, quod ne saeculo quidem decimo Pisae ultra Ecclesiam majorem protendebantur, siquidem domus Episcopalis laudatae Ecclesiae vicina ponitur extra Civitatem. Idipsum clarius colligitur ex aliis tabulis anni 1115. apud Muratorium *Tom. III. Antiquitatum Ital. medii aevi col.* 1119., quae scriptae dicuntur *foris Civitate praefata Pisanorum juxta praedictam majorem Ecclesiam feliciter*. Major Ecclesia fuit extra Civitatem usque ad annum communem 1155., quo Civitatis quaedam pars, quae ad Occidentem solem, & Boream vergit, moenibus cincta est judice Michaele de Vico *Breviario Historiae Pisanae* apud Muratorium *Tom. VI. S. R. Ital. col.* 172. ita scribente: *anno* 1156. *Pisani fecerunt barbacanes circa Civitatem, & Kinsicam muraverunt a Turre ubi posuerunt Leonem marmoreum usque ad Turrim supra Pontem Hauseris*. Vide item Troncium *Annali Pisani pag.* 86.

(2) De alveo fluminis Auseris, quod saltem usque ad saeculum duodecimum Pisas cingebat, nunc autem longe discessit, & a moenibus ipsarum abiit, plura erudite disputat clarissimus Joannes Targionius *Relazioni di alcuni viaggi fatti in diverse parti della Toscana ec. pag.* 400. *e seg.*

di imperandi gubernandi laborare faciendi meliorandi & vobis eas privato nomine usufructuandi, & infra ipsa petia de terra Cassina ibi levare & claudere seo cuperire debeamus & ibidem residere & abitare debeamus, & exinde tibi vel ad posterisque subcessoribus tuis ad pars suprascripte Ecclesie Episcopatui S. Marie per singulos annos per omnes mense Aprilis censum vobis reddere debeamus ic Pisa ad curte vestra illa ad Ecclesiam S. Georgii vobis vel ad Ministerialem illum quis quo tempore ibidem fuerit aut ad misso vestro per nos aut per misso nostro argentum denarios boni expendibiles numero quatuor tantum & si ad nos vobis ec omnia qualiter superius legitur per singulos annos taliter non adimpleverimus & non conservaverimus aut si suprascrittam medietatem de predictis petiis de terris quas mihi dedisti relaxaverimus vel si per nos pegiorata fuerint spondeo ego qui supra Martino una cum meis. eredibus componere tibi qui supra Albericus Episcopus vel ad posterisque successoribus tuis penam argentum solidorum viginti quia taliter inter nos conveni & duos inter nos libelli Petrum Notarium & Judex domni Imperatoris scribere rogavi. Actum Pisa.

Ego Isalprando rogatus testis subscripsi.

Signum manus VVinigisi que VVinitio vocatur filio bone memorie Leupitii testis.

Ego Ringniberto rogatus testis subscripsi.

Signum manus Bonifatii filio bone memorie item Bonifatii testis.

Ego Petrus Notarius & Judex domni Imperatoris post traditam complevi & dedi.

Ego Albertus Notarius Apostolice Sedis autenticum huius vidi & legi & exemplavi.

Ego Ugo Notarius Apostolice Sedis autenticum huius vidi & legi & hic subscripsi.

III. Opi-

III.

Opizo Episcopus Pisanus donat Ecclesiae Sanctae Mariae, & Sanctorum Michaelis, ac Joannis positae in loco, qui dicitur a Fine, *quasdam possessiones, oblationes, decumas, & Ecclesiam Sancti Petri* de Pineto *cum hac conditione, ut Presbyteri in eadem Ecclesia Sanctae Mariae juxta regulam Canonicorum vivant.*

Ex Tabulario citato Tom. I. num. 111.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab Incarnationis ejus mille quadragesimo sexto (1) *regnante donno nostro Emrigo tertio gratia Dei Imperator Augusto anno Imperii ejus in Italia primo tertio nonas Martii Indictione . . . . . . Manifestu sum ego Oppizo humilis Episcopus Sancte Marie Pisane Ecclesie quia per hanc . . . . per anime mee remedio seu per remedio anime . . . . . . seu successorum meorum offero, dono, cedo, trado Omnipotenti Deo . . . . . . semper Virginis & Sancti Michaelis Archangeli, &. Sancti Joannis Baptiste qui est fundata* Anno communi 1047.

(1) Tametsi Pisani in computandis annis ceteros populos novem mensibus anteire solerent, Opizo tamen in his tabulis annos numerat juxta stilum communem, easque inchoat a 25. mensis Martii die, ut apud Florentinos in more positum erat. Idque ex eo patet, quod Henricus in Imperatorem electus est, & corona insignitus anno communi 1046. ut videre est apud Muratorium *Annali d' Italia ad eum annum*. Igitur annus primus Imperii ejus tertio nonas Martii correspondet anno communi 1047. a calendis Januarii inchoato.

data & edificata in Comitatu . . . . . ipsa Ecclesia Sancte Marie & Sancti Michaelis & Sancti Johannis site loco & finibus Colline ubi dicitur a Fine quod est Plebe quem Plebem ipsa esse videtur sub regimine, & potestate suprascritte Ecclesie Episcopatui nostro Sancte Marie. Similiter offero Omnipotenti Deo, & Sancte Marie, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis, idest omnibus rebus, & territoriis illis, que sunt in circuitu ipsius Ecclesie Sancte Marie tam cultis quam incultis seu pratis & sterpetis ad eas pertinentibus tenentes unum caput in terra Lamberti, & Vvidi germani filii bone memorie item Lamberti, & alio caput tenet in terra Rudulfi filii bone memorie Domnuci, & in terra predicte Ecclesie Sancte Marie quas filii quondam Rodolandi detinent, lato uno tenet in Rio qui dicitur Fine, & alio lato tenet in terra suprascritti Lamberti, & Vvidi germani, as suprascrittis terris, & rebus, que superius legitur qualiter ab omni parte circumdata est per designatas locas in integrum cum inferioribus, & inferioribus suis, seu cum accessionibus, & ingressoras suas Omnipotenti Deo, & Sancte Marie Virginis, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis offerre provideor cum Ecclesia, cui vocabulum est Beati Sancti Petri Apostoli, que est edificata in loco Pineto cum omnibus Casis, & Cassinis seu rebus movibilibus, & & immovibilibus ad eandem Ecclesiam pertinentibus, unde licet de omnibus offertis, & oblationibus, seu decimationibus mortuorum, & quidquid ad eam Ecclesiam quocumque modo pertinere videtur Omnipotenti Deo, & Sancte Marie, & Sancti Michaelis & Sancti Johannis offerre provideor, nec non & decimationem Oriperti filii bone memorie Stephani, & de suis eredibus, quam habeo apud Cassinam, ubi dicitur Donoculta dono. Similiter offero Omnipotenti Deo, & Sancte Marie Virginis, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis, idest offertas, & oblationes seu mortuorum, & omnes decimationes, & cum omnibus Casis, & rebus seu movibilibus, & immovibilibus, seu servos, & nutri-

tri-

triminibus quidquid ad ipsam Ecclesiam Sancte Marie pertinet, vel ante pertinere debent Omnipotenti Deo, & Sancte Marie Virginis, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis idest offertas, & oblationes seu mortuorum & omnes decimationes, & cum omnibus Casis, & rebus. Ego qui supra Opitio Episcopus per remedio anime mee, seu pro remedio animarum omnium Episcoporum antecessorum, & successorum meorum offerre provideor; & ego qui supra Opitio Episcopus volo, & firmiter in hac pagina offertionis constituo ut deinceps in antea Fratres Canonicos Petrus Presbyter, & Prepositus; & Bonitio Germanis, & Stephanus, & Andreas Presbyteri, ceterique alii, qui in eadem Ecclesia militant, vel militaturi sunt ad ordinem, & regulam Canonicorum (1) vivant, & regant omni tempore, & omnibus eas, & rebus superscripte Ecclesie cum sua pertinentia, seu movilibus, vel immovibilibus qualiter superius legitur ad superscripta Ecclesia Sancte Marie pertinent, aut in antea pertinentes fuerint, habeant, & teneant, seu permaneant in illis Servis Servorum Dei, qui modo ordinati sunt, aut in antea secundum regulam Canonicorum ordinati erunt, & vivant, & distribuant ad usum, & Fratrum sumptum Canonicorum. Verumtamen ego, qui supra Opitio Episcopus, meo successores non habeamus potestatem, neque licentiam de suprascritta Ecclesia Sancte Marie, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis de omnibus movibilibus, & immovibilibus quidquid ad suprascritta Ecclesia pertinent, aut pertinentes erunt, neque tollere, neque minuare, neque commutare, neque per libellum facere, neque in Beneficio dare, neque per nullum ingenium ab ordine Canonicorum alienare. Ego qui supra Opitio Episcopus reservo in mea pote-

(1) Vir immortalis Muratorius *T. V. Antiquit. Ital. medii aevi Dissert. 62. col. 204.* ait: *non unis tantum in Urbibus, sed etiam in ruralibus Ecclesiis, hoc est intra Castella, antiquitus inspicere erat instituta Canonicorum Collegia.* Ad hoc ostendendum in medium adducit quasdam tabulas, quibus probatur hujusmodi Collegia in Dioecesi Mutinensi olim fuisse. Ex tabulis nostris liquet extitisse etiam in hac Dioecesi.

poteſtate, meorumque ſucceſſorum malos Prepoſitos eiciendos, & bonos mittendos cum conſilio, & voluntate Fratrum ſecundum regulam Canonicorum. Et ſi ego qui ſupra Opitio Epiſcopus, vel meos ſucceſſores contra hanc paginam offertionis venire quocunque tempore temptaverimus, aut eam infrangere, vel diſrumpere queſierimus, & ſi non permanemus, ſicut ſupra legitur, tunc ſim compoſiturus ego qui ſupra Opizo Epiſcopus vel mei ſucceſſores vobis qui ſupra Petrus Prepoſitus, ſeu Bonitio germani, & Stephano, atque Andrea Presbyteri, vel a poſteriſque ſubceßoribus veſtris parti ſupraſcritte Eccleſie, & Plebi Sancte Marie, & Sancti Michaelis, & Sancti Johannis Baptiſte penam auri optimi libras centum, & poſt penam datam hanc cartulam offerſionis omni tempore in ſua permaneat firmitate, & robore ſub ſupraſcripta pena obligationem, & infra habeat maledictionem Omnipotentis Dei, ejuſque Genitricis cum omnibus Sanctis, & Sancte, qui hoc infrangere queſierit, ſi ut Rex, aut Dux, ſeu Marchio . . . . aut Epiſcopus, ſive Vicecomes, aut ulla alia humana perſona. Si quis autem noſtre conſtitutionis paginam ſciens temere contra eam venire temptaverit, & ammonitus ſecundo, tertiove ſine ſatisfactione digna emendaverit, ſciat ſe reum de perpetua . . . . . nec vivus munera capiat, nec mortuus ſepulturam habeat.

Anc enim cartula offerſionis mee Raineri Notarius Domini Imperatoris a conſcribendum dedi, atque rogavi, in qua etiam ſubter confirmantes teſtibus optuli ad roborandum. Actum Piſe.

Ego Oppizo Piſſenſis Epiſcopus in hac offerſionis cartula a me facta ſubſcripſi, & manu propria confirmavi.
Ego Leo Judex Domini Imperatoris ſubſcripſi.
Vvido Notarius Domini Imperatoris rogatus teſtis ſubſcripſi.
Ego Leo Judex Domini Imperatoris.
Signum manus Lamberti filio bone memorie Rodolandi teſtis.

Ego

Ego Lambertus Judex Sacri Palatii subscripsi.
Signum manus Gerardi Vicedominus filio bone memorie Ildebrandi testis.
Ego Rainerius Notarius Domini Imperatoris post tradita m complevi, & dedi.

IV.

Ecclesia Pisana Episcopatum cum omni jure Landulpho confirmat, & tam ea, quæ antiquitus collata sunt, quam quæ modo a Mathilde, & quæ in futurum ab aliis conferentur, concedit. Vicem suam ei, atque successoribus committit in Insula Corsica, & pro labore, quem primus in ea restituenda ad Ecclesiæ Romanæ dominium suscipiet, medietatem, duobus verò eius successoribus quartam partem omnium redituum largitur; arces tamen sub ditione Romanæ Ecclesiæ reservat, quorum custodes illis, si necessitas exegerit, vult obedire.

Ex libro 6. epistolarum Gregorii num. 12. apud Labbeum T. XII. Conciliorum col. 435. edit. Coleti.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo Fratri Landulpho Pisano, suisque successoribus. Superna miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiæ curam suscepimus, & Apostolici moderaminis solicitudinem Anno 1078.

gerimus, ut justis precantium votis attenta benignitate faveamus, & libramine æquitatis omnibus in necessitate positis, quantum Deo donante possumus, subvenire debeamus. Unde postulante te, frater Landulphe, ut Ecclesiam, cui Deo volente praeſſe dignosceris, ejusque bona ab adversariorum impetu, & infestatione nostræ Apostolicæ auctoritatis munimine tueremur; inclinati justis precibus tuis concessione præsentis privilegii confirmamus tibi Episcopatum prædictæ Pisanæ Ecclesiæ cum omni jure, suisque pertinentiis. Et quia Pisana Ecclesia, quæ in præficiendis sibi Pastoribus a constitutionibus Sanctorum Patrum deviaverat, tandem pro restitutione antiquæ libertatis suæ salubre consilium Matris suæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ suscepit, ita ut te non aliunde, sed per ostium, quod Christus est, intrantem, gaudeat nobis ordinantibus habere Pastorem, indulgemus, concedimus, atque firmamus sibi tam ea, quæ ab antiquis temporibus justè collata sunt, quam ea, quæ divina pietate per Serenissimam filiam nostram Mathildem pro remedio animæ Matris suæ in eadem Ecclesia sepultæ concedere dignata est, videlicet locum, qui dicitur Schannellum cum Castellis, & pertinentiis suis, & alia, quæ in futurum, Deo auctore, a fidelibus legaliter conferenda sunt. Præterea fidei, & religionis tuæ gratum in te fructum exuberare cognoscentes, committimus tibi, tuisque successoribus vicem nostram in Corsica Insula: si tamen ipsi consensu Romani Pontificis, & electione Pisani populi ita canonicè intraverint, sicut te constat intraſſe: ut secundum, quod Deus tibi tradidit, quæ ad Christianam religionem pertinere videntur vigilanti studio Episcopos, Clericos, populumque ejusdem Insulæ doceas, atque morum honestate confirmes juxta Propheticum sermonem ut evellas, & destruas, ædifices, & plantes (*Jeremiæ capite* 1.) *Quæ nimirum Insula a jure, & dominio Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per quorundam pravorum hominum invasionem subtracta, ut prudentia tua studio exclusis invasoribus secundum antiquum morem ad dominium ejusdem Roma-*

na

næ Ecclesiæ revocetur, concedimus tibi, per quem Pisana Ecclesia ad antiquum sui decorem reducta est, & qui prius in restitutione prædictæ Insulæ elaboraturus es, medietatem omnium redituum, & totius precii medietatem, quæ de placitis acquiretur: duobus verò successoribus tuis quartam partem redituum, & totius precii quæ de placitis acquiretur. Ita tamen ut arces, & quæque munita loca per te acquirenda in potestate nostra, & successorum nostrorum permaneant, eo tenore, ut si necessitas exegerit, custodes eorundem locorum tibi, successoribusque tuis, salvo jure, & honore Romanæ Ecclesiæ obediant. Dignum quippe est, ut si ad imperium, & consensum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ pastoralem secundum Dominum susceperint dignitatem, habeant ex largitione Apostolicæ Sedis temporalium rerum sustentationem, & decorem. Hoc etiam addendum esse censuimus, ut in agendis placitis Nuntius noster semper intersit.

Actum Romæ 2. calendas Decembris Indictione 2.

V.

Litteræ Urbani Papæ II. ad Vallisumbrosæ, & Camalduli Priores, ne a communione Pisani Episcopi se alienent.

Ex P. Soldanio Quaestione Vallumbrosana 11. pag. 144. & ex T. III. Annalium Camaldulensium in Appendice Monumentorum num. 64.

URbanus Episcopus servus servorum Dei Venerabilibus in Christo filiis R. Vallumbrosano, M. Camaldulensi, & Congregationibus eorum regimini commissis salutem, & Apostolicam benedictionem. Religionis vestræ zelum meritò collaudamus, & gratias agimus, quia contra simoniacam pra-

Anno circiter 1089.

pravitatem immenso fervore ardetis, & alios etiam ardere compellitis. Illud autem in vobis miramur quod contra Sanctorum Patrum constitutiones ante probatam rem, ante negotium definitum sanctitatem vestram a communione confratris nostri Pisani Antistitis suspenditis. Neque enim vos decet assidue divinis vacantes servitiis aliter agere, quam divinis instruimini disciplinis; ipse quippe occultorum cognitor Deus Sodomorum mala noluit audita judicare, priusquam manifestè, quæ dicebantur, agnosceret: descendam, ait, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint; unde Beatus Martyr, & Pontifex Evaristus ait: mala audita nullum moveant, nec passim dicta absque certa probatione quisque unquam credat, sed ante audita diligenter inquirat, ne precipitando quis aliquid agat. Si enim Deus omnium Sodomorum mala, quorum clamor pervenerat usque ad Cœlum, omnia sciens, nec credere prius, nec judicare voluit, quam ipse ea cum fidelibus testibus diligenter investigans, quæ audierat ex opere veraciter cognosceret, multo magis nos humani, & peccatores, quibus incognita sunt occulta judicia Dei, hæc præcaventes, nullum ante veram, justamque probationem judicare, aut damnare debemus, manifestè Apostolo dicente: tu quis es, qui judicas alienum servum? suo domino stat, aut cadit. Quod capitulum Apostoli Beatus Augustinus exponens ait: noluit enim hominem ab homine judicari, ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario usurpato judicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ, sive ultro confessum, sive accusatum, atque convictum; alioquin illud cur dixit: si quis frater nominatur aut fornicator, aut idolis serviens &c., nisi quia eam nominationem intelligi voluit, quæ fit in quemquam, cum sententia ordine judiciario, atque integritate profertur? Nam si nominatio sufficit, multi damnandi sunt innocentes, quia sæpe falso in quoquam crimine nominatur. Decuit ergo vos die, ac nocte in lege Domini meditantes ista, & hujusmodi plura observasse, nec ante legiti-

gitimam discussionem, aut a communione vos Pisani Antistitis subtraxisse, aut tanta eum infamia denotasse. Quia tamen vos ex Religionis meritò veneramur, & ex amore justitiæ id egisse credimus, vestræ in hoc simplicitati benignitate Apostolica parcimus; maximè cum in literis vestris alios hujus criminationis auctores ostenderitis, ut vos ab ejus intentione removeretis. Rogamus autem vos, & tanquam obedientiæ filiis præcipimus, ut eos nobis ex nomine designare curetis, quatenus auctore Deo, accusatoribus cognitis, infamia hæc aut comprobetur canonice, aut removeatur. Præterea notum vobis volumus ipsos jamdudum a nobis per communes Pisani populi litteras evocatos. Si ergo necdum venire cœperunt, vos eos vice nostra, ut ad nos veniant, per Apostolicæ Sedis obedientiam admonete, & ne forte caussentur ad priorem terminum non posse occurrere, usque ad proximam Beatæ Mariæ inducias protelamus; quod si vel tunc venire contempserint, canonica se noverint ultione plectendos. Si autem illi venerint, omnino volumus, ut ex vobis duos, vel tres ad hujus rei diffinitionem perspiciendam cum eis pariter ante nostram præsentiam dirigatis. Interim vos a confratris nostri diffamatione desistite, & ejus communionem nullo modo recusate. Quicumque etiam vestrum in Pisanæ Ecclesiæ Diœcesi commorantur, debitam ei obedientiam impendere non recusent. De cetero obsecramus, ut vestris nos apud omnipotentem Deum orationibus commendetis.

Data Troiæ 2. idus Julii (1).

VI.

(1) Has litteras, in quibus annus desideratur, scriptas fuisse anno circiter 1089. ostendi *pag. 176. nota 2.*

VI.

Corsicæ Insulam locat Ecclesiæ Pisanæ quinquaginta libris Lucensibus ab ejus Antistite quotannis Palatio Lateranensi solvendis.

Ex laudato Archivo, in quo sunt multa exemplaria authentica exscripta ex libro privilegiorum Archiepiscopatus Pisani olim in citato Archivo servato, & ex Tabulario Florentino Reformationum: ex Ughellio in Episcopis Pisanis col. 369. ex Paullo Troncio, Flaminio dal Borgo, aliisque.

Anno 1091. *Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto Fratri Daiberto Pisanorum Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Cum omnes Insulæ secundum statuta legalia Juris publici habeantur, constat etiam eas religiosi Imperatoris Constantini liberalitate, ac privilegio in Beati Petri, Vicariorumque ejus jus proprium esse collatas. Intercidentibus autem plurimis divinorum* (1) *dispositione judiciorum calamitatibus proprietatis hujus in quibusdam passa est Ecclesia Romana jacturam. Ceterum & Canonicis, & Legalibus institutis Romanæ dignitatis proprietas non prolixitate temporum, non divisione Regnorum, ulla diuturnitate possessionis excluditur. Licet igitur annis plurimis Romana Ecclesia Corsicæ possessione caruerit, prædecessoris tamen nostri Gregorii septimi tempore in ejusdem jus noscitur, auctore Domino, rediisse. Nos itaque* (2) *dilectissimi filii* (3) *nostri Daiberti Pisanorum Episcopi, ac nobilium Civium, carissimæ quoque* (4) *Beati Petri filiæ Matildis* Co-

(1) Troncius, Ughellius, & Flaminius dal Borgo *divina*.
(2) Iidem *igitur*.
(3) Troncius, & Ughellius *Fratris*. (4) *Et carissima*.

Comitissæ postulationibus inclinati, quia multis (1) jamdudum obsequiis Pisanorum gloriosa nobilitas Romanam sibi Ecclesiam fecit obnoxiam, prædictam Insulam vice nostra Pisanæ Ecclesiæ consilio Clericorum, Cardinalium, aliorumque nostrorum fidelium committimus, & condonamus; ita videlicet, ut quandiu eadem Pisanorum Civitas Episcopum non invasione tyrannica, sed Cleri, ac populi electione canonica per Romani Pontificis manus acceperit, quemadmodum Landulfum, Girardum (2), & te carissime frater Daiberte accepisse dignoscitur, & quamdiu in ea, quam hodie exhibet Ecclesiæ Romanæ fidelitate præstiterit, hujus nostræ donationis, locationisve gratia perfungatur: ea scilicet conditione intersita (3), ut per annos singulos Lucanæ monetæ libras quinquaginta Lateranensi Palatio remota qualibet occasione persolvat. Hujus ergo nostræ locationis tenorem inconcussum omnino manere nostra Apostolica auctoritate sancimus quamdiu & ipsi præscripta fidelitatis, pensionisque tenorem debita devotione servaverint. Quocirca successores nostros rogamus, ut tam pro Beatæ Mariæ semper Virginis reverentia, quam pro nobilissimæ Pisanorum Civitatis amore, ac familiaritate eandem dilectionem (4), eandemque honorificentiam Pisanæ Ecclesiæ semper impendant: rogamus & Daiberti præsentis Episcopos successores, & universos Pisanæ urbis Cives post præsentia tempora successuros, ut eandem fidelitatem, eandemque devotionem Romanæ Ecclesiæ semper exhibeant, ut firma inter utrosque fides, firma benignitas, amicitiaque, Domino annuente, permaneat.

Datum Beneventi quarto calend. Julii per manus Johannis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis Indict. XIIII. anno Dominicæ Incarnationis MXCI. Pontificatus autem domini Urbani Papæ II. quarto.

VII.

(1) *Multum.*
(2) Ughellius *Gerardum*, Troncius & dal Borgo *Giraldum*.
(3) Omnes habent *interposita*.
(4) Ughellius omittit *eandem dilectionem*.

VII.

Ut gratiam referat Daimberto, aliisque Civibus Pisanis de Romana Ecclesia optimè meritis, Antistitem Pisanum Metropolitana dignitate exornat, eique subiicit Insulæ Corsicæ Episcopos.

Ex eodem Archivo, ex Joanne Christiano Lunig T. III. Codicis Italiæ Diplomatici cap. 3. num. 6. col. 1465. & ex Auctoribus antea memoratis.

Anno 1092. *URbanus Episcopus servus servorum Dei dilecto in Christo Fratri Daiberto Pisanorum Episcopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Cum universis Sanctæ Ecclesiæ filiis ex Apostolicæ Sedis auctoritate, ac benevolentia* (1) *debitores* (2) *existamus, illis tamen locis, atque personis, quæ specialius, ac familiarius Romanæ adhærent Ecclesiæ, quæque ampliorem ejus gratiam obedientia gratiori, officiis frequentioribus, & auxiliis amplioribus promerentur, propensiori nos convenit charitatis studio imminere: Ipse enim per Prophetam Dominus ait:* honorificantes me honorificabo; *Discipulis quoque suis angustiarum, quas pro eo pertulerant retributionem promittens dixit:* vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit Pater meus Regnum. *Quia igitur in tanta, tamque diuturna schismaticorum tempestate Pisanorum gloriosa Civitas multis jamdudum laboribus, & obsequiis Sanctam Romanam, & Apo-*

Sto-

(1) Ughellius, & dal Borgo *ob benevolentiam*.
(2) Ughellius addit *nos*.

stolicam Ecclesiam sibi fecit obnoxiam; tua quoque fraternitas divinae (1) *charitatis ardore succensa ob ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae libertatem non solum impendit, sed & ipsa superimpendi parata est, & nostris laboribus cooperata, multisque modis tribulationum particeps effecta, nos praestante* (2) *Domino beneficiorum tantorum* (3) *meritis respondere curamus, ut sicut nos praeteritorum memores sumus, ita & ipsi tantae gratiae favore donati futuris temporibus Sanctae Romanae Ecclesiae fideliores, ac devotiores existant; & benigniori Matri gratiores filii* (4) *semper amando* (5), *adiuvando, obsequendo respondeant. Divinae siquidem majestatis dispositio Pisanae Urbis gloriam nostris temporibus & Saracenorum triumphis illustrare, & plurimis* (6) *saecularium rerum provectibus promovere, &* (7) *prae Comprovincialibus exaltare dignata est. Eapropter & nos Divinae pietatis prosecutores, & cooperatores eam in spiritualibus quoque glorificare decrevimus, sicut praedecessores nostros multis Civitatibus olim fecisse, Scriptorum Ecclesiasticorum testimoniis approbatur* (8). *Consilio itaque confratrum nostrorum Episcoporum, Presbyterorum, ac Diaconorum Cardinalium, aliorumque nostrorum fidelium assensu, immò & precibus incitati carissimae quoque B. Petri filiae Matildis Comitissae, quae se extremis quibusque pro causa Apostolicae Sedis exposuit, obnoxius* (9) *postulationibus inclinati; ad honorem Sanctissimae Dominae nostrae Dei Genitricis, & Virginis* (10) *Mariae, Sanctorumque Petri, ac Pauli Apostolorum Principum Corsicanae Insulae Episcopatus regendos, ac disponendos San-*

(1) Ughellius *divino*.
(2) Ughellius *cooperante*.
(3) *Tantorum* deest apud Ughell.
(4) Verba *gratiores filii* omittuntur ab Ughellio.
(5) Ughellius *auxiliando*.
(6) *Plurimis* deest apud Ughell.
(7) Ughell. *ut*.
(8) Ughell. *comprobatur*.
(9) Ughellius *obnixis*, & quidem rectè.
(10) Ughellius omittit *& Virginis*.

ctae Pisanae Ecclesiae, cui auctore Deo, carissime frater Daiberte, praesides praesentis decreti auctoritate committimus, atque subjicimus, teque frater Venerabilis in Archiepiscopum ejusdem Insulae promovemus, idem juris, & idem honoris tuis quoque successoribus perpetuo indulgentes, qui Cleri, ac populi electione legitima per Romani Pontificis manus intraverint, quemadmodum Landulphum, Gerardum, & te ipsum ordinatos esse cognoscitur: Corsicana etenim Insula tam prolixitate spatiorum, quam negligentia Pastorum, tam insolentia Dominorum, quam nostrorum desuetudine Legatorum, multis intervenientibus impedimentis, ab Apostolicae Sedis obedientia, ac devotione deferbuit, & dissolutioni, ac dissipationi dedita Ecclesiastici ordinis pene deseruit disciplinam, quam tua, tuorumque successorum vigilantia, quia & illis vicinior, & Sedi Apostolicae familiarior es in justitiae regulam, & Christianitatis vigorem, annuente Domino, reformari optamus, atque praecipimus. Unde frater in Christo carissime vestrae (1) dispositioni, procurationique committimus Ecclesiarum illarum bona secundum Deum regenda, defendenda, & quae male distracta (2), & illicite usurpata reperitis in usus Ecclesiasticos restituenda, & auctore Deo per vos potissimum (3) illic Ecclesiasticae religionis disciplina referveat. Palleum igitur fraternitati tuae, plenitudinem videlicet Pontificalis officii ex Apostolicae Sedis liberalitate concedimus, quo intra Ecclesiam (4) tantum ad Missarum celebranda solemnia tibi, ac successoribus tuis uti licebit, his tantum, qui subscripti sunt diebus solemnibus, idest Nativitate Domini, Epiphania, Ypopanton, Coena Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus solemnitatibus Beatae Dei Genitricis, & Virginis Mariae, Nataliciis Sancti Joan-

(1) Ughellius addit *jurisdictioni*.
(2) Ughellius *destructa*.
(3) *Per vos potissimum* non habet Ughellius.
(4) Ughellius *quo jure Ecclesiastico tantum &c.*

Joannis Baptistae, & Sanctorum Apostolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, Consecratione Basilicarum (1), *& Suffraganeorum Episcoporum, ac Clericorum, & annuo Natalitii tui die; in solemnitate etiam Beati Martyris, atque Pontificis Sixti, cujus indumenti honor efficaci actuum vivacitate servandus est: ejus ergo te volumus per omnia genium vendicare; hujus enim indumenti honor humilitas, atque justitia est. Tota igitur mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, & in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium. Nullius unquam faciem contra veritatem recipiens; nullius unquam* (2) *faciem pro veritate loquentem premens; misericordiae operibus juxta virtutem substantiae insistens, & tamen insistere etiam supra virtutem cupiens; infirmis compatiens, benevalentibus congaudens, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans; in corrigendis vitiis serviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens; in ira judicium* (3) *sine ira tenens; in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens* (4). *Haec est, frater carissime, Pallei accepti dignitas, quam si sollicitè servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.*

Datum Anagnae per manus Johannis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis undecimo calend. Maji Indict. quintadecima anno Dominicae Incarnationis MXCII. Pontificatus verò Domini Urbani II. Papae anno V.

(1) Ughellius *Basilicae*.
(2) Apud Ughellium desunt haec verba *faciem contra veritatem respiciens: nullius unquam*.
(3) Ughellius *in iracundia animi sine &c.*
(4) Verba *in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens* desiderantur apud Ughellium, & Flaminium dal Borgo.

VIII.

Potestatem consecrandi Episcopos totius Insulae Corsicae, quam Urbanus II. Pontificibus Pisanis permiserat, quamque ipsis confirmaverat Gelasius II., & Callistus ipse, aufert, ac praecipit, ut imposterum a solo Romano Pontifice consecrationem illi accipiant.

Ex Archivo Ecclesiae Genuensis apud Ughellium T. IV. in Episcopis Genuensibus n. 24., & apud Labbeum T. XII. Conciliorum col. 1323.

Anno 1121. *CAllistus Episcopus servus servorum Dei, dilectis fratribus, & Coepiscopis per Insulam Corsicae constitutis, eorumque successoribus in perpetuum. Nec facilitati, nec iniustitiae deputandum est, si quandoque pro rerum necessitate diverso licet modo aliqua disponantur. Romana enim Ecclesia omnium mater, & caput ab ipso capite nostro Domino Jesu Christo constituta Ecclesiarum omnium, & populorum paci, & saluti debet dispensationis suae moderamine providere. Quamobrem nos, qui licet indigni Domino disponente Apostolicae administrationis curam gerimus, quae vel a nobis, vel a praedecessoribus nostris minori cautela, & consilio facta sunt, ne forte aliis exemplum obstinatè praebeamus in statum decrevimus meliorem per Dei gratiam reformare. Felicis siquidem memoriae dominus praedecessor noster Urbanus Papa multis, & gravioribus necessitatibus coarctatus pro dilectione, atque servitio a Pisana Ecclesia, & Civitate Romanae Ecclesiae abundanter, ac frequenter impenso, eandem Ecclesiam ex liberalitate Sedis Apostolicae di-*

disposuit honorare; unde consecrationem Episcoporum Corsicanae Insulae Pisano Antistiti collata Pallii dignitate concessit. Super qua nimirum concessione inter Pisanos, & Januenses gravis oriebatur dissensio. Ipsi etiam Corsicani Episcopi ad Pisani Antistitis consecrationem accedere penitus recusabant. Hac profecto discordia praedictus dominus Urbanus Papa vehementer timens, & gentis vestrae lamentationi, quae diu Episcopalis officii administratione caruerat, debita benignitate compatiens, eorumdem Episcoporum consecrationem ad Romanum Pontificem revocavit, & in sua potestate retinuit, & ex tunc toto tam ipsius, quam successoris sui sanctae memoriae Paschalis Papae II. Corsicani Episcopi a Romano tamen Pontifice consecrati sunt, licet Pisanus saepe numero ejusdem domini Paschalis Papae aures pro negotio isto pulsaverit. Postea vero piae recordationis Papa Gelasius pari, ac majore etiam necessitate compulsus, & ab eisdem Pisanis expetitus praedicti Pontificis Urbani statuta concessionis suae privilegio renovavit (1). *Cujus nos vestigia subsecuti cum ad Pisanam Ecclesiam convenissemus, devotionem populi, & Cleri attendentes, & eorum petitioni clementius annuentes idipsum favoris nostri assertione firmavimus* (2). *Unde tanta inter Pisanos, & Januenses crevit discordia, ut depraedationes, & bella, & multa sanguinis effusio facta sint. Hujus quippe occasione discordiae tanta Saracenis accessit audacia, ut Italiae fines totius invadentes, nonnulla in maritimis loca gladio, & igne vastaverint, multosque viros, mulieres, & parvulos captivos adduxerint. In ipsa etiam Urbe Romana tam Cleri, & populi turbatio facta est, adeo ut ante ipsum B. Petri corpus in pleno, quem celebravimus, conventu hujus rei revocationem pene omnis Clerus, & populus postularent, eo quod Romana Ecclesia detrimentum in praedictorum Episcopatuum amis-*

(1) Litterae Gelasii, quibus is anno 1118. privilegia concessa Pisano ab Urbano II. confirmavit, desiderantur.

(2) Anno 1120., sed Gelasii litterae hac de re desunt.

amissione patiebatur, & totius scandali, & guerrae causa, & seminarium videbatur. In eodem etiam conventu Clerici, & Laici ejusdem Insulae cum litteris affuere idipsum a nobis suppliciter postulantes. Causa igitur inter fratres diebus plurimis ventilata, diligenterque discussa communi Episcoporum, Cardinalium, & Clericorum, atque Nobilium Romanorum deliberatione cum non parvo populi favore sancitum es, concessionem illam non debere imposterum efficaciam obtinere, quia & ad Romanae Ecclesiae detrimentum extra Urbem cum paucis facta fuerat, & multa inde, ut dictum est, scandala, & pericula procedebant. Ad honorem igitur Omnipotentis Dei, & Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli cum Episcoporum, Cardinalium, & Clericorum conventu Apostolica auctoritate statuimus, ut Consecratio Episcoporum Corsicanae Insulae a Romano tantum Pontifice futuris temporibus celebretur. Probibentes vos, ac successores vestros vel Pisanis, vel cuilibet alii Episcopo, vel Archiepiscopo subiacere, sed solius Romani Pontificis obedientia, & subiectione, atque consecratione in perpetuum maneatis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, saecularisque persona hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit secundo, tertiove commonita, si non satisfactione emendaverit, potestatis, honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a Sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei, & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni anathematis subiaceat. Cunctis autem eandem constitutionem servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonae actionis percipiant, & apud districtum Judicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen, amen, amen.

Scriptum per manus Gervasii Regionarii, & Notarii Sacri Palatii.

Ego Callistus Catholicae Ecclesiae Episcopus. Post nomina verò multorum S. R. E. Cardinalium, sic legitur.

Da-

Datum Laterani per manum Chrysogoni Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii 3. nonas Januarii Indict. 14. Incarnat. Domini anno 1121. Pontific. autem domini Callisti II. anno 2.

IX.

Cum primum Callisti decretum de Consecrationibus Episcoporum Corsicae non amplius ab Archiepiscopo Pisano, sed a solo Romano Pontifice faciendis executioni mandatum non fuisset, Callistus ipse denuò idipsum statuit in Concilio Romae celebrato.

Ex eodem Ecclesiae Genuensis Archivo apud Auctores citatos.

CAllistus Episcopus servus servorum Dei dilectis fratribus, & Coepiscopis per Insulam Corsicae constitutis, eorumque successoribus in perpetuum. Quot mutationes, quot scripta inter se diversa de vestris facta sint Consecrationibus, tota jam penè cognovit Europa; unde peccatis existentibus multa scandala, multae caedes, & rapinae, multa etiam homicidia, atque perjuria provenerunt. Quamobrem Romana Ecclesia levitatis, & inconstantiae a compluribus arguebatur, eo quod ipsa discordiae hujus seminarium, & occasio videbatur. Nos itaque in praeterito, quod nuper celebravimus Laterani Concilio totius negotii hujus seriem coram universis fratribus, qui nobiscum aderant, exposuimus, videlicet quoniam felicis memoriae praedecessor noster Papa Urbanus necessitate quadam compulsus Corsicanorum Episcoporum Consecrationem per privilegium suum An- Anno 1123.

tistiti

tistiti Pisano concessit; qui tamen postmodum & Romanae Ecclesiae scandalum pertimescens, & gravem inter Pisanos, & Jannenses oriri discordiam videns, concessionem ipsam mutavit, & antecessores vestros, sicut moris fuerat, suis manibus consecravit. Post hunc piae recordationis dominus Papa Paschalis quamquam in multas, & gravissimas devenisset necessitates, nullis tamen precibus, aut promissionibus ad hoc induci potuit, ut praedictas Pisanis firmaret concessiones, sed praedecessorum vestrorum consecrationes Romanae Ecclesiae conservavit. Cujus successor Papa Gelasius majori, & graviori necessitate Romam exire coactus transmontanas partes navigio adeundo, privilegium idem, quod a domino Papa Urbano de consecratione vestra Pisanis collatum fuerat cum Pisas venisset, renovavit. Quod tamen postmodum eandem Pisanorum, & Jannensium perturbationem prospiciens annullavit. Nos etiam, qui eorum loco, imo Beati Petri, licet indigni successimus de ultramontanis partibus ad urbem accelerantes Pisas devenimus, ubi eorumdem praedecessorum nostrorum Urbani, & Gelasii vestigia subsecuti, ejusdem populi precibus, ac devotione devicti, eandem innovavimus concessionem. Cum vero ad urbem per Dei gratiam venissemus de facto non ..... Cleri, & populi commotionem invenimus, eo quod in concessione illa, quae extra urbem, & cum paucis facta fuerat, Romana Ecclesia diminutionem patiebatur, & totius discordiae, ut dictum est, ministrare fomitem videbatur. Nos itaque post multam, & diutinam deliberationem, communicato consilio cum fratribus nostris Episcopis, & Cardinalibus, atque Nobilibus Romanorum, nec non multa Cleri, & populi multitudine, easdem evacuavimus concessiones, & vobis, ac successoribus vestris Apostolicae Sedis privilegio antequam restituimus libertatem, & fratrem nostrum Sagonensem Episcopum (1) *no-*

stris

(1) Hic Episcopus a Callisto consecratus, cujus nomen ignoratur, praetermittitur ab Ughellio *T. III. Ital. Sacr. col.* 516., qui Antistitum Sagonensium catalogum exorditur ab Episcopo N. in Actis Concilii Lateranensis anni 1179. memorato.

stris tamquam B. Petri manibus consecravimus, quae tandem scripta ab Apostolica Sede utrique parti collata in praesentia Pisanorum, & Januensium, quos pro ejusdem negotii deffinitione ad Concilium vocaveramus, coram universis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, ac reliqua Cleri, & populi multitudine fecimus recitare, & factum nostrum, de quo nulli mortalium judicare concessum est, fratrum nostrorum consilio, & judicio commisimus finiendum. Ex quibus electi sunt judices, qui omni videbantur suspicione carere, quorum nomina sunt haec, Patriarcha Veneticus, Viennensis, Ravennatensis, Capuanus, Salernitanus, Narbonensis, Sypontinus, Panormitanus, Barensis, Neapolitanus, Tarraconensis, Senonensis, Burdegalensis Archiepiscopi, Episcopi Vivariensis, Trojanus, Magalanensis, Astensis, & alii complures, qui in partem Lateranensis Palatii secedentes, & causam totam utrinque diligentius indagantes, post multam deliberationem, & consilium communi assensu, & privilegia super hoc Ecclesiae Pisanae collata cassari, & ultimum, quod Corsicanus Episcopus a nobis ad aliorum correptionem, & ad B. Petri patrimonium recuperandum factum fuerat, proprium obtinere robur debere dixerunt. Quod consilium venerabilis frater noster Vvalterius Ravennas Archiepiscopus vice Judicum electorum nobis, & reliquis fratribus recitavit, idem Concilium asseverans vim obtinere judicii. Porro nos quod a praenominatis fratribus deliberatum fuerat, in novissimo Concilii die coram universa Synodo recitari praecepimus. Cumque ab omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, & reliqua Cleri, & populi multitudine placere sibi frequenter acclamatum fuisset, nos cognita eorum sententia, & Cleri, & populi Romani voluntate perspecta Sancti Spiritus censura, & auctoritate Apostolica scripta de vestra conseeratione Pisanae Ecclesiae collata damnavimus, & quod a nobis de vestra libertate statutum fuerat, eadem auctoritate firmavimus: Pisanis perpetuum super hoc silentium sub anathematis vinculo imponentes Si qua igitur &c. ut in praecedentibus litteris.

Ego Callistus Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Ego Robertus Cardinalis &c.

Datum Laterani per manum Guidonis Romanae Curiae Camerarii 8. idus Aprilis Indict. 1. Incarnationis Dominicae anno 1123. Pontificatus autem Domini Callisti II. Papae anno 5.

X.

Privilegia Pontifici Pisano ab Urbano II. concessa, & a Gelasio II. confirmata, eique postea a Callisto II. adempta, denuo restituit.

Ex apographis in Archivo secreto Archiepiscopatus Pisani, ex Lunig op. citato num. 7. col. 1467., ex Troncio, Ughellio, & aliis.

Anno 1126. HOnorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Rogerio Pisano Archiepiscopo, eiusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Ad hoc in Sancta Matre Catholica, & universali Romana Ecclesia, quae justitiae sedes est, nos auctore omnium bonorum Deo cognoscimus constitutos, ut suam Ecclesiis omnibus (1) justitiam conservemus, & si quid propterea (2) gestum esse noverimus rationis consilio ad rectitudinis tramitem reducamus, quatenus & quae corrigenda sunt, ordine judiciario corrigantur, & quae recte statuta noscuntur, in sui vigoris robore perseverent. Praedecessor equidem noster Sanctae memoriae Urbanus Papa justitiae, & charitatis intuitu consilio Episcoporum, & Cardinalium, & aliorum fidelium assensu Pisanae

(1) Lunig *Ecclesiis tibi justitiam*,

(2) Melius *perperam*, ut habet Ughellius.

sanctae Ecclesiae, & Daiberto, qui ei praesidebat, ejusque successoribus canonice intrantibus, Corsicanae Insulae Episcopatus regendos, & disponendos commisit, atque subiecit, eundemque Daibertum in Archiepiscopum Insulae Corsicanae promovit, & Corsicanis Episcopis, ut ei tanquam Metropolitano suo obedirent pro obedientia (1) *praecepit. In magna namque, & diuturna schismaticorum tempestate, quam Romana tunc temporis patiebatur Ecclesia, Pisanorum Civitas multis laboribus fecit obnoxia* (2): *Corsicana verò tam prolixitate spatiorum, quam negligentia Pastorum, Dominorum insolentia, & desuetudine Legatorum Sedis Apostolicae a subiectione, & obedientia Romanae Ecclesiae deferbuerat, & dissolutioni, ac dissipationi dedita Ecclesiastici ordinis penè deseruerat disciplinam: proinde idem praedecessor noster tot a Pisanis collatorum beneficiorum meritis dignè respondit, & Corsicanae Ecclesiae, quae Pisanis propior est debita charitate providit. Postmodum verò successor ejus PP. Gelasius ejusdem charitatis respectu idem juris, & dignitatis, quod a domino Urbano Papa Pisanae Ecclesiae collatum fuerat auctoritate sui privilegii confirmavit; quo de hac luce assumpto praedecessor noster PP. Calixtus ejusdem rationis consideratione, quod ab antecessoribus ejus Urbano, & Gelasio datum, & confirmatum Pisanae Ecclesiae fuerat privilegii sui munimine roboravit. Januenses autem honori Pisani populi invidentes, & eorum incrementum aequo animo non ferentes, huius rei sumpta occasione guerram contra Pisanos moverunt; unde caedes, incendia, & multae Christianorum captivitates, peccatis exigentibus, contingerunt, & debacchandi* (3) *in Christianos Sarracenis multa crevit audacia. Praeterea Januenses ad Urbem venientes Romanum Clerum, & populum sollicitare attentius studuerunt, suadentes eis magnum esse Romanae Ecclesiae detrimentum, nisi concessa dignitas Pisanae auferretur Ecclesiae. Asserebant*

 enim

(1) Ughell. *per obedientiam*.
(2) Ughellius *obnoxiam*.
(3) Troncius *debaccando*.

enim Romanam Ecclesiam huius guerrae causam, & fomentum existere, & si Corsicanorum Episcoporum consecratio ad proprium dominium Romanae revocaretur Ecclesiae indubitanter inter se, & Pisanos pacem, & concordiam provenire. His ergo causis dominus PP. Calixtus pacis amator inductus donationem illam Pisanae Ecclesiae a suis antecessoribus factam, & a seipso firmatam pacis intuitu revocavit, & scripti sui pagina irritavit. Ceterum neque suis, neque nostris temporibus inter Pisanos, & Januenses est adhuc concordia consecuta. Post commissum verò nobis a Deo Romanae Ecclesiae regimen tu frater Rogeri Pisane Archiepiscope, & Consules ad nos venientes, ut de consecratione Corsicanorum Episcoporum, quae Pisanae Ecclesiae a praedecessoribus nostris Urbano, Gelasio, & Calixto collata fuerat, & sine praecedente ipsorum Pisanorum culpa, & absque judicio ablata, justitiam faceremus, suppliciter rogavistis. Praesentibus etiam Pisanis Januenses ad nostram (1) *postea praesentiam venientes, ut eisdem sacra ablatio a PP. Calixto facta per nos firmaretur, nihilominus postularunt. Nos autem utrosque diligenter ad pacem faciendam monuimus, sed pacem ab eis prece, vel monitis impetrare nequivimus. Januenses enim, qui ad nos venerant, se ad hoc non esse a populo suo missos, neque ejus mandata posse transgredi asserebant. Habito ergo fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium consilio, quod utrosque populos ad pacem cogi ratione deberet, convenimus. Legatum ergo nostrum Comitem tunc Diaconum Cardinalem cum scriptis nostris Januam, & Pisas misimus, praecipientes, ut in manu eius juramento firmarent, se* (2) *de Sacra Corsicae, & guerra usque ad tunc proximum S. Michaelis festum nostris jussionibus obedire. Transacto itaque termino utraque pars ad nostram venit praesentiam. Nos autem diligenti studio ad pacem inter eos statuendam quamvis non profecerimus, laboravimus. Demum cum ab eis quaere-*

(1) Ughellius *ad nostram* omittit.
(2) Ughellius *&*.

reremus, ut juramento firmarent, se nostris obedire mandatis, Januenses se id implere non posse dixerunt, eo quod sui Consulatus terminus esset expletus. Tunc communis deliberatione consilii Pisanorum super hac causa juramentum recepimus, & ne Januenses aliquam rationabilem contra nos occasionem praetenderent, secundum eis, & tertium per nostros Nuntios, & litteras terminum dedimus: qui profecto neque venerunt, neque pro se excusationem canonicam direxerunt. Cum ergo inter Romanam Ecclesiam, & Pisanam quaestio remaneret, & Pisani ad requirendam Ecclesiae suae justitiam non desisterent, fratres nostros Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, qui causam, & modum rei gestae a praedecessore nostro Papa (1) *Calixto plene praenoverant, convocavimus, quibus in Sacro Lateranensi Palatio in nomine Domini congregatis, regesta praedecessorum nostrorum Urbani, Gelasii, & Calixti tradidimus, & quid inde a nobis postquam Apostolicae Sedis onus assumpsimus, factum fuerat, & quantum pro pace inter eos componenda laboraveramus, diligenter ostendimus, rogantes in ea charitate, qua venerant, ut juxta quod eis Sancti Spiritus gratia revelaret, nobis consulerent. Postmodum verò adiurati in fide, quam beato Petro, & Romanae debebant Ecclesiae, responderunt, se nulla alia causa nisi divina charitate ad id, quod dabant consilium, fuisse astrictos: quod nimirum consilium per scriptum propriis roboratum manibus ediderunt; cujus videlicet scripti verba haec sunt: Spiritus Sancti dictante gratia dominus Honorius Sacratissimae, & Apostolicae Sedis Episcopus diversarum Provinciarum Archiepiscopis, & Episcopis, Abatibus quid de negotio Pisanae Ecclesiae justè, canoniceque faciendum foret, petiit consilium, quibus rationabiliter visum est, quatenus & beatae memoriae Urbani, Gelasii, Calixti privilegia, & decreta inconcussa permaneant, & Pisanam Ecclesiam debere restitui Corsicanis Episcopatibus absque judiciario proprio ordine spoliatam, & scripto huic sub-*

(1) Ughell. *Papa* omittit.

subscripserunt Archiepiscopus Gualterius Ravennas, Romoaldus Salernitanus, Otto Capoanus, Rofredus Beneventanus; & Episcopi Guilielmus Urbevetanus, Guido Aretinus, Gregorius Terracinensis, Pandulphus Tianensis, Clarissimus Assisiensis, Robertus Aversanus, Riccardus Cajetanus, Transmundus Signinus, Johannes Calenas, Gualfredus Senensis, Gaufredus Suessanus, Ranulfus Casertanus, Jacob Faventinus, Otto Sotrinus, Petrus Castellanae Civitatis, Benedictus Nepesinus, Ildito Soanensis, Gerardus Ameliensis, Benno Caesenas, & Petrus Tuscanensis; & Abbates S. Laurentii Aversani, Matthaeus, & Johannes Sanctae Sophiae, atque Joannes Camaldulensis Prior. Interfuerunt etiam Episcopi Benedictus Lucanus, Andreas Lunensis, ... landus Massanus (1), *Petrus Clusinus, & Otto Tudertinus. Absentes quoque . . . . ldegarius* (2) *Tarraconae Archiepiscopus, Gualterius Magalonae, & Gotifredus Florentinus Episcopi assensum, & consilium suum per proprias litteras praebuerunt. Praeterea collaterales charissimi nostri Episcopi, & Cardinales in unum convenientes* (3) . . . . . *inter se contulerunt* (4), *& per multas disceptationes, & subtilitates* (5), *ab omnibus per* (6) *unum Diaconum judicatum est, quod PP. Urbano ex auctoritate Romanae Ecclesiae etiam contra voluntatem Episcoporum ipsius Insulae licitum fuerit Pisanum Epi-*

(1) Cum in harum litterarum autographo, quod est in Archivo Florentino *Reformationum*, ex quo illas exscripsisse fatetur Paullus Troncius *Annali Pisani pag.* 61., primae litterae nominis hujus Episcopi lateant sub litura; sive legi nequeant, quod corrosae sint tabulae; idem ipse Troncius, quem sequitur Lunig, rescripsit Bernardum, eumque fecit Ecclesiae Marsorum in Latio Episcopum. Sed revera Antistes in litteris Honorii memoratus vocabatur *Illandus*, ut habet Ughellius in litteris citatis, & antiquum exemplar MS. inter alia privilegia Archiepiscopatus Pisani in hoc secreto Tabulario olim servatum; seu *Rotlandus*, ut dicitur ab eodem Ughellio *in Episcop. Massanis n.* 20.; atque Massae Vetuloniae Antistes erat.

(2) *Oldegarius*, ut legitur in exemplari MS. paullo ante citato.

(3) Ughe.l. *convenientes in Domino*.

(4) Idem *consulere coeperunt*.

(5) Apud Ughellium desunt verba *per multas disceptationes, & subtilitates*.

(6) Ughellius *praeter*.

Episcopum Provisorem, & Metropolitanum Corsicanae Ecclesiae constituere, successoribus autem ipsius domino Gelasio, & domino Calixto ad ipsum itidem licuit suis privilegiis confirmare. Et quia Pisanae Ecclesiae a tot Romanis Pontificibus collata, & confirmata dignitas sine manifesta culpa, & judicio auferri non debuit; iterum judicatum est eandem ei dignitatem debere restitui, & facta de donatione illius Romanorum Pontificum privilegia inconcussa servari. In hoc etiam honoratorum virorum Petri Praefecti, Consulum, & aliorum Romanae Urbis sapientium, atque Nobilium convenit assensus. Nos ergo quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & Abbatibus collaudatum, a Cardinalibus judicatum, & a Baronibus approbatum fuerat justum esse noscentes in conspectu omnium te charissime in Christo frater Rogeri Pisane Archiepiscope de consecratione Episcoporum Corsicanae Insulae per baculum investivimus. Nunc itaque secundum judicium fratrum nostrorum Episcoporum, & Cardinalium, & secundum consilium, & collaudationem Archiepiscoporum, Episcoporum, & Abbatum, & Nobilium Romanorum assensu praedecessorum nostrorum Urbani, Gelasii, & Calixti privilegia Pisanae Ecclesiae facta, & inconvulsa permanere statuimus, & per praesentis privilegii paginam consecrationem Episcoporum Corsicae tibi per te Pisanae Ecclesiae restituimus, item (1) secundum jam dictorum privilegiorum tenore tanquam proprius ejusdem Insulae Metropolitanus Episcopatus, & Episcopos ipsius regendi, ordinandi, consecrandi, atque ad Synodum tam in Metropolitana Pisana Ecclesia, quam in ipsa Insula convocandi ad honorem Dei, & ejusdem Pisanae Ecclesiae habeas potestatem. Pallei verò usum, qui praedecessoribus tuis pro ipsius Insulae praelatione a nostris antecessoribus est concessum, Nos tam tibi, quam tuis decessoribus confirmamus, his videlicet diebus, qui subscripti sunt, idest Nativitate Domini, Epiphania, Ypopanton, Coena Domini, Pascha, Ascensione, Pentecoste, tribus solemni-

(1) Ughell. *quatenus.*

lemnitatibus Beatae Dei Genitricis, & Virginis Mariae, Natalitiis Sancti Johannis Baptistae, & Sanctorum Apostolorum, Commemoratione omnium Sanctorum, Consecratione Basilicarum, Suffraganeorum Episcoporum, & Clericorum, annuo Natalitii tui die, in Festivitate S. Xisti, in Inventione, & Exaltatione Sanctae Crucis, in anniversario Dedicationis Pisanae Ecclesiae, in Festivitate Sanctorum Martyrum Stephani, Laurentii & Effilii (1), *cujus Corpus in eadem Ecclesia requiescit, & in Solemnitate Beatae Agathae Virginis, & Martyris. Sane per Pisanam Parrochiam, & Insulam Corsicanam Crucem ante te, & tuos successores deferri concedimus. Si qua igitur in futurum &c.* ut in primis litteris Callisti II.

Ego Honorius Catholicae Ecclesiae Episcopus SS.

Subscribunt deinde plures S. R. E. Cardinales, & Subdiaconi.

Datum Laterani per manum Amerrici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii XII. calend. Augusti Indict. IV. Incarnationis Dominicae anno MCXXVI. Pontificatus autem Domini Honorii Papae II. anno secundo.

XI.

(1) *Ephisii* ut habent exemplaria edita, & MS. citatum.

XI.

Creat Balduinum Pontificem Pisanum, ejusque successores Metropolitanos Episcopatuum Galtellinensis, Civitatensis, & Populoniensis; nec non Primates in Provincia Turritana Insulae Sardiniae.

Ex Ughellio in Archiepiscopis Pisanis n. 46. col. 389.; ex Paullo Troncio Annali Pisani pag. 72., ex Martinio Theatro Basilicae Pisanae cap. 11. pag. 74. edit. 1705., & ex Juliano Viviano in Praxi Jurispatronatus part. 1. lib. 3. cap. 2. num. 62.

INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Balduino Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè promovendis in perpetuum. Tunc Apostolicae Sedi, & Romanis Pontificibus bonor integrè conservatur, si unicuique Ecclesiae sua dignitas custoditur; Romanae siquidem Ecclesiae consueta benignitas, & discreta humilitas, quos devotos, & mansuetos filios reperit, alios dignitatibus, & honoribus sibi amplius facit obnoxios, alios familiaritatis, & dilectionis praerogativa sublimat. Aequum etenim, & rationabile est, ut quorum beneficia, & obsequia nos suscepisse recolimus, eorum devotioni non mensura pari; nec quantitate aequali, sed ex abundantis gratiae benevolentia libenti animo respondere curemus. Quia igitur de discordia, & guerra, quae inter Pisanam, & Genuensem (1) extitit Civitatem multae hominum clades, & capti- Anno 1138.

(1) Exemplar MS. huius Archivii habet *Januensem*.

ptivitates Christianorum innumerae provenerunt, nos quorum praecipue interest singulorum saluti tam temporaliter, quam spiritualiter paterna sollicitudine providere, pro bono pacis, & recompensatione Episcopatuum, quos utique a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiae Pisanae concessos in Insula Corsicae a praedecessore tuo bonae memoriae fratre nostro Archiepiscopo Uberto accepimus in Gallurìensi (1) *Judicatu duos Episcopatus Galtellinensem videlicet, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum tibi, tuisque successoribus, & per vos Ecclesiae Pisanae concedimus, & Metropolitano* (2) *jure subiicimus; vosque Primatus honore super Turritanam Provinciam decoramus. Legationem quoque Sardiniae a praedecessore nostro Papa Urbano praedecessoribus tuis concessam, tibi tuisque successoribus praesentis scripti pagina roboramus. Denique ut Pisana Civitas, quae favore coelestis Numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum Urbes plurimas subiugavit, amplius honoretur, equo albo cum Nacco* (3) *albo in processionibus utendi, & Crucem, vexillum scilicet Dominicum per subiectas vobis Provincias portandi tibi, tuisque successoribus licentiam damus. Pallei quoque usum fraternitati tuae concedimus, ut videlicet & secundum consuetudinem Pisanae Ecclesiae perfruaris, & in*

Con-

(1) Idem exemplar *Galleticiensi*.

(2) *Metropolitico*.

(3) Ita legitur in duobus exemplaribus MSS. litterarum Eugenii III., Hadriani IV., Alexandri, Lucii, Urbani, Coelestini, Innocentii, & Honorii III. in Archivo secreto Archiepiscopatus Pisani servatis. Sed Lunig *op. cit. num.* 19. *pag.* 1490., & ante ipsum Ughellius *in litteris Innocentii III.* habet *Nivo*, errore, ut arbitror, Typographi; nam *in litteris Innocentii II.* habet *Nocco*. Doctissimus Carolus Dufresnius *in Glossario ad Scriptores mediae, & infimae Latinitatis* verbo *Nactum* asserit, rescribendum esse *Nacto*; atque hoc nomine intelligi *stragulum, quo totus Equus insternitur*, scribit. Nostram tamen lectionem probat immortalis Onuphrius Panvinius *Interpretatione vocum Ecclesiasticarum, quae obscurae, vel barbarae videntur pag.* 387. *in fine Disciplinae Populi Dei &c. edit. Ven.* 1761., ubi etiam quid *Naccus* significet exponit dicens: *pro Nacco intellexerunt veteres Christiani Romani pannum laneum rubrum, quo Equorum sellam, cum Pontifex equitabat, cooperiebant, a verbo graeco Νακος, quod lanam, sive vellus significat, derivatum.*

Consecrationibus trium Episcoporum in Corsica, Aleriensis scilicet, Adiacensis, & Saguntini, ac praedictorum duorum in Sardinia, & Populoniensis Episcopi, quorum Metropolitanus existis. Si qua igitur &c.

Sequuntur nomina Innocentii, multorum Cardinalium, & Subdiaconorum, deinde legitur.

Datum Laterani per manum Aimerici S. R. E. Diaconi Cardinalis, & Cancellarii Kal. Maji, Indict. 1. Incarnat. Domini anno 1138. Pontific. verò Domini Innocentii Papae II. anno nono.

XII.

Balduinus Archiepiscopus elargitur Rolando Canonico Pisano, qui in Cardinalem primò, deinde in Summum Pontificem nomine Alexandri III. electus est, locum quemdam positum prope Ecclesiam majorem, ut in eo domum pro mulieribus pauperibus construere posset.

Ex Archivo laudato T. I. apographorum num. 354.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo quadragesimo quinto tertio decimo calendas Februarii Indictione octava. Quoniam justis petitionibus dari oportet consensus, ideo est Balduinus Dei gratia Sancte Pisane Ecclesie Archiepiscopus precibus tuis venerande frater Rollande Canonice predicte Ecclesie secundum voluntatem Dei consentiens, do, cedo, trado servitutem ad honorem Dei, & domum pauperum mulie- Anno comm. 1145.

rum, quam pro caritate, & pietatis induitu edificare disponis, terram cum muro positam prope dictam Ecclesiam Sancte Marie juxta terram, quam tu qui super Rollande ad honorem Dei, & prefate domus emisti, & terram, que est juxta predictum murum ex partibus Orientis, ubi jam tantum fuit grunda (1), *ut habeas licentiam, & potestatem faciendi ostia in ipso muro, & habendi jus eundi, & redeundi per ipsa ostia ad utilitatem habitantium in ipsa domo, & edificandi in ipso muro, & super ipsum murum ad utilitatem predicte domus, & faciendi grundam foris de ipso muro, ex parte predicte Ecclesie ad utilitatem pauperum. Et si ego, vel mei successores contra hec fecerimus, spondeo ego una cum meis successoribus componere tibi, Rollande, & Rectoribus prefate domus, qui pro tempore ibidem Deo servierint penam argenti optimi libras viginti, ea tamen conditione interposita, si ego, vel mei successores voluerimus ibi abitationem facere, debeamus tibi, vel Rectoribus predicte domus dare recompensationem totius terre Ospitalis in congruo loco ad utilitatem pauperum, & totius edificii, quod ab hodie in antea ibi factum fuerit in laudatione bonorum hominum sine fraude : & in tali ordine hec scribere rogavi Ugonem Notarium Apostolice Sedis. Hactum in Palatio predicti Archiepiscopi.*

† *Ego Balduinus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus subscripsi.*

† *Ego Leo Archipresbyter subscripsi.*

Signa manuum Henrici quondam Gualfredi, Guidonis quondam Carelli, Ildebrandi Scianesi quondam Guidonis, Rainerii quondam Falconis rogatorum testium.

Ego Ugo Notarius Apostolicae Sedis post traditam complevi, & dedi.

† *Ego Guido Subdiaconus, & Canonicus subscripsi.*

XIII.

(1) Latinè *suggrunda*, vel *subgrunda*, est prominentia, & veluti supercilium parietis arcendis pluviis inventum. Vide praeter Jacobum Facciolatum *il Vocabolario degli Accademici della Crusca* verbo *Gronda*.

XIII.

Gratias agit Canonicis Pisanis, quod schisma Ecclesiae Pisanae omni conatu oppugnent. Rogat illos, ut fortius, & validius curent Pseudo-archiepiscopum expellere, verumque Antistitem revocare. Ac praeterea mandat, ut vitent quosdam in schisma lapsos, donec in meliorem frugem sese receperint.

Ex Archivo Capituli Pisani Armario *Lettere* num. 1100., apud Ughellium in Archiepiscopis Pisanis num. 47. col. 403.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Canonicis Pisanis salutem, & Apostolicam benedictionem. Litteras devotionis vestrae solita benignitate recepimus, & quod Catholicam unitatem diligenter, propensiusque foventes, schismaticae pravitatis errorem viriliter impugnatis, & ad revocationem schismaticorum toto studio, & diligentia intenditis, fidei, & fortitudinis vestrae constantiam digne, prout convenit, commendamus, & vobis adepta opportunitate cupimus pro meritis respondere. Rogamus autem universitatem vestram, atque monemus, quatenus sicut bene coepistis ad expulsionem Malincasae, & ad revocationem venerabilis fratris Archiepiscopi vestri modis omnibus laboretis, & totis nisibus intendatis. De cetero illos nimirum lapsos in schismate judicamus, qui juramento, vel fide praestita, oratione, cibo, vel osculo, Anno 1168.

si hoc

si hoc voluntarie fecerint, vel licet primum inviti fecissent, in consuetudinem tamen postea deduxerint, schismaticis communicasse noscuntur, quamvis eos, qui juramentum, aut fidem praestiterint, gravius aliis puniendos fore censeamus. Praeterea cognitio ex litteris vestris, quod praefatus Archiepiscopus Cappellanum de Visignano, qui nefarium illud juramentum praestiterat, absolutum remiserit, & ut A. Priorem Sancti Jacobi, & R. Cappellanum Sanctissimi Salvatoris, qui cum praedicto R. ad execrationem ejus juraverunt, patienter toleraretis, mandaverit, satis doluimus, ac moleste tulimus, ipsique mandavimus, ut nisi in praesentia vestra, vel sua cum vestra tamen conscientia schisma abiuraverint secundum formam, quam vobis praescripsimus, & aliud juramentum praestiterint, quod nostro, vel saltem suo debeant stare mandato, ipsos in priorem sententiam reducere non postponat, ac vobis in his, & in aliis studeat, sicut decet, deferre, & congruè universitatem vestram bonoribus praevenire.

Datum Beneventi (1) *sexto calendas Septembris.*

XIV.

(1) Tametsi hae litterae notis chronologicis careant, nullus tamen dubito, quin scriptae sint mense Augusto anni 1168. Datae enim dicuntur Beneventi, ubi Alexander III. tunc morabatur. Confer Pagium *in vita huius Pontificis num.* 75., ac in his fit mentio de Pseudo-archiepiscopo Benincasa, quem Alexander per contemptum Malincasam vocat, eo anno mense Martio a Guidone Anti-papa Ecclesiae Pisanae praefecto. Vide *hanc Historiam pag.* 231.

XIV.

Jubet, ut quosdam Presbyteros, qui cum obedientiam impendissent Malincasae, postmodum promiserunt Romano Pontifici obtemperare, imposita eis poenitentia, recipiant; & ut Villanum Presbyterum Sancti Jacobi in schismate persistentem excommunicatum denuntient.

Ex eodem Archivo & Armario num. 431., apud Ughellium loco citato.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Canonicis Pisanis salutem & Apostolicam benedictionem. Ex litteris dilectorum filiorum nostrorum Abbatis Sancti Michaelis, & Henrici Monachi Camaldulensis accepimus, quod cum V., & M. Presbyteri minis, & persuasionibus iniquis Malincasae intruso reverentiam, & obedientiam impendissent, postea poenitentia ducti, & reatum suum humiliter recognoscentes in praesentia ejusdem Abbatis spontanea, & libera voluntate jurarunt, quod nostris obedirent mandatis. Unde nos eos ad nostram praesentiam laborantes a sententia fecimus, qua tenebantur, absolvi, & sibi poenitentiam condignam imponi. Ipsos itaque ad vos absolutos remittimus discretioni vestrae per Apostolica scripta mandantes, quatenus si absque interpositione fidei, & juramenti Malincasae reverentiam, & obedientiam, prout asserunt, impenderunt, ipsos usque ad proximum festum Natalis Domini a Missarum celebratione abstinere faciatis, alioquin Anno 1159.

per

per annum abstineant. Verum si facultates Ecclesiarum suarum non sustinent, ut per alios Sacerdotes eis valeant deservire, vos poenitentiae illis impositae, prout vobis visum fuerit, superaddentes, ipsis officium suum restituatis, & quia eis hoc ipsum fuit ad poenam usque ad nos laborare praedictum Abbatem ex parte nostra, & vestra diligenter commoveatis, ut ipsos in plenitudinem beneficii sui recipiat, & benignè, & mansuetè pertractet. De cetero ad discretionis vestrae notitiam volumus pervenire, quod Villanus Presbyter Sancti Jacobi cum ad nos venisset, jurare noluit nostro stare mandato; unde in ea veste, in qua venit, ad propria remeavit; idcirco prudentiae vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem V. tanquam contumacem, superbum, & rebellem publice excommunicatum denuncietis, donec cum litteris vestris ad nostram praesentiam satisfacturus accedat.

Datum Beneventi (1) 2. *idus Junii.*

XV.

(1) Ughellius *loco cit.* has litteras refert post alias duas eiusdem Pontificis, quarum primae datae sunt *Ferentini* 11. *calendas Octobris*, alterae, quas nos paullo post exhibebimus, datae dicuntur *Laterani idibus Maji*. Itaque existimat Ughellius, litteras illas post has duas scriptas esse, quod tamen falsum est. Etenim litterae, quas nunc publicamus, ad annum 1172. referri non possunt, cum Alexander tunc Benevento jam discessisset, sed potius cum eruditissimis Auctoribus Annalium Camaldulensium *T. IV. in Append. n.* 16. *col.* 27. ad annum 1169. sunt referendae, quo Pontifex Beneventi morabatur; quod etiam satis indicant, quae in hisce litteris leguntur, si cum iis conferantur, quae in prioribus litteris Alexandri habentur. Aliae verò duae postea scriptae sunt; priores scilicet anno 1171., quo Ferentini erat Alexander; posteriores anno sequenti, quo Pontifex Romam redierat. Consule eruditissimum Franciscum Pagium *in eius vita num.* 76., *& seq.*

XV.

Benincasa Pseudo-archiepiscopus Pisanus concedit agrum in emphytheusim Guntulino filio Bulgarelli.

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus T. II. apographorum num. 429.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni, anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo septuagesimo primo, tertio nonas Madii, Indictione tertia. Manifestus sum ego Benencasa Dei gratia Pisane Ecclesie humilis Archiepiscopus, quia per hanc cartam libellarii nomine ad censum perexolvendum dare videor tibi Guntulino filio quondam Bulgarelli unam petiam terre agreste de monte posite ad Trebbio, & Cociliano, & tenet unum caput in via publica, aliud caput terra, & monte iste Ecclesie Sancte Marie, latus tenet in terra filiorum quondam Ruselmini, & eorum consortium, & Ranuccini quondam Morelle, alind in terra Monasterii S. Michaelis Verruce, & est per mensuram stariora quinque. Hanc autem istam petiam de terra, qualiter ab omni parte circumdata est per designata loca in integrum cum inferioribus, & superioribus suis, tibi eam libellario nomine dare videor tali modo, ut deinceps in antea in tua, qui super Guntulini, & tuis heredibus sit in potestate prefata petia de terra habendi, tenendi, imperandi, gubernandi, laborare faciendi, & meliorandi, & privato nomine habendi, & fruendi, exinde mihi, & meis successoribus per singulum annum in mense Julii Pisis in Curia nostra censum reddere debeatis per vos, vel per Anno comm. 1170.

vestrum Mißum nobis, vel nostro Misso solidos duos Lucensium monete tantum bonorum denariorum. Et si vos hec omnia qualiter superius leguntur per singulum annum sic fuerint nobis adimpleta, & nos istam petiam de terra, quam tibi libellario nomine dedi vobis abstulerimus, vel aliquid amplius superimposuerimus per quodlibet ingenium; spondeo ego qui super Benencasa una cum meis successoribus per stipulationem componere tibi, qui super Guntulino, tuisque heredibus penam solidorum quidraginta argenti optimi; quia taliter inter nos convenimus, & duos inter nos libellos Ugonem domini Imperatoris Frederici Notarium scribere rogavi. Actum Pisis in Curia infrascripta.

Signum manus infrascripti Archiepiscopi Benencase, qui hec fieri rogavit.

Signa manuum Arrigi Castaldi quondam Marculi, Segafen filii Henrigi, Petri filii Moscionis rogatorum testium.

Postea verò eodem die, & mense presentia Henrigi quondam Gualandi, Ugonis quondam Uguicionis, & Bandini filii eius infrascriptus Archiepiscopus Benencasa confessus est, se habuiße servitium a... Guntulino solidorum decem denariorum. Actum est in infrascritta Curia me Ugone Notario presente.

† Ego Benencasa Pisane Ecclesie Archiepiscopus subscripsi.

Ego Ugo domini Imperatoris Frederici Notarius hanc cartam a me rogatam scripsi, & firmavi, & complevi, & dedi.

XVI.

XVI.

Villanus Pontifex Pisanus ut bene consuleret animae suae, & pauperum egestatem sublevaret bona quaedam elargitur domui hospitali Sancti Leonardi de Stagno Pisano.

Ex Archivo Monasterii Pisani Sancti Laurentii *de Rivolta* ad Moniales Sanctae Clarae spectantis Decade X. num. 2.

IN nomine Domini nostri Dei eterni anno Incarnationis eius millesimo centesimo septuagesimo secundo, Indictione quinta pridie idus Martii. Quoniam dignum, atque Deo placabile fieri dignoscitur, Archiepiscopos, Episcopos, & Praelatos Hospitalibus, & sacris locis, atque venerabilibus ad Dei honorem dedicatis Dei amore de suis largiri, atque tribuere, quatenus semper crescant, & in donis charitatis valeant permanere; ideo siquidem ego Villanus Dei gratia Beatae Mariae Pisanae Ecclesiae Archiepiscopus omnibus notum, & manifestum fieri volo, quod per hanc cartam do, & trado irrevocabiliter, ac largior in perpetuum tibi Petro Cigolo Camerario Hospitalis Beati Leonardi de Stagno (1) *recipienti procuratorio nomine pro Petro Rectore ipsius Hospitalis ad opus ejusdem Hospitalis pro-* Anno 1172.

(1) De hac hospitali domo Pisis inter, & Liburnum olim posita differit clarissimus Targionius *Relazioni d' alcuni viaggi &c. T. II. pag.* 188. Tametsi certum locum, in quo eadem domus fuerit, determinari nequeat, tamen idem ipse Targionius existimat, *che fusse in quell' Isola, che rimane tra fosso Reale, la strada maestra, e i tre primi fossi, che si uniscono, ove vedesi un rialto con una Chiesina, molte rovine, e fondamenti d' edifizi.* Cum saeculo decimotertio memorati Hospitalis bona ex parte dissipata, & reditus

propter pauperum substentamentum consensu, & voluntate Presbyteri Ugonis Plebani de Calci, & suprascriptae Ecclesiae Canonici; & etiam pro animae meae remedio offero, & concedo unam integram terrae petiam, quae est pars quaedam Tumuli cum omnibus, quae super se habet, & est non longe a suprascritto Hospitali, tenens unum caput in Stagno dal Foscolo, alterum in mari, latus verò unum adhaeret terrae eiusdem Hospitalis a me tibi olim datae, alterum verò latus applicatur terrae, quam mibi reservo; unde noviter a te . . . . Praedictae verò meae dationi, & offertioni, & irrevocabiliter largitioni immisceo, & comprehendo inferiora, superiora, terminos, & introitos ipsi terrae pertinentes, jura etiam, & actiones utiles, directas, & mixtas, quae mibi inde competunt tibi cedo nomine suprascritti Petri ad opus suprascritti Hospitalis recipienti, sic videlicet, ut ab hac

hora

ditus multum diminuti essent, Alexander huius nominis IV. ineunte anno 1257. praecepit Friderico Archiepiscopo Pisano, ut idem Hospitale cum omnibus eius bonis traderet Monialibus Conventus Pisani omnium Sanctorum Ordinis Sancti Damiani, seu Sanctae Clarae: *dudum siquidem intellecto*, inquit Alexander easdem Moniales alloquens, *quod Hospitale Sancti Leonardi de Stagno Pisanae Dioecesis in spiritualibus esset, & temporalibus graviter deformatum, eiusque bona per habitantium in eo incuriam, seu malitiam potius in dispendia jugiter vergerent graviora: nos destructioni, & lapsui Hospitalis eiusdem occurrere, vestramque de ipso volentes relevare inopiam . . . . . primo, & secundo venerabili fratri nostro Archiepiscopo tunc electo Pisano de conferendo vobis, & Monasterio vestro Hospitali jam dicto cum juribus omnibus, & pertinentiis suis, ipsoque Procuratori eiusdem Monasterii vestro, & ipsius Monasterii nomine plene, ac libere, prout dictum est, assignando sub certa forma mandatum direximus speciale*. Confer *litteras Alexandri T. II. Bullarii Franciscani num.* 389. *pag.* 256. Mandatum vero Alexandri executus est eodem anno 1257. mense Aprili Crassus Canonicus Pisanus, qui Moniales in Hospitalis possessionem misit. Vide Acta eiusdem Crassi *T. cit. Bullarii pag.* 259. Quandoquidem mentio facta est de Monasterio omnium Sanctorum, quod a Vitali Archiepiscopo Pisano anno 1232. Monialibus S. Damiani, seu Clarissis concessum fuit (confer litteras eiusdem Vitalis *T. I. Bullarii cit. pag.* 168.); ubi illud exstiterit inquirere placet. Bernardus Marangonius *Croniche di Pisa col.* 521. *T. I. S. R. Ital. edit. Florent.* scribit, ibi fuisse, ubi nunc est Hospitale novum Sanctae Clarae. Targionius *loco cit.* putat extitisse prope Hospitale Sancti Leonardi superius memoratum: *era*

altr:-

bora in antea sint proprii juris ipsius Hospitalis tali pacto, ut nullus praedicti loci Rector ipsam terram possit alienare, sed semper, & in perpetuum propria ipsius loci ad pauperum utilitatem permaneant, excepto tamen jure Archiepiscopatus de Lontreariis piscationis suprascritti Foscoli, quod firmum mihi conservo. Quamobrem ego praefatus Archiepiscopus obligo me, & meos successores, & promitto, atque spondeo tibi praefato Petro stipulanti nomine Rectoris suprascritti loci ad opus ipsius loci per stipulationem ad poenam dupli. Quod si aliquo tempore ego praedictus Archiepiscopus, vel meus successor praedictam terram causaverimus, aut egerimus, vel imbrigaverimus, aut si nostrum datum, vel factum huic obligationi, & dationi contrarium apparuerit, eamque ab omni homine defendere non potuerimus,

altresì, inquit, *in questo istesso luogo un Monastero di Monache dell' Ordine di Santa Chiara col titolo di tutti i Santi, le quali erano già venute di Corsica*. Sed ut patet ex litteris Gregorii IX., Vitalis Archiepiscopi, & Alexandri IV. *T. II. Bullarii citat. num.* 478. *pag.* 330., laudatum Monasterium erat *in Ripa Arni;* hinc arbitror recte sentire Paullum Troncium *Annali Pisani ad annum* 1440. *pag.* 508., qui illud ponit extra portam Civitatis secus flumen Arnum. Ex veteri Libro MS. constat Monasterium citatum fuisse in Paroecia *Sancti Joannis Ghitanorum*; in eo enim *fol.* 3. legitur, quod Moniales Clarissae in memorata Paroecia inter ceteras possessiones habebant *lo anticho Monistero dogni Santi con muraglie antiche dove era la Chiesa, & tutta labitazione, & circhuito del ditto Monistero, il quale oggi si chiama la chiusa dogni Santi, in sul quale, & intorno al quale sono linfrascritti pessi di terra campi &c.* Memoratus Liber MS., qui servatur in Tabulario Monasterii Pisani S. Laurentii, inscribitur *Campione del Monastero di San Vito del* 1447. Moniales enim omnium Sanctorum priori relicta domo Monasterium S. Viti habitarunt, non quidem anno 1257. ut existimat Marangonius supra citatus, sed longe post medium seculum decimum quartum, ut colligitur ex monumentis a celeberrimo Guidone Grandio *epistola de Pandectis in notis ad monumentum* 8. *pag.* 157. memoratis; ac postea ut Navalis Armamentarii artificibus locum cederent ad Ecclesiam S. Laurentii *de Rivolta* translatae sunt. Falluntur autem vehementer, qui dicunt laudatas Moniales venisse ex Corsica, vel potius ex Sardinia, ut earum quaedam mihi retulerunt; siquidem Moniales Clarissae anno 1232. Pisis erant, quo tempore in Insulis memoratis eas fuisse numquam credam. Quod quaedam bona in Sardinia possideret Hospitale Sancti Leonardi (vide *citatas litteras Vitalis Archiepiscopi, & Alexandri IV.*), quae una cum aliis bonis ad illud spectantibus Monialibus concessa postea sunt, apud eas nata est huiusmodi falsa traditio.

mus, & non defensaverimus ad opus ipsius Hospitalis (1) *componere ad opus ipsius Hospitalis eiusdem Hospitalis Rectoribus praefatam terrae petiam in duplum qualis nunc fuerit extimata . . . . . . loco, & insuper argenti optimi libras decem. Et sic te nomine praedicti Rectoris in ipsius terrae possessionem corporaliter ingredi praecipio, sicque suprascritta omnia Petrum Judicem, & Notarium scribere rogavi. Acta sunt praedicta in Claustro Plebis de Calci praesentibus suprascritto Ugone Plebano, & Pisano Canonico, atque Presbyteris Rustico, Joanne, & Gualfredo ejusdem Plebis, & Martino Vicarensi vocato Tineoso, & Romano quondam Dominici, atque Joanne quondam Petri ad haec vocatis, & rogatis testibus. Postea vero paulo existentibus anni Domini millesimo centesimo septuagesimo tertio Indict. quinta pridie calendas Aprilis suprascrittus Petrus Camerarius secutus mandatum suprascritti Archiepiscopi intravit corporaliter in suprascrittam possessionem nomine suprascritti Hospitalis, & insuper aprehensa manu suprascritti Petri Rectoris, ipsum Petrum Rectorem pro ipso Hospitale intrantem praefatus Petrus Camerarius in ipsius petiae induxit possessionem praesente me Petro Judice suprascritto, & praesentibus Caballo quondam Guidonis, Bernardino de Colle quondam Henrigetti Pettigronis, Stratume de Monte-maximo filio Guilielmi, Joanne Pisano quondam Joannis filio, & Bonaventura de Kinthica ad haec specialiter vocatis, & rogatis testibus.*

Unicuique legenti pateat, quod praedicta petia est a capite Stagni de Foscolo pertiche trecentum, & a capite maris pertiche trecentum, & octo &c.

† *Ego Villanus Pisanorum Archiepiscopus Ss.*

Ego Petrus domini Frederici Romanorum Imperatoris Ordinarius Judex, & Tabellio Archiepiscopi rogatu hanc cartam scripsi, post traditam complevi, & dedi.

XVII.

(1) Adde *promittimus*.

XVII.

Probibet, ne communicent cum B Canonico Pisano, qui ejurato schismate, in idem relapsus erat.

Ex Archivo Capituli Pisani, Armario citato num. 436, apud Ughellium.

ALexander Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Canonicis Pisanis in unitate Ecclesiae consistentibus salutem, & Apostolicam benedictionem. Iniqua, & detestanda opera, & manifesta conversatio indicat qualiter B. quondam Canonicus vester ad vomitum tamquam canis reversus nos, & Ecclesiam secundum facultatem, & modicas vires suas persequi, & modis omnibus molestare satagerit, & partem schismatis defendere non cessaverit, & fovere. Quapropter per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus cum eo nullam participationem habeatis, ipsumque tanquam schismaticum, & membrum putridum, & a corpore Christi, quod est Ecclesia, sequestratum modis omnibus evitetis, & alios Concanonicos fratres vestros, universosque viros Catholicos Civitatis vestrae idipsum facere commoneatis, & auctoritate nostra mandetis. Sed ne illum, vel aliquem ad sinum Ecclesiae redire volentem videamur abiicere, vel in desperationis laqueum praecipitare, si errorem suum corrigere voluerit, & nos, publice abiurato schismate, in patrem suum, & Romanum Pontificem profiteri, & quod nostro debeat stare mandato jurare, ex quo id fecerit, eum poteritis in fratrem vestrum, postposita ambiguitate, recipere, & cum ipso participationem habere; si quis verò vestrum cum eo participare, vel in tanta malitia sibi praesumpserit consensum, vel favorem praebere, timendum Anno 1172.

dum sibi erit, ne illius damnationis particeps fiat, & secum eadem poena plectatur.

Datum Laterani idibus Maji (1).

XVIII.

Antonius, Rusticus, aliique Presbyteri Canonici Ecclesiae Calciensis testantur, Archiepiscopum Pisanum patronum esse ejusdem Ecclesiae, quae in illius praedio aedificata erat.

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus T. II. apographorum num. 437.

Anno 1174. *IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo septuagesimo quarto Indictione septima, septimo calendas Februarii. Recordationis hec est carta ad futuri .... memoriam conservandam imposterum, qualiter nos Presbyter Antonius, & Presbyter Rusticus Canonici Plebis Calcisane confitemur Archiepiscopum Pisanum patronum fuisse predicte Plebis, & in Archiepiscopatus solo, & alodio, & in terra Domini Archiepiscopatus fuisse fundatam, & esse tam ipsam Ecclesiam, quam & Claustrum, & ita ex quo annos discretionis .... Pisanum patronum predicte Ecclesie habuimus, & tenuimus, & sic semper a majoribus nostris predictum Archiepiscopum Pisanum jam dicte Ecclesie patronum teneri, & haberi vidimus, & audivimus, & ab eisdem hoc etiam confitentibus audivimus; qui & dicebant in ...... hec Plebs edificata est Cappellam*

(1) Anno 1172. has litteras scriptas fuisse diximus *in not. ad Monument. XIV.*

lam fuisse, que & proprie Pisani tunc Episcopatus erat, & vocabatur Sancta Maria ad...... Episcopus Pisanus ibi Curiam pro tempore, quando ibi veniebat, tenebat. Et molendinum, & olivetum, & vineas, & terras presentes...... qui pro tempore fuerunt Archiepiscopis predicta Plebs ut a patronis accepit. Dicunt etiam, quod terra illa, in qua Claustrum, & pars Ecclesie nunc fundata est, & Campanile, & Hospitale, & Cimiterium, & ortus, & vinea fuit feudum quondam Martini de Curte, & Bonii de Sancto, & Martini Capparelli, quod habebant a predicto tunc Episcopatu. Et sic Daibertus Archiepiscopus data illis restauratione ut patronus ipsas terras predicte Ecclesie donavit. Insuper etiam dicimus pro tempore Archiepiscopos eos, qui pro tempore Plebanos, & Clericos ut patronos ibi misisse, & promovisse, & hec ita esse tam ex auditu antecessorum nostrorum, quam ex nostro visu protestamur. Promittimus etiam solepni stipulatione vobis domino Villano Dei gratia Pisanorum Archiepiscopo, quod nullus neque vobis, nec vestris successoribus per nos, vel per summissam personam de patronatu predicte Plebis molestiam, vel controversiam, vel brigam ullo tempore faciemus. Et hec omnia te Tebaldum Apostolice Sedis Notarium scribere rogavimus. Actum in Ecclesia S. Petri de Gradu, presentibus donno Paulo Camerario, & donno Bono, atque Guidone Sancti Petri de Gradu Presbytero, & donno Uberto Monaco, & Magistro Burgundione, atque Ildebrando de Mercato juris fulgentibus, & Tinioso quondam Ildebrandi de Calci, & Inghilesco filio Russi de Calci testibus ad hec vocatis, & rogatis.

† *Ego Burgundius* (1) *Judex interfui, & subscripsi.*

† *Ego Ildebrandus de Mercato Advocatus interfui, & subscripsi.*

(1) Hic est ille celebris Jurisconsultus patrii Pisanus, de quo plura differit eruditissimus Grandius *epistola de Pandectis pag.* 26. 98. *& seq. edit.* 1727.

Adveniente proximo quarto calendas Februarii Presbyter Joannes, & Presbyter Gualfredus Canonici Plebis Calcisane testantur, quod ex quo se recognoverunt, & annos discretionis habuerunt, audierunt Plebanum Ugonem, & parentes suos, & antiquos Calci dicere terram, in qua Plebs Calcisana fundata est Episcopatus, vel Archiepiscopatus fuisse, & ab Episcopo, vel Archiepiscopo, qui tunc erat, ut Ecclesia ibi fundaretur, Deo, & Ecclesie Sancte Marie oblatam fuisse, & Cappellam tunc Episcopi erat, & Sancte Marie ad Curtem vocabatur, & postquam Episcopus, vel Archiepiscopus, qui tunc erat, Plebem ex ea fecit, & ampliores terras ibidem donavit, ita quod Ecclesiam totam, & Claustrum, & Campanile, & Cimiterium, & ortum, & vineam bene creditur totum Episcopatus, vel Archiepiscopatus fuisse; insuper etiam & Molendinum Episcopus, vel Archiepiscopus eidem Ecclesie donavit. Et insuper audierunt, quod quia quedam harum terrarum ab aliis tenebantur pro tempore, Episcopus, vel Archiepiscopus eis alias terras in commutationem dedit, ut hec terre ad opus Ecclesie libere essent. Unde isti Presbyteri spoponderunt domino Villano Dei gratia Archiepiscopo Pisarum se non amplius molestaturos, vel brigam aliquam, vel querelam eidem, vel suis successoribus illaturos de patronatu suprascritte Ecclesie, quem patronatum ejus esse in veritate confitemur, & hec stipulatione interposita predicto domino Archiepiscopo stipulante promiserunt ..... scribere Tedaldum Apostolice Sedis Notarium predicti Presbyteri rogaverunt. Actum in Ecclesia Sancti Petri de Gradi, presentibus jam dictis donno Paulo Bono, & Guidone Presbytero, Uberto Monaco, & Burgundione Jurisprudenti atque Vernaccio quondam Gulielmi, & Visso quondam Anselmi testibus ad hec convocatis, & rogatis.

† *Ego Burgundius Judex, & Notarius interfui, & subscripsi.*

Ego

Ego Tedaldus Apostolice Sedis Notarius predictis interfui rogatus a jamdictis Presbyteris, & Canonicis iste Plebis Calcisane, & hec omnia ad....... memoriam imposterum conservandam scripsi, & proprio signo, & manu mea firmavi.

XIX.

Possessiones, quas Villanus Archiepiscopus Hospitali Sancti Leonardi de Stagno concesserat, eidem confirmat.

Ex Archivo Monasterii Sancti Laurentii Decade XI. n. 2.

IN nomine Sancte, & Individue Trinitatis amen. Villanus Pisanorum Archiepiscopus Sardinie Primas, & Sancte Romane Ecclesie Legatus licet indignus, dilecto in Christo filio Petro Hospitalario Hospitalis de Stagno tibi, tuisque catholicis successoribus in perpetuum. Ex officio Episcopali nobis a Deo iniuncto nos oportet viros religiosos, & Deum timentes diligere, & venerabilia loca, & Deo dicata manutenere, atque eorum jura, & rationes, Deo auxiliante conservantes quieti, & eorum utilitati providere. Inde est dilecte in Christo fili Petre de Stagno quia religiosum, & timoratum virum per gratiam Dei, & bonis operibus instanter deditum te novimus: considerantes quoque quam maxima beneficia, & Deo acceptabilia pauperes Christi de Hospitali de Stagno, cui Deo auctore, & nostra impositione presides, quotidie suscipiunt, & fraternitatem tuam intima charitate diligimus, & tuis justis petitionibns annuentes benigne memoratum Hospitale, & Pontem ibidem edificatum manute- Anno comm. 1174.

nere, & modis, quibus Deo auctore possumus ampliare, & munire volumus, atque quieti, & utilitati tuae, tuorumque catholicorum successorum praesentis scripti privilegio providere intendimus in perpetuum. In primis siquidem omnia, quae Hospitali praedicto, & Ponti Divinae pietatis intuitu dedimus, videlicet ducenta stariora terrae in unum se continentia posita circa praedictum Hospitale ex ista parte Pontis de Oscione; & alia ducenta stariora simili modo se in unum continentia ex altera parte ejusdem Pontis, & circa ipsum manentia, sicut continetur in chartula ab Ugone Notario Apostolicae Sedis rogata, & firmata, & completa; & alia quadringenta stariora terrae in unum similiter se continentia posita circiter Hospitale praedictum ex hac parte praefati Pontis; & alia eorum ducenta ex altera ipsius Pontis parte circa ipsum manentia, & in unum se complectentia, ceu in chartula per manum Benencasae Apostolicae Sedis Notarii scripta dignoscitur. Et unam terrae petiam in capite Tumuli juxta Stagnum posita cum Ecclesia ibi aedificata, cui vocabulum est Sancti Leonardi: quae tenet caput in mari, alterum cum uno latere in praedicto Stagno, aliud latus in via Traversagna, & Cararia, quae percurrit a mari usque ad Capannas Fosculi, ubi morantur Piscatores; quemadmodum in chartula per manum Uguccionis Notarii Sacri Lateranensis Palatii scripta comprehenditur. Et aliam terrae petiam, quae est pars quaedam Tumuli, & est non longe ab Hospitali praedicto, tenens unum caput in Stagno dal Fosculo, alterum in mari; latus in terra jam nominati Hospitalis a nobis olim sibi data, aliud verò in terra, quam nobis reservamus, sicut in chartula a Petro Gottifredi Judice, & Notario scripta continetur. Et quartam partem pro indiviso unius Callaris cum aqua, & terra superius, quod vocatur Fibiale, velut in ejus Petri chartula continetur: & quamdam terrae petiam, quae est posita in confinibus Stagni, ubi dicitur campus Guictonis,

& te-

& tenet caput ab Aquilone in Stagno, aliud in terra Sanctae Mariae, latus unum coheret aquae dictae Cataracto, & aliud terrae Sanctae Mariae prout in Chartula ab Adamo Notario scripta continetur, atque Hospitale de Nido Corbi, & Ecclesiam ibidem designatam cum omnibus suis pertinentiis, & rationibus, & alibi ipsum Hospitale si convenientius alibi videretur aedificandum, sicut in chartula ab Alberto Notario scripta continetur. Et quaecumque idem Hospitale de Stagno modo rationabiliter habet, sive in antea justè acquisierit tibi, tuisque catholicis successoribus ex auctoritate Dei, & Beatae Mariae, & nostra concedimus firmamus, & stabilimus in perpetuum, ut nulli hominum Clerico, vel Laico sit fas ea in aliquo diminuere, molestare, vel quibuslibet modis faticare. Nulli quoque Hospitalario in aliquo tempore sit licitum aliquid exinde vendere, pignorare, sive in feudum dare, seu quoquomodo alienare, sed in usus pauperum Christi, & ad sustentamentum Fratrum (1) *in Hospitali Deo servientium, & ad Pontis restaurationem in perpetuum illibata permaneant. Praeterea concedimus, & firmiter stabilimus praescritto Hospitali, ut de omnibus suis terris, vineis, quas per suos familiares laborat, & de omnibus suis rebus, sicut Sacri Canones praecipiunt, nulli homini Decimas persolvat. Sed omnia, ut diximus, sint ad usus pauperum Christi. Insuper decernimus, ut omni homini absque ulla contradictione liceat, & liberam habeat potestatem, auctoritate Dei, & nostra memorato Hospitali, & Ponti de suis justis facultatibus sive sit sanus, sive infirmus dare, & judicare, & pro sua voluntate concedere. Ad complementum autem, & confirmationem, & securitatem omnium praedictorum omnibus firmiter praecipimus, & interdicimus, ut nullo*

(1) Targionius *Relazioni &c. T. II. pag.* 188. probabiliter existimat, Fratres, quibus hujus Hospitalis cura demandata erat, ex iis fuisse, qui cum primò *Guillelmitae*, dicerentur, ab Innocentio IV. vocati sunt *Augustiniani*, ut scribit doctissimus Bellarminus *in Chronologia parte* 2.

lo modo contra praescripta aliquis agere aliquid audeat. Quicunque igitur sive sit Clericus, sive sit Laicus sciens hoc nostrae institutionis scriptum, & contra illud in aliquo venire temere praesumpserit, auctoritate Dei, & Beatae Mariae semper Virginis, & Apostolorum Petri, & Pauli, & S. Leonardi, atque omnium Sanctorum sit excommunicatus, & a Sacratissimo Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi usque ad dignam satisfactionem separetur, & si fuerit Clericus ab omni Ordine suspendatur. Omnibus autem hoc nostrum privilegium juste servantibus, & antenominatum Hospitale, & sua jura diligentibus, & conservantibus sit pax, & Benedictio a Domino nostro Jesu Christo quatenus hic, & aeterna Beatitudine praemia aeternae felicitatis digna recipiant. Et ad perennem memoriam Uguiccionem Notarium publicum domini Imperatoris haec scribere jussimus.

Data apud Ecclesiam Sancti Petri ad Gradum non nimis longe a Civitate Pisana praesente donno Sismundo confratre suprascripti Hospitalis de Stagno recipiente a supranominato Archiepiscopo hanc privilegii chartulam pro praefato donno Petro de Stagno, & ejus vice, & pro jam dicto Hospitali de Stagno praesentibus Presbytero Bono, & donno Uberto Diacono jam fati donni Archiepiscopi Cappellano, & Vernaccio quondam Willelmi, atque Raynerio quondam Ugonis; Dominicae verò Incarnationis anno millesimo centesimo septuagesimo quinto, Indictione octava, decimo calendas Novembris.

† *Ego Villanus Pisanorum Archiepiscopus Ss.*
† *Ego Comes domini Archiepiscopi Vicedominus Ss.*
† *Ego Villanus Sanctae Mariae Archipresbyter Ss.*
† *Ego Presbyter Ughiccio Canonicus Ss.*
† *Ego Valentinus Presbyter, & Canonicus Ss.*
† *Ego Presbyter B. Canonicus Ss.*
† *Ego Plebanus Canonacus, & Diaconus Ss.*
† *Ego Bandinus Canonacus, & Diaconus Ss.*

† *Ego*

† *Ego Hermannus Canonacus, & Diaconus Ss.*

† *Ego Walandus Romanae Ecclesiae, Subdiaconus, & Pisanae Canonicus Ss*

† *Ego Hubaldus Pisanae Ecclesiae Canonacus legi, & Ss.*

Ego Uguccio Domini Imperatoris Notarius hoc supranominati domini Archiepiscopi Villani privilegium mandato ejus scripsi coram praedictis mihi facto, atque complevi.

Ego Jacobus filius Henrici de Lino domini Friderici Dei gratia Romanorum Imperatoris Hierusalem, & Siciliae Regis, & semper Augusti Notarius, hoc autenticum, Bulla cerea pendente, in qua erat Imago cujusdam Archiepiscopi circumdata litteris, quae non poterant legi, & a me visum, & lectum, ideoque subscripsi, & meum signum, & nomen, & nil addendo, vel diminuendo fideliter exemplavi.

Ego Ubaldus filius Aliotti de Plebe S. Cassiani domini Frederici Romanorum Imperatoris Notarius autenticum hujus vidi, & legi, ideoque huic subscripsi.

Ego Thomasius domini Jacobi Verii domini Friderici Serenissimi Romanorum Imperatoris Notarius autenticum hujus vidi, & legi, ideoque huic subscripsi.

Ego Jacobus filius quondam Pagani Notarii de Laiano domini Friderici Dei gratia Romanorum Imperatoris Notarius autenticum hujus vidi, & legi, ideoque huic subscripsi.

XX.

XX.

Confirmat Archiepiscopo Pisano privilegia a decessoribus suis concessa: eidem tribuit honorem Primatus in Provinciis Calaritana, & Arborensi Insulae Sardiniae, ac facultatem portandi Crucem per tractum illum Episcopatus Volaterrani, per quem Populoniam petens transire debebat.

Ex apographis in Tabulario secreto Archiepiscopatus servatis, & ex Viviano in Praxi Jurispatronatus part. 1. lib. 3. cap. 2. num. 67.

Anno 1176. ALexander *Episcopus servus servo*rum Dei venerabili (1) *fratri Hubaldo Pisano Archiepiscopo Apostolicae Sedis Legato, ejusque successoribus canonice substituendis* in *perpetuum. Tunc Apostolicae Sedis, & Roma*norum Ponti*ficum* honor *integre custoditur, si unicuique Ecclesiae sua dignitas custoditur. Romanae siquidem Ecclesiae consueta benign*itas, & discreta *humilitas quos devotos, & mansuetos filios reperit, alios dignit*atibus, & honoribus sibi *amplius facit obnoxios, alios familiaritatis, & dilectionis praerogativa sublimat. Equum enim, & rationa*bile est, ut quo*rum beneficia, & obsequia se recolit suscepisse, eorum devotioni non me*nsura pari, nec qu*antitate aequali, sed ex abundantis gratiae benevolentia libenti animo studeat respondere.* *Prae-*

(1) Verba litteris rotundis expressa desunt in Alexandri litterarum autographo, quod est Florentiae in Archivo Reformationum, proindeque etiam in nostro exemplari, sed nos lacunas explevimus auxilio litterarum aliorum Summorum Pontificum.

*Praedecessor siqui*dem noster felicis *memoriae Papa Innocentius de discordia, & guerra, quae inter Pisan*am, & Janu-*ensem Civitates extitit multas hominum clades, & Christianorum captivitates innumeras provenisse considerans, utriusque partis s*aluti tam *spiritualiter, quam temporaliter paterna sollicitudine studuit providere, atque pro bono pacis, & recompensatione Episcopatuum, quos utique a praedecessoribus nostris Romanis Pontificibus Ecclesiae Pisanae concessos in Insula Corsicae a praedecessore tuo bonae memoriae Archiepiscopo Huberto accepit in Galluriensi Judicatu duos Episcopatus, Galtellinensem videlicet, & Civitatensem, & Populoniensem Episcopatum sibi, suisque successoribus, & per eos Ecclesiae Pisanae concessit, & Metropolitico jure subjecit. Nos itaque, qui in Sedis Apostolicae administratione licet indigni disponente Domino sibi successimus, eandem concessionem antecessoris nostri bonae memoriae Hadriani Papae vestigiis inhaerentes auctoritate Apostolica confirmamus, & ratam manere censemus: praedecessorum quoque nostrorum vestigiis inhaerentes vobis Primatus honorem Turritanae Provinciae confirmamus. Ad majorem etiam honoris cumulum Pisanae Civitatis, ut Pisana Ecclesia cum universo ejusdem Civitatis populo in fidelitate, atque devotione Sacrosanctae Romanae Ecclesiae jugiter perseveret, & in ipsa cotidie augmentetur, pro devotione quoque, & honestate tua frater Hubalde Pisane Archiepiscope personam tuam, & per te Pisanam Ecclesiam ampliori munere volumus decorari. Tibi ergo, tuisque successoribus Primatum super Calaritanam, & Arborensem Provinciam datum concedimus, & auctoritate Sedis Apostolicae confirmamus: ita quidem ut eos ad Concilium vocandi, excessus eorum corrigendi, & in doctrina Apostolica confirmandi, atque caetera omnia, quae ad jus Primatus pertinent, in eos exercendi habeatis liberam facultatem. Verumtamen supradictarum duarum Provinciarum Archiepiscopos ad Concilium non vocabitis Pisas sine conscientia Romani Pontificis. Super Turritanam verò Provinciam di-*

gnitatem Primatus sicut a praedecessoribus nostris Ecclesiae Pisanae concessum est, habeatis. Legationem quoque Sardiniae a praedecessore nostro Papa Urbano praedecessoribus tuis concessam, & felicis memoriae Innocentii, & Sanctae recordationis Eugenii, atque Anastasii Romanorum Pontificum privilegiis in perpetuum roboratam tibi, tuisque successoribus praesentis scripti pagina confirmamus, & confirmationem ipsam ratam, & inconvulsam perpetuis temporibus decernimus permanere. Denique ut Pisana Civitas, quae favore coelestis Numinis de inimicis Christiani nominis victoriam frequenter obtinuit, & eorum Urbes plurimas subjugavit, amplius honoretur, Equo albo cum Nacco albo in Processionibus utendi, & Crucem vexillum scilicet Dominicum per subiectas vobis Provincias portandi, & per spatium illud Vulterrarum Episcopatus, quo de Pisano Episcopatu ad Populoniensem transitur, tibi, tuisque successoribus licentiam damus. Pallei quoque usum &c.

Ego Alexander catholicae Ecclesiae Episcopus Ss.

Ego Ubaldus &c.

Datum Anagnae per manum Gratiani Sanctae Romanae Ecclesiae Subdiaconi, & Notarii 3. idus Aprilis Indic. 9. anno Incarnationis Dominicae MCLXXVI. Pontificatus verò domni Alexandri Papae III. anno septimodecimo.

XXI.

XXI.

Consules Blentinenses paciscuntur cum Ubaldo Archiepiscopo Pisano habitare in quodam determinato loco Orientem versus; ab eo plura bona in feudum recipiunt, eique fidem jurant.

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus T. II. apographorum num. 450.

IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab Incarnatione ejus millesimo centesimo septuagesimo nono, Indic. duodecima, quinto calendas Martii. Ex hoc publico instrumento aperte clareat, & manifestè appareat, qualiter actum est inter dominum Archiepiscopum Hubaldum Pisane Ecclesie pro Archiepiscopatu, & Benevieni quondam Faville, & Petrum quondam Baroncelli Consules de Blentina recipientes pro se, & aliis Consulibus de Blentina, videlicet Bartolomeo quondam Blentinelli, & Corso quondam Paschalis facientes hoc pro toto Communi de Blentina, & singulariter pro unoquoque homine de Blentina pro maxima, & evidenti utilitate Archiepiscopatus Sancte Marie, & Pisane Civitatis, & totius Communis de Blentina. Petierunt siquidem prefati Consules pro se, & unoquoque homine de Blentina, qui debent habitare super terra Archiepiscopatus in confinibus Blentine in uno loco, & una vicinantia, qua prefatus Archiepiscopus debet acquirere non longe a capite pontis Blentine ex parte Orientis, & non debent habitare in alio loco in confinibus Blentine, & convenerunt quod facient ipsi, & eorum successores, & facere Anno comm. 1179.

cere omnes, qui erunt habitatores predicti loci fidelitatem donno Archiepiscopo Hubaldo, & ejus successoribus postquam inde inquisiti erunt & nominatim in ipsa fidelitate addent, quod predictum locum custodient, & tenebunt, & salvabunt toto tempore ejus vite, & post usque ad alium sequentem fidelitatem successoris eius ad honorem prefati Archiepiscopi, & Episcopatus Sancte Marie, & eius successorum, & ad honorem Pisane Civitatis. Item prefatus Archiepiscopus Hubaldus convenit istis Consulibus Blentine recipientibus pro se, & aliis Consulibus Blentine, & pro toto Comuni eorum & singulariter pro unoquoque homine de Blentina, quod acquiret tantam terram in predicto loco, in qua possint habitare in concordia istorum, ut dictum est, & unumquemque de eo investiet, tali pacto filii masculi, & si masculi non fuerint, filie debeant succedere in predicto feodo in perpetuum, & sic omnes per gradum, qui ex eis erunt, ita tamen, quod jus, quod in eo habent, possint alienare habitantibus de ipso loco, & non aliis possit, & si alienare noluerit, possit elevare, dum tamen Archiepiscopus possit illud habere, & si tantum voluerit dare, quantum hedificium posset valere, si inde elevatum esset, & si femine successerint, non possint illud jus feodi dare in dotem, vel alio modo alicui, nisi sit homo de eodem loco, sine consensu Archiepiscopi; hedificium tamen possit dare secundum quod dictum est, & convenit, quod confirmavit per investituram Consulibus de Blentina pro toto suo Comuni recipientibus in laude sui Sapientis, quod tenebit, & conservabit eis totum bonum eorum visum, & quod tenebit firmum totum jus, quod ejus antecessores Comuni eorum fecit. Item convenit, quod singulariter tenebit firmum totum jus, quod ejus antecessores fecerunt unicuique homini de Blentina, qui in predicto loco habitaverit. Item convenit eis, quod concedet Communi eorum Colles pro pensione solidorum duodecim, & yscheto illis, qui habent pro pensione, quam soliti sunt dare, & faciet inde scriptum. Hec omnia ista prefatus dominus Hubaldus convenit,

nit, atque promisit una cum successoribus suis observare istis Consulibus de Blentina videlicet Petro quondam Barocculi, & Benevieni quondam Faville, & aliis bonis viris de Blentina, Strinato, & Mainetto Castaldo isti Archiepiscopi fratribus quondam Guidonis Arnaldini recipientibus pro se, & toto Communi de Blentina, & singulariter pro unoquoque homine de Blentina ad penam librarum quingentarum bonorum denariorum, quam penam eis sollepni stipulatione promisit. Insuper prefatus Dominus Hubaldus Archiepiscopus sub eadem pena librarum quingentarum bonorum denariorum, quam penam eis sollepni stipulatione promisit. Insuper prefatus dominus Archiepiscopus Hubaldus sub eadem pena librarum quingentarum bonorum denariorum promisit istis Consulibus recipientibus pro se, & aliis Consulibus de Blentina, & pro Communi de Blentina, & singulariter pro unoquoque homine de Blentina ad penam librarum quingentarum bonorum denariorum promisit istis Consulibus observare, & facere eis omnia ista infra duos menses, ex quo Deus illum Pisas reduxerit, & ab eis inquisitus fuerit. Insuper prefati Consules de Blentina Strinatus, & Mainettus dicentes se habere parabolam a sociis suis Consulibus aliis, & a toto Comuni de Blentina promiserunt solenni stipulatione ad penam librarum quingentarum bonorum denariorum pro se, & aliis Consulibus sociis suis, & pro toto Comuni de Blentina, & singulariter pro unoquoque homine de Blentina prefato domino Archiepiscopo Hubaldo observare, & facere ei omnia ista, ut dictum est superius. Preterea prememoratus dominus Hubaldus Archiepiscopus incontinenti misit, atque dedit Enricum quondam Uberti Vicecomitem suum corporaliter in manus istorum Consulum de Blentina recipientium pro se, & aliis Consulibus de Blentina, & pro toto Comuni de Blentina, & singulariter, pro unoquoque homine de Blentina, ut sua vice, & parabola ipse Enricus Vicecomes corporaliter mitteret eos, & alios Consules, & unumquemque hominem de Blentina in posses-

sionem

sionem iste, & prenominate terre jure feodi, ut superius scriptum est. Et in tali ordine hec omnia ista prememoratus dominus Archiepiscopus Hubaldus scribere rogavit me Bonosum domini Frederici Romanorum Imperatoris, semperque Augusti Judicem Ordinarium, atque Notarium presentibus domino Presbytero Valentino Canonico Sancte Marie, & Presbytero Benencasa Camerario, & Canonico Sancte Marie, & Magistro Bernardo Diacono, & Canonico Sancte Marie, & Presbytero Vvidone quondam Vitalis Plebano Sancti Joannis de Plebe de Calcinaria, & presente isto Henrico Vicecomite testibus ad hoc specialiter rogatis. Actum Pisis porta pontis (1) *in Camera Curie isti Archiepiscopi.*

Ego

(1) De hac Pisarum porta, quae olim erat ex adverso Archiepiscopatus loquens Paullus Troncius *Annali Pisani ad annum* 1154. *pag.* 86. inquit „ „ si crede si domandasse la porta di S. Stefano, essendovi un Rituale „ antico della Chiesa Pisana scritto intorno all'anno 1260. visto da me „ in mano del S. Canonico Pietro Roncioni, nel quale raccontandosi la „ strada, che si faceva per la Processione delle Rogazioni, dice, che „ nella terza giornata quando il Clero si partiva dalla Chiesa di S. „ Stefano fuori delle mura, si rientrava in Pisa per la detta porta S. „ Stefano „. Sed ex hoc loco apparet vocatam fuisse *portam pontis*. Fortassis tamen utroque nomine dicebatur; Porta Sancti Stephani, quoniam extra ipsam exstabat Monasterium Sancti Stephani, cujus Ecclesia nunc etiam servatur. Pontis vero propter pontem fluvio Auseri (nunc Oseri, vel Osoli dicto) impositum, de quo ponte mentionem facit ad annum 1156. Auctor Breviarii Historiae Pisanae apud Muratorium *T. VI. S. R. Ital. col.* 172. „ Pisani fecerunt barbacanes circa Civitatem, & „ Kinsicam muraverunt a turre, ubi posuerunt Leonem marmoreum, „ usque ad turrim supra pontem Hauseris „. Ab hoc ipso ponte ea Civitatis pars, quae est circa Palatium Archiepiscopale *in ponte* antiquitus vocabatur, ut colligitur ex monumento sequenti, & ex duobus Ecclesiarum Pisanarum catalogis a me publicatis *Dissertatione praevia cap.* 5. *pag.* 92., & 99. Atque hinc veritati consonum esse patet, Auserem, qui inter Pisas, & Monasterium Sancti Stephani interfluebat, ut manifestum est ex charta anni 1200., quae servatur in Archivo secreto Archiepiscopatus *Tom. II. apographorum num.* 535. ac ita incipit: *Venerabili Episcopo Sorrensi* (in Sardinia) *domino Angerio, Giulia Dei gratia humilis Abbatissa Ecclesiae, & Monasterii Sancti Stephani de ultra Ausere licet indigna &c.*: non longe a porta pontis Civitatem olim ingressum esse. Cursum suum deinde conficiebat prope Ecclesiam Sancti Georgii, seu *Hospitale Trovatellorum*, & Ecclesiam Sancti Nicolai, tandemque in Arnum defluebat. Vide Troncium *op. citat. pag.* 304., & Joannem Targionium *T. I. op. indic. pag.* 412.

Ego Blentinensis juro ad Sancta Dei Evangelia, quod ab hodie usque in Kalendis Januarii proximis venientibus ero in loco ordinato ab Archiepiscopo Hubaldo, & Blentinensibus sicut ordinatum est, vel erit, & est designatum, vel erit pro Archiepiscopo, & Blentinensibus prope capite pontis ex parte Orientis recollectum, cum familia mea, & filiolis meis ad habitandum, & ibi habitabo, & de cetero non ero habitator in aliquo alio loco, nec permittam aliquem habitare in confinibus Blentine sine licentia Pisani Archiepiscopi; & illam partem, que mihi data fuerit per Curiam Archiepiscopi, recipiam ad habitandum, & tenebo ad honorem domini Archiepiscopi Pisane Civitatis, & Episcopatus Sancte Marie, & eius successorum, & ad honorem, & salvamentum Pisane Civitatis, & Consulum, & totius Pisani populi, & non ero in consilio, vel facto, quod factum commutationis predicti loci, sicut ordinatum est, vel ordinabitur, disturbetur, vel debeat remanere. Item non permittam aliquem habitare in predicto loco, qui hoc idem sacramentum non faciat, scilicet salvare honorem Archiepiscopi, & Pisane Civitatis, & Episcopatus Sancte Marie, & honorem Consulum, vel Rectorum, vel Rectoris Pisane Civitatis, & ejus populi, & quod aliquod sacramentum non faciam, quod huic sacramento sit contrarium, donec predicti loci ero habitator, hec omnia observabo ad predictum terminum, vel terminos, secundum quod ab domino Archiepiscopo mihi datus, vel dati fuerint sine fraude juraverunt homines de Blentina, hii videlicet, Bartholomeus, & Corsus, Benevieni, & Petrus Consules, hii vero de populo Mamectus, Lutterius, Uguccio, Cigulinus, Blentinense, Ghermondinus, Strinatus, Vannellus, Cacciaguerra, & Sighinolfus, & Preite, Chinamus, Testa, & Guilielmus, Bonacursus, Ricordatus, Riccardus, Bongiamus, & Destajuti, Rustichellus, Torscellus, Camulianus. Guidelottus, Tebalduccius, Gontulinus, Martinus, Grottus, Martinus, Burgognone, Mannus, Arduvi-

duvi-

duvinus, Guidoctus, Forestanus, Ardiccione, Fantellus, Benenatus, Salvius, Bernardus, Tedaldinus faber, Guarnieri, Bottone, Tiniosus, Guido, Guelfus, Peregrinus, Fulchieri, Arnaldinus, Corsus de Monte-Topari, Petrus Pecora, Guerrus, Petrus, Signorellus, Petrus Viteri, Sollius, Conpagnus, Bonasera, Serragosto, Segardus, Galganus, Lambertuccius, Vitro, Moricone, Raffajone, Botte, Nataliccius, Saracinus, Johannes, Gerardinus, Cambius, Tiniosus, Belinciani, Uguccione, Ormannettus, Pescatore, Juvanninus, Gerardellus, Augustinus, Fattappresso, Bonaguida, Maritellus, Peregrinus, Saxus, Bertelloctus, Molestus, Ramaldus, Vinaterius, Opitinus, Guido quondam Bernardi, Uguccionellus, & Martinus, Belandinus, & Vitali, Baratterius, Juvanettus, Panevinus, Petrus, Simeone, Moreccius; Guarinus, Pescatore, Bicoccus, Ghinallus; hi omnes fecerunt predicta sacramenta; & similiter juraverunt Sarsus quondam Vinculi, Octavianus quondam Beccuti, & Panfollia, & Jannéctus, & Grillus, & Chiasero, & Ranuccius quondam Guiliccionis, & Bondiolus quondam Bernardi, Donnelle, & Biecus.

Ego Bonosus domini Frederici Romanorum Imperatoris, semperque Augusti Judex Ordinarius, ejusdemque dignitatis Notarius his omnibus . . . . . istis rogatus interfui, & ista omnia ad futuri temporis memoriam mandato prememorati domini Hubaldi Archiepiscopi, & istorum Blentinensium hominum rogatu scripsi, firmavi, complevi, atque dedi.

XXII.

XXII.

Ubaldus Archiepiscopus novem Canonicos, quos dum is Pisis aberat, Capitulum Pisanum elegerat, confirmare primo recusat, deinde confirmat.

Ex Archivo memorati Capituli apud Angelum Octavium Abrahamium T. II. cap. 6. pag. 244. Operis, cui titulus: *Pisanae Primatialis dignitatum, ac Praebendarum omnium descriptio &c.*, quod MS. est in Archivo citato.

IN nomine Sanctae, & Individuae Trinitatis amen. Ad publicam fidem, & futuri temporis memoriam conservandam scriptum publicum hoc est, qualiter cum dominus Ubaldus Pisanae Civitatis Archiepiscopus de expeditione ultramontana ad Pisanam Ecclesiam remeasset, & invenisset novem Canonicos in majori Ecclesia noviter ordinatos, scilicet Magistrum Plebanum Sancti Georgii portae maris tunc Cappellanum, & Magistrum Bartholomaeum, & Gusmarium, & Peregrinum tunc Plebanum de Rivoli, & Hugonem Contem, & Ildebrandum filium Amithi Vicecomitis, & Albertum Comitem, & Hugonem filium Sichelmi, atque Magistrum Lotterium de Cremona: unde erga alios suos fratres, & Canonicos indignationem ostendit, revocans hoc ad diminutionem suae dignitatis, & successorum: coram eis querimoniam fecit, eosque redarguit dicens, eos contra jus, & consuetudinem Pisanae Ecclesiae sine suo mandato, & parabola dictos Canonicos elegisse, & ordinasse; ad quam indignationem sedandam donnus Gualandus Canonicus pro se, & Anno comm. 1196.

fratribus suis Canonicis, & toto Capitulo, coadunato Clero Pisanae Civitatis, & coram maxima parte laicorum dixit praedicto domino Ubaldo Archiepiscopo residenti in Coro Beatae Mariae Virginis, quod dictos Canonicos non ad diminutionem honoris eius, vel successorum elegerunt, vel ordinaverunt, sed quia non sufficiebant alii ad Sacra officia celebranda, & ad evitandum murmur, & querelam totius Universitatis Pisanae dicentium Canonicos non benefacere, quod socios non eligant, qui sufficiant ad officia pro solito facienda; jam dictos Canonicos constituerunt cognoscentes eos sapientes, & litteratos, & viros nobiles, & tali honore dignos; unde palam pro se, & fratribus Canonicis dixit se, suosque socios esse paratos ostendere, quod quidquid inde fecerunt, ad honorem Dei, & Beatae Mariae Virginis, & praedicti domini Ubaldi Archiepiscopi, & totius Pisanae Ecclesiae, & Capituli fecerunt; & quia dedit eis potestatem de spiritualibus, & corporalibus: addens ut hoc quod factum est nullo modo sit, vel esse, vel esse possit in antea praejudicium honori, & dignitati domini Ubaldi Archiepiscopi, nec ejus successorum; neque in futurum simile factum facient, & promiserunt, quod ammodo in antea Canonicos non eligent, nec ordinabunt in praedicta Ecclesia sine licentia, & concordia infrascripti domini Ubaldi Archiepiscopi, & suorum successorum. Quibus auditis praefatus dominus Ubaldus Archiepiscopus suam indignationem mitigans dicto domino Gualando, & ejus fratribus Canonicis benigne respondit, dicens, quod non pro se hoc graviter tulerat tantum, sed ne quid simile sibi, vel suo successori aliquo tempore contingeret, unde discordia posset oriri. Commotus itaque praedictus dominus Ubaldus Archiepiscopus precibus Archipresbyteri Villani, & aliorum Canonicorum, & circumstantium Clericorum, electionem, & ordinationem infrascriptorum Canonicorum confirmavit, & ratam habuit, eosque ad pedes suos prostratos, & manibus osculatis ad pacem recepit, & suam gratiam, & benedictionem eis praebuit. Sunt haec omnia praedicta acta

Pi-

Pisis in Choro infrascriptae Ecclesiae Beatae Mariae Virginis praesentibus infrascripto domino Villano Archipresbytero, & donno Gualando Subdiacono, & Presbytero Uguccione, & Presbytero Alberto, & Presbytero Richardo, & Magistro Ildebrando Subdiacono, & Magistro Bandino (1) Turritanae Ecclesiae nunc electo Archiepiscopo, & Magistro Bernardo Fascolo Diacono Canonicis praedictae Ecclesiae, & praesente domino Sasso (2) Episcopo de Eleria, & donno Guilielmo Priore Monasterii S. Andreae de Casainvilia, & Hugone Priore Monasterii Sancti Martini de Kinsica, & Hugone Priore Sancti Petri in Vinculis, & Lamberto Priore Sancti Sixti, & Ubaldo Priore Sancti Pauli de Orto, & Presbytero Gregorio, & Presbytero Salvio Cappellanis jam dictae Ecclesiae Sanctae Mariae, & Alberto Subdiacono, & Beneincasa Diacono Sagristanis ejusdem Ecclesiae, & Presbytero Paulo Cappellano Ecclesiae Sanctae Luciae portae Maris, & Presbytero Lamberto Sancti Lionardi de Pratuscello, & Presbytero Bello, & Presbytero Petro Sancti Thomae Apostoli de Ponte, & Presbytero Hieremia Sancti Blasii de Ponte, & Presbytero Alberico Sancti Salvatoris de Ponte, & Presbytero Pandulfo Sancti Georgii de Ponte, & Presbytero Bernardo Sancti Simonis de Parlascio, & Presbytero Benincasa Sancti Petri de Iscla, & Presbytero Guidone Sancti Bartholomaei filiorum Eriti, & Presbytero Uguccione de Sancta Margarita, & Presbytero Rainerio de Sancta Cristina,

(1) *In Sardinia Sacra in Archiepiscopis Turritanis pag.* 152. statim post Herbertum posui Blasium, eumque electum dixi anno circiter 1199., nulla mentione, deficientibus monumentis, facta de Bandino Canonico Pisano, quem inter utrumque referendum esse, nunc primò constat ex his Tabulis. Non diù tamen vixit Bandinus, vel saltem non diù ecclesiam Turritanam rexit, nam initio anni communis 1203. Archiepiscopus Turritanus erat Blasius, ut apparet ex diplomate quodam Innocentii III. pro Ecclesia Lunensi publicato ab Ughellio *T. I. Ital. Sac. n.* 33. *col.* 851., quod dicitur *datum Laterani per manum Blasii Archiepiscopi Turritani nonis Martii Indic. 6. Incarnat. Dominicae anno* 1202.

(2) Hunc Antistitem omittit Ferdinandus Ughellius in catalogo Episcoporum Aleriensium in Corsica, qui est *T. III. Ital. Sacrae col.* 502.

& Magistro Henrico de Sancto Laurentio de Kinsica, & Presbytero Benenato Priore de Constantinopoli (1), *& Marignano Clerico infrascripti domini Archiepiscopi, & Cancellario Cappellano Sancti Petri de Gradu, & Bandino Burgundi, & Lanfranco quondam Gherarducci de Sancto Cassiano, & Coneto quondam Sismundi Pisanis Consulibus, & Teperto quondam Dadonis, & Ildebrando de Papa, & Tinioso quondam Stephani Fiorellae de fore porta, & Hugone de Cararia Leonis Matildae in Pisanorum Treuguano, & Terguolo quondam Guidonis, & Bandinacco de Kinsica, & Soffredo Anscaldi, & aliis quampluribus Clericis, & Laicis Pisanae Civitatis rogatis testibus D. J. A. MCXCVII. Indict. 14. nonodecimo calend. Septembris.*

Ego Pantheus domni Frederici Rom. Imperatoris Judex Ordinarius, eiusdemque Notarius his omnibus praedictis interfui, & ab infrascriptis domno Archiepiscopo, & Archipresbitero, & praedictis Canonicis rogatus scripsi, & firmavi.

XXIII.

Innocentius III. rata habet insignia privilegia a pluribus Romanis Pontificibus Archiepiscopo Pisano concessa.

Ex apographis alibi laudatis, ex Lunig T. III. Codicis Italiae Diplomatici cap. 3. num. 19. col. 1439., ex Ughellio, Viviano, aliis.

Anno comm. 1198. *INnocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Hubaldo Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonicè substituendis in perpetuum. Si sua cuique jura &c.*

ut

(1) In hac enim celeberrima Urbe Pisani olim habebant Ecclesiam, quae regebatur a Presbytero titulo *Prioris*. Vide *hanc Historiam in Ubaldo* pag. 245.

ut in constitutione Alexandri III. suo loco exhibita.

Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus Ss.

Ego Octavianus &c.

Datum Laterani per manum Rainaldi domini Papae Notarii Cancellarii vicem agentis 10. calend. Aprilis Indict. 1. Incarnationis Dominicae anno MCXCVII. Pontificatus verò domini Innocentii Papae III. anno primo.

XXIV.

Gualandus dominus Buriani, & Buricus filius Malpilii electi Judices pacem componunt inter Ubaldum Archiepiscopum Pisanum, & Consules Volaterranos.

Ex Archivo publico Volaterrano Membr. L n. 121.

IN nomine Dei beterni & ad memoriam firmiter impostèrum conservandam, & veritatis evidentiam declarandam sub veritate promissionis & pacti scriptum sit hujusmodi vos Gualandus de Buriano quondam . . . . . . & Buricum quondam Malpilii arbitri belecti ex comuni consensu a domino Archiepiscopo Ubaldo Pisane bone memorie (1) *Dei gratia & a Consulibus Volterranis scilicet a Pinocchio & a Stefano pro se & prò beorum locis & pro toto beorum Comuni & districtu pacem & concordiam inter Lambertum quon-* Anno comm. 1198.

(1) En aliud exemplum, quo demonstratur formulas *bonae memoriae*, *piae memoriae*, & similes personis viventibus quandoque tribui, ut ostendit viginti quatuor exemplis in medium adductis doctissimus Grandius in peculiari Dissertatione apud P. Calogerà *Raccolta di Opuscoli Scientifici, e Filologici T. IX. pag. 272. & seq.*

quondam Lamberti . . . . . . nomine dictorum dominorum pro Archiepiscopo domino Ubaldo de Monte Vaseri in totum & de Ripalbella pro parte que est domini Archiepiscopi & & de le Mele in totum pro se & pro suprascrittis locis & de Strido pro parte domini Archiepiscopi & inter Consules suprascrittos pro se & pro toto beorum Comuni & districtu pacem & concordiam sic componimus & ordinamus firmam pacem & concordiam Lamberto pro se & pro suprascrittis locis & hominibus de Monte Vaseri & de le Mele & pro hominibus sibi suppositis de Strido pro domino Archiepiscopo Ubaldo & de Ripalbella teneant hominibus de Vulterra & de ejus districtu usque ad decem annos expletos & precipient sub nomine sacramenti vel precipere facient hominibus suprascrittis quod firmam & ratam pacem & concordiam teneant hominibus de Vulterra & de ejus districtu ut suprascriptum est. Item Consules Vulterranorum scilicet Pinocchium, & Stefanum pro se & suis sociis & pro toto beorum Communi Vulterrano & hominibus de Vulterra & beorum districtu firmam & ratam pacem & concordiam teneant & teneri faciant toto beorum Communi & hominibus de Vulterra & beorum districtu Lamberto & hominibus omnibus suprascriptis ut supra scriptum est. Et precipient sub nomine sacramenti vel precipi facient hominibus de Vulterra & de beorum districtu sic tenere firmum ut supra scriptum est. Jurabunt sic mittere in eorum constituto vel costitutis suprascriptam, & infrascriptam pacem vel capitula pacis suprascripte & infrascripte ut non moveantur vel moveri patiantur usque ad scriptum terminum ut supra dictum est. Et ita facient utrum moveantur vel moveantur sed jurentur a Consulibus Civitatis Vulterre vel Potestati annuatim hoc sacramentum facere usque ad scriptum terminum. Item si aliquod dannum homines de Vulterra vel de eius districtu Lamberto vel hominibus de Monte Vaseri vel de le Mele vel de Strido pro parte domini Archiepiscopi vel de Ripalbella pro parte que est domini Archiepiscopi in avere vel in persona fecerint ex quo inde in-

inquisiti berimus intra triginta dies restituere & emendare faciemus ad ejus defensionem qui dannum passus fuerit arbitrio & arbitrorum communi consensu partium belectorum. Item si suprascripti homines de Monte Vaseri vel de le Mele aut de Ripalbella vel de Strido hominibus de Vulterra vel de ejus districtu aliquod dannum fecerint facere, emendare facere teneantur ut supra scriptum est. Item dicimus & volumus ut de dannis preteritis factis ab utraque parte aliqua partium suprascripta ad invicem utriusque partis sibi finem & refutationem faciant & pacta non petendum. Item si Lambertus suprascriptus diviserit vel amiserit dominium suprascriptorum locorum teneantur dicere domino Archiepiscopo ut faciat jurare pacem suprascriptam bei qui in ejus locum missus fuerit. Et quod si non faciet teneatur sub nomine sacramenti intra mensis unius terminum denuntiare vel denuntiare facere Consulibus vel Potestati Vulterranorum quod rem in dominio dicto Civitatis berit quia ire tali ordine bec scribere rogavimus Negotiatorem Notarium & Judicem. Actum Lajatico presentibus Curradino quondam Curradi Ildebrandino quondam Ranuccini Gerardino quondam Gualandi ad bec specialiter testibus datis & rogatis. MCLXXXXVIIII. Indictione prima sexto Kalendis Settembris.

Ego Negotiator Superni Regis gratia domini Henrici Romanorum invictissimi Imperatorem Judex, & Notarius..... filius bunc memoriale breve scripsi & firmavi complevi & & dedi (1).

XXV.

(1) De hac concordia ita scribit Paullus Troncius *Annali Pisani pag.* 165. „ Avendo molti mesi il Comune di Volterra fatto guerra con Ubaldo „ Arcivescovo di Pisa, e Lamberto suo feudatario di Monte Vaso, di „ Mele, della metà di Strido, e della metà di Riparbella, restando „ l'altra metà al medesimo Arcivescovo, & avendo i Volterrani occu„ pato Strido, l'una parte, e l'altra ad istanza di Arrigo Imperatore „ depose l'armi, e si fece compromesso per la parte dell'Arcivescovo in „ Gualando Gualandi Signore di Buriano, e per la parte di Volterra „ Pinnocchio Affricanti, e Stefano Allegretti Consoli di detta Città in „ Burico di Malpiglio. Quali arbitri il dì 26. di Agosto di quest' anno „ fece-

XXV.

Ubaldus Archiepiscopus donat Lutterio Heremitae, eiusque Sociis domum, & alia bona posita in loco, qui vocatur Vechianum.

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus T. II. apographorum num. 576.

Anno comm. 1205. *IN nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni, anno ab Incarnatione ejus millesimo ducentesimo sexto, Indictione octava, tertio Kalendas Aprilis. Ex hujus publici instrumenti clareat lectione, qualiter dominus Hubaldus Dei gratia Pisanus Archiepiscopus pro ipso Archiepiscopatu ad honorem Dei, & Sancte Marie, & pro salute anime sue concessit, & dedit donno Lutterio Heremite Celle, que fuit Presbyteri Rustici recipienti pro se, & omnibus Fratribus suis, & sociis suis Heremitis, quos nunc habet, & de cetero est habiturus, & qui de cetero in subscripto loco erunt, & steterint in perpetuum totum jus, quod sibi pro Archiepiscopatu Pisano, & ipsi Archiepiscopatui pertinet, & habet, vel pertinere potest quocunque modo in uno, vel pro uno petio terre cum monte, & olivis, & cum palude, & omni sua pertinentia positum in confinibus Vechiani majoris in loco dicto Assconda, & tenet caput in palude, aliud in summitate montis, ubi dicitur Morro majore, latus in Monte*

„ fecero fare, e giurare la pace fra dette parti per due anni, e rendersi i prigioni, e luoghi occupati, rifarsi i danni, e rimettersi l'ingiurie con dichiarazione, che detto Lamberto, nè detto Arcivescovo, e loro successori potessero per l'avvenire ricevere in dette terre ribelli, banditi, o nemici della Comunità di Volterra „.

te Lignaio, quem homines de Vecbiano habent in feudum pro guarigango (1) *ab Archiepiscopo isto, aliud in seta de Sclava sicut aqua versat, pro faciendo Cellas, & Ecclesiam, & servitium Dei in predictis confinibus, & pertinentiis, scilicet in predicto terre petio pro Heremitis, & non pro alia causa nisi pro Heremitis, sicut Heremite stant, & faciunt, videlicet ut faciant vitam Heremiticam, sicut nunc faciunt. Et jura, & actiones tam utiles, quam directas sibi pro predicto Archiepiscopatu, vel ipsi Archiepiscopatui inde aliquo modo, vel jure in rem, vel in personam competentia isto donno Lutterio recipienti pro se & omnibus istis Fratribus suis, & sociis, & Heremitis, quos nunc habet, & de cetero est habiturus, & qui de cetero in predicto loco erunt, & steterint in perpetuum, dictus dominus Archiepiscopus dedit, & cessit, atque mandavit, quatinus suo nomine, & omnium predictorum directo, & utiliter inde agere, & experiri possit, & valeat adversus quamcumque personam, & locum. Et sollempni stipulatione dictus dominus Hubaldus Archiepiscopus isto donno Lutterio recipienti pro se, & istis Fratribus suis, & sociis Heremitis, quos nunc habet, & de cetero est habiturus, & qui de cetero in predicto loco erunt, & steterint in perpetuum promisit, & se, suosque successores, & predictum Archiepiscopatum obligavit, predictam concessionem, & dationem, & omnia ista toto tempore firma tenere, & rata habere, & contra non venire, vel facere per se, vel per alium. Et sic precepit ei pro se, & omnibus predictis ingredi possessionem iste concessionis, & dationis, quatinus eorum nomine jure proprio possideant, & constituit se pro isto Archiepiscopatu pro eis possidere. Et taliter dictus dominus Hubaldus Archiepiscopus me Guinitbellum Judicem, & Notarium scribere rogavit. Actum Pisis apud Archiepiscopatum in Camera*

(1) Clarissimus Grandius *epistola de Pandectis in notis ad monumentum 37.* existimat vocem *guarigango*, seu *guaringaga* foveam, aut aquaeductum significare.

prefati domini Archiepiscopi, presentibus Henrico de Quosa Jurisperito, & Balduvino de Patrignone Jurisperito, & Benectino quondam Vecchii testibus ad hec rogatis.

Ego Guinithellus domini Frederici Romanorum Imperatoris Notarius, ejusdemque filii domini Henrici Serenissimi Imperatoris Judex Ordinarius, & olim socius Ildebrandi dicti Pavonis Judicis, & Notarii predictis omnibus interfui, & hec a me rogata scripsi, & firmavi, atque complevi.

XXVI.

Jussu Innocentii III. Lotharius Archiepiscopus, & Plebanus Archipresbyter Pisanus caussam examinant, quae vertebat inter Fratres, & Sorores Hospitalis Osnelli, ac Priorem Hospitalis Sancti Sepulcri: qui decernunt primos non subesse jurisdictioni alterius.

Ex Archivo Monasterii Pistoriensis PP. Congregationis Montis Oliveti num. 105.

Anno com.n. 1109.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Causam, quae vertebatur inter Fratres, & Sorores Hospitalis Osnelli, & super ordinatione, & obedientia jam dicti Hospitalis ex una parte, & Priorem S Sepulchri Pisani ex alia Summus Pontifex nobis Lottario Dei gratia Archiepiscopo, & Plebano Archipresbytero Pisanis commisit in hac forma. Innocentius Episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Lottario Archiepiscopo electo, & dilecto filio Archipresbytero Pisarum salutem, & Apostolicam benedictionem

nem. Causam, quam fratres, & sorores Hospitalis Osnelli adversus Priorem S. Sepulchri Pisani super ordinatione, ac obedientia Hospitalis ejusdem se habere proponunt, vestro duximus examini committendum, per Apostolica scripta mandantes, quatenus partibus convocatis, & auditis, hinc etiam praepositis, quod justum fuerit, appellatione postposita, decreveritis per censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerunt nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint, cogatis contra, simili appellatione remota, veritati testimonium perhibere. Datum Laterani septimo decimo Kalendas Maji Pontificatus nostri anno XI.; citatis igitur a nobis partibus Guntus, & Vivianus Actores sive Sindici legitime constituti a Fratribus, & Sororibus Hospitalis de Osnello, sicut nobis ex praesenti Instrumento innotuit pro suprascripto Hospitali petebant a Berlingerio Priore S. Sepulchri Pisani pro ipsa Ecclesia, & domo S. Sepulchri, ut nullo modo de ordinatione, & dispositione praedicti Hospitalis de Osnello, vel ejus obedientiarum, ubicumque sint, ipse, vel ejus successor se intromittant, & ut non impediant, seu inbrigent suprascriptos Fratres, & Sorores, & eorum Priores, qui praescripti fuerint, ordinant suprascripti, Hospitale, & ejus obedientias ubicumque sint, & de eis disponere, & ut nullam obedientiam exigant a suprascriptis Fratribus, & Sororibus Hospitalis Osnelli habere: Ita ut Instrumenta, quae dicunt Priores Hospitalis, & eis obedientias habere, rogata a Dicco Notario dictis Gunto, & Viviano pro suprascriptis Fratribus, & Sororibus restituant, & petebant a nobis, ut cassa, & inutilia esse pronuntiaremus. Berlingerius vero Prior S. Sepulchri accedens ad praesentiam nostram, postulavit a nobis terminum babendi consilium cum Capitulo suo super praedicta causa, quem ei satis prolixum ad suam postulationem dedimus; quo elapso, Gratianus Syndicus legitime constitutus ad omnes causas Hospitalis S. Sepulchri a Priore, & de assensu Fratrum suorum, sicut nobis innotuit per publicum

 Instru-

mentum, dictam causam incepit & litem contestatus est. Rationes autem, & allegationes praedictorum Syndicorum Hospitalis de Osnello haec proponebant; Siquidem Instrumentum dationis, & oblationis factae a Ricovero tempore ipsius ductore Gratiano tempore Priori S. Sepulchri pro ipso Hospitali malo more factum fuisse, & turpes pactiones in se continere dicebant, quia ante illud Instrumentum processit promissio facta a suprascripto Gratiano eidem Ricovero, qui non traheret eum de suprascripto Hospitali, vel de Hospitali S. Sepulchri, nec ad alias obedientias esse ipsius Ricoveri voluntatem mitteret, & quod librarum centum poneret apud quendam idoneum mercatorem vel apud locum religiosum pro ipso Ricovero, & Hospitali S. Sepulcri. Tali modo, quod eas deberet habere nomine poenae, si contra hoc ei factum esset, quod pro sua gravedine proficuum librarum centum deberet consequi si ei opus fuerit, sicut ex publico Instrumento nobis ostenso apparet. Item cum tempore suprascriptae oblationis, & dationis essent in Hospitali Osnelli Conversi plures viginti, sicut per testes coram nobis productos, probatur, dicebat, praedictum contractum oblationis, & dationis nullum esse, quia consensu tantum quatuor, vel quinque Fratrum computata persona Ricoveri fuerat celebratus. Confitebatur autem Gratianus coram nobis, Instrumentum promissionis centum librarum factum fuisse ante praedictum aliud Instrumentum dationis & oblationis Hospitalis Osnelli; licet una die ambo essent confecta, & ea, quae in ipsis Instrumentis continentur, confitebatur vera esse, tum confessus fuit, quod tempore suprascriptae dationis, erant in Hospitali praedicto duodecim Conversi. Ex adverso proponebat Gratianus, se vel alium Priorem S. Sepulchri post eum non intromisisse de ordinatione suprascripti Hospitalis Osnelli, quod etiam adversa pars confitebatur, dicebat etiam se, vel alium Priorem non recepisse obedientiam a Fratribus vel Sororibus suprascripti Hospitalis, quod adversa pars confitebatur, exceptis illis, qui in Instrumento continentur, &

quia

quia confitetur adversa pars, quod ipsi Fratres Hospitalis Osnelli ordinent ipsam domum, & cum ipse vel alius pro Hospitalis S. Sepulchri non intromiserit se de ipsi domo Osnelli ordinandi vel de obedientiis recipiendis, dicebat se non debere trahi in causam, nec cogi litigare. Tamen confessus fuit dictus Gratianus in causa coram nobis, quod dixit Presbytero Alexio Converso suprascripti Hospitalis Osnelli, veni ad domum nostram, quia noster es, adiecit tamen, quod dixerat per iocum. Confessionibus itaque factis, & causa statim ventilata, Berlingerius Prior S. Sepulchri veniens coram nobis, dixit, & protestatus est, quia illud, quod Gratianus fecerat in hac causa, non placebat ei, nec suo mandato fecerat nec ratum habebat. Postmodum vero decimo Kalendas Julii Gratianus requisitus a nobis dixit, quod dictus Prior non interdixit ei facere hanc causam. Requisiti ergo a nobis dicti Prior Berlingerius, & Gratianus Syndicus, si vellent domum S. Sepulchri in hac causa defendere, responderunt, se nolle ulterius in causa ipsi procedere, & quod amodo probat causam, non venirent coram nobis. Nos igitur visis suprascriptis Confessionibus, & dictis Testium & Instrumentis diligenter inspectis, cum nobis de causa sufficienter liqueret; Habito quoque consilio prudentum virorum, & habitis suprascriptis Priore, & Gratiano pro contumacibus, pronuntiamus, quod domus S. Sepulchri nullum jus habeat in Hospitali Osnelli, vel ejus obedientiis. Ideoque condemnamus suprascriptum Gratianum Syndicum suprascripti Hospitalis S. Sepulchri, pro ipso Hospitali, & Hospitalitate, ut Prior S. Sepulchri, vel ejus successores, se ulterius ullo modo intromittant de ordinatione Hospitalis Osuelli, & ejus obedientiarum, ubicumque sint, & ut de cetero non impediant, seu infrigent Fratres, & Sorores suprascripti Hospitalis, & eorum Priores, qui pro tempore fuerint, ordinare suprascriptum Hospitale, & ejus obedientias ubicumque sint, & de eis disponere, & ut nullam obedientiam exigant a suprascriptis Fratribus, &

So-

Sororibus Hospitalis Osnelli, vel eorum Priore, ut illos Fratres & Sorores, qui suprascripto Gratiano tunc Priori S. Sepulchri pro ipso Hospitali S. Sepulchri obedientiam promiserunt, absolvant, & liberent; & ut suprascripta Instrumenta, quae de suprascripto Hospitali, & ejus obedientiis dictus Prior habet, eis restituat suprascriptis Gunto, & Viviano Syndicis, & Actoribus Fratrum, & Sororum suprascripti Hospitalis Osnelli, pro suprascripto Hospitali ex suprascripta delegatione condemnamus, & praedicta Instrumenta cassa, & inutilia pronunciamus. Data & recitata Pisis in Balatorio Curiae Pisani Archiepiscopatus praesentibus suprascriptis Syndicis Hospitalis Osnelli, & praesentibus Presbytero Catanaccio, & Presbytero Ruberto, & Marchucco Diacono Pisanis Canonicis, & Magistro Marignano Capellano jam domini Archiepiscopi, & Jordano, & Lamberto Guidonis Galli, & Panepono Jurisperitus, & Ruberto Nataleccii, & Opithino quondam Panfolis de Vico, & aliis. Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo decimo. Indictione duodecima, quinto Kalendas Julii.

Ego Silvester filius domini domini Henrigi Romanorum Imperatoris Judex Ordinarius, hanc sententiam a suprascripto domino Archiepiscopo, & Archipresbytero Pisanis Judicibus me praesente data eorum parabola, & mandato, scripsi, & firmavi.

XXVII.

XXVII.

Lotharius Archiepiſcopus mandat Vitali Canonico Piſano in Plebanum Eccleſiae Calcienſis electo, ut ſeſe abdicet vel Canonicatu, vel Plebe.

Ex Archivo ſecreto Archiepiſcopatus Tom. II. apographorum num. 604.

IN eterni Dei nomine amen. Ex huius publici inſtrumenti clareat lectione, quod cum Magiſter Vitalis Piſanus Canonicus eſſet in Balatorio Curie Piſani Archiepiſcopatus coram Domino Lottario Dei gratia Eccleſie Piſane Archiepiſcopo inter cetera, que idem dominus Archiepiſcopus propoſuit de facto Plebis Calcenſis, & electionis facte de ipſo Magiſtro Vitali in Plebanum dicte Plebis, dixit prefatus dominus Archiepiſcopus eidem Magiſtro Vitali, quod cum ipſe ſit Clericus Secularis, & Plebes de Calci ſit Eccleſia Regularis (1), *electionem ipſam pro nulla habebat, verumtamen ſi ipſe vellet Plebem ipſam habere, ſicut dominus Papa in privilegio* (2) *eidem domino Archiepiſcopo conceſſo dicit* Anno com. 1214.

(1) Cur Eccleſia Calcienſis dicatur *Regularis* hanc eſſe cauſſam puto, quod ſcilicet ejuſdem Eccleſiae Presbyteri in communi viverent, quod etiam ex monumento XVIII. conſtat, in quo iidem Presbyteri vocantur Canonici, & memoratur Clauſtrum, ubi morabantur. E contrario vero Vitalis Canonicus Piſanus dicitur Clericus *Saecularis*, quia Eccleſiae Piſanae Canonici vitam communem hoc tempore deſeruerant. Ex his tabulis apparet, ſaeculo quoque decimotertio nonnullarum Eccleſiarum Presbyteros in communi vixiſſe, quod Muratorius *Diſſertazione 61. ſopra le Antichità Italiane pag.* 288. *ediz.* 1756. affirmat, etſi certis monumentis id non oſtendat, ut ſcribit eruditiſſimus Cennius *in notis ad citatam Diſſertat. num.* 24.

(2) Lotharius procul dubio hic indicat epiſtolam 198. Innocentii III., quae eſt apud Balutium *T. II. lib.* 15. *pag.* 703. Confer *hanc Hiſtoriam pag.* 249.

cit, paratus erat ei ipsam Ecclesiam dare, & in ea eum ponere, & si non Ecclesiam ipsam aliis locaret, & dicebat sic in privilegio contineri quod quicumque Canonicorum fuerit in Plebanum alicuius Plebis electus, debeat promittere residentiam apud Plebem, & per seipsum gerere curam animarum, & facta Ecclesie ministrare, & dixit ei, quod cum sit Ecclesia Regularis oportet, ut efficiatur & ipse Regularis, & dixit ei, quod sic intelligebat residentiam, & predicta de cura animarum, quod ipse nihil ab inde habent facere, ut Canonicus in Ecclesia majori, & quod recipiendo Plebem renunciabat Canonice, & dixit quod non habent ipse eum pro Canonico, & cum Magister Vitalis respondens diceret se velle Plebem recipere, sicut in privilegio predicto continetur & non confiteretur, nec diffiteretur que de intelligentia residentie dominus Archiepiscopus dicebat, & diffiteretur Plebem esse Ecclesiam Regularem, dominus Archiepiscopus dixit, quod de ipsa intelligentia residentie, & curam animarum, & resignatione Canonice, & interpetratione privilegii volebat stare dicto, & interpetrationi domini Pape, & quod cum ipso Magistro Vitali paratus erat predicta domino Pape innotescere, & ejus audire interpetrationem. De eo vero quod Plebes sit Ecclesia Regularis, an non, paratus erat eligere arbitros, qui cognoscant si est, vel si non est.

Acta sunt dicta, & proposita . . . . . . hec Pisis in Balatorio Curie Pisani Archiepiscopatus presentibus Comite Ingherramo de Bizerno, & Lamberto quondam Lamberti Bonovis, & Ugone Grotti, & Manfredo filio Gualfredi de Grasso, & Frederico de Bizerno, & Baruccio quondam Guidonis Buttari, & aliis anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quintodecimo, Indictione tertia, quinto nonas Octobris.

Ego Silvester filius quondam Boni domini Henrigi Romanorum Imperatoris Judex, & Notarius predictis omnibus interfui, & hec inde ad futuri temporis memoriam scripsi, & firmavi.

XXVIII.

XXVIII.

Privilegia, quae Urbanus II., aliique Romani Pontifices Archiepiscopo Pisano concesserant, eidem confirmat Honorius III.

Ex apographis in Archivo Secreto Archiepiscopatus Pisani.

H*Onorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Vitali Pisano Archiepiscopo, ejusque successoribus canonice substituendis in perpetuum. Si sua cuique jura illibata servamus, & eos, qui in Ecclesia Dei pro injuncto sibi officio, & devotione sincera plus aliis elaborant digna retributionis vicissitudine, diligentius, ac specialius honoramus, quod nostrum est juxta commune debitum, sicut debemus, exequimur, & Apostolicae Sedis honorem integre custodimus. Proinde cum felicis memoriae &c.* ut in litteris Alexandri III. *Nos qui in Sedis Apostolicae administratione, licet indigni, disponente Domino sibi successimus eandem concessionem ad exemplar bonae memoriae Adriani, Alexandri, Clementis, Coelestini, Innocentii III. praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum auctoritate Apostolica confirmamus, & ratam manere censemus. Eorumdem quoque praedecessorum nostrorum &c.* ut in litteris citatis. *Pallei quoque usum fraternitati tuae concedimus, ut videlicet eo secundum consuetudinem Pisanae Ecclesiae perfruaris, & consecrationibus trium Episcoporum in Corsica Aelleriensis videlicet, Ajacensis, & Saguntinensis, ac praedictorum duorum in Sardinia, & Populoniensis Episcopi, quorum tu Metropolitanus existis. Si qua igitur in futurum &c.* Anno 1218.

Signum Honorii. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis.
Ego Honorius catholicae Eccleſiae Epiſcopus Ss.
† *Ego Nicolaus Tuſculanus Epiſcopus Ss.*
† *Ego Guido Praeneſtinus Epiſcopus Ss.*
† *Ego Hugo Hoſtienſis, & Velliternenſis Epiſcopus Ss.*
† *Ego Pelagius Albanenſis Epiſcopus Ss.*
† *Ego Petrus Sabinenſis Epiſcopus Ss.*
† *Ego Leo tituli Sanctae Crucis in Hieruſalem Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Petrus tit. Sanctae Prudentianae Paſtoris Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Robertus tit. Sancti Stephani in Celio monte Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Stephanus Baſilicae duodecim Apoſtolorum Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Gregorius tit. Sanctae Anaſtaſiae Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Thomas tit. Sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis Ss.*
† *Ego Guido Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Octavianus Sanctorum Sergii, & Bachi Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Gregorius Sancti Theodori Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Raynerius Sanctae Mariae in Coſmidin Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Romanus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Stephanus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Aleprandinus Sancti Euſtachii Diaconus Cardinalis Ss.*
† *Ego Aegidius Sanctorum Coſmae, & Damiani Diaconus Cardinalis Ss.*

Datum Laterani per manum Raynerii Sanctae Romanae Eccleſiae Vicecancellarii 6. idus Februarii Indic. 6. Incarnationis Dominice anno MCCXVII. Pontificatus vero donni Honorii Papae III. anno 2.

Ego



Ego Hubaldus quondam Robulini filius domini Frederici Romanorum Imperatoris Judex, & Notarius authenticum originale privilegii hujus praefati domini Papae Honorii tertii plumbea bulla serico vermilio, & croceo roboratum vidi, & legi coram Presbytero Angelo, & Ugone, & Ricovero, & Viviano Syndico domini Vicarii Dei gratia Pisani Archiepiscopi Clericis, & hoc fuit in Curia Pisani Archiepiscopatus, videlicet in Ballatorio ipsius Curiae currente anno Domini MCC. vigesimo quarto Indic. XI. tertio nonas Aprilis, & ideo haec omnia scripsi, & meo signo firmavi.

XXIX.

Gaufridus Castilionaeus Sanctae Romanae Ecclesiae Episcopus Cardinalis, & Apostolicae Sedis in Tuscia Legatus pacem componit inter Vitalem Archiepiscopum Pisanum, & Consules Vadenses; jubetque hos a Censuris Ecclesiasticis absolvi, quibus ab Archiepiscopo ob quaedam crimina subiecti fuerant.

Ex eodem Archivo Tom. II. apograph. num. *662.*

IN nomine Domini amen, millesimo ducentesimo vigesimo octavo, die martis quarto die intrante mensis Aprilis, Indictione prima, presentibus domino Bernardo Sub[illegible] . . . . . . de Rivuli, Presbytero Bono Cappellano Sancti Andree de Valle Sergii, Presbytero Cusio Ecclesie Sancti Michaelis de Lagnana Cappellano, Sismondo Notario quondam Ro-

Ann. 1228

Rustici, & domino Guilielmo Casanvidia Civibus Pisanis in Palatio domini Vitalis Pisani Archiepiscopi. Cum lis verteretur inter dictum venerabilem dominum Vitalem Dei gratia Archiepiscopum Pisanum ex una parte, & Bernardum filium Lamberti, & Guidonem quondam Manni Consules Castri de Vada, que talis erat: petebant dicti Consules nomine Comunis de Vada ex parte altera nomine Comunis, & Universitatis illius Castri a domino G. (1) *miseratione Divina titulo Sancti Marci Presbytero Cardinali Apostolice Sedis Legato, quod arbitrum factum per Plebanum, sive laudamentum reformaret, quod dictus Plebanus de Vada arbiter electus a supradicto domino Archiepiscopo fecerat super quodam nemore, quod dicitur Asca, inter dominum Archiepiscopum ex una parte, & Comune de Vada ex altera. Ex parte jam dicti domini Archiepiscopi in modum exceptionis fuit obiectum, quod isti non sunt Consules, & si essent, non possunt petere, vel agere pro Universitate illa, vel Comuni sine speciali mandato, & quod dictum Comune, sive Universitas excommunicatum est a dicto domino Archiepiscopo propter multa dampna dicte Plebis, & Monasterio de Vada* (2) *illata per ipsum Comune, & quod iniurias, & contumelias irrogaverant quamplures Nuntiis dicti domini Archiepiscopi, & quia dictum Comune non permisit*

(1) Giufrido ex nobili Castilionea gente Medionali nato, Urbani III. ex Sorore nepote, qui ex Monacho Cisterciensi primo Presbyter Cardinalis & Episcopus Sabinensis, deinde Summus Pontifex factus est nomine Coelestini IV.

(2) In oppido Dioecesis Pisanae *Vada Volaterrana* dicto antiquis Scriptoribus Ciceroni, Plinio, Antonino, & Rutilio Numatiano cognito, olim portu celebri, nunc autem penitus everso erat Monasterium Sancti Felicis, Ordinis S. Benedicti, de quo hic fit mentio. Cum hujus Monasterii nec Mabillonius in Annalibus Benedictinis, nec Mittarellius, & Costadonius in Annalibus Camaldulensibus meminerint, idcirco vetera monumenta ad ipsum spectantia breviter indicabo. Itaque Monasterium S. Felicis primo memoratur in tabulis servatis in Archivo secreto Archiepiscopatus *T. I. apographorum num.* 321. quae sic incipiunt: *In nomine Domini nostri Jesu Christi Dei eterni anno ab Incarnatione ejus 1137. sextodecimo Kalendas Octobris, Indictione quintadecima. Manifestus sum ego Rollandus Abbas* de

sit dictum dominum Archiepiscopum intrare possessionem rerum sibi adjudicatarum per dictum arbitrium, sive laudamentum. Ad quod respondebant dicti Consules nomine Communis sui, quod in veritate erant Consules, & quod de jure sine mandato poterant agere, tamen ex habundanti exhibuerunt instrumentum factum ab Universitate illius Ville ad Campanam pulsatam, in quo constituerunt tales suos Procuratores, & quod nesciebant se esse excommunicatos, nec credebant cum predicta non fecissent, & si propter predicta prefatus dominus Archiepiscopus dictum Comune excommunicavit

de Ecclesia, & Monasterio Sancti Felicis de Vada, quia cum consilio Fratrum meorum isti Monasterii per hanc cartulam vendo, & trado tibi Uberto Pisane Ecclesie Archiepiscopo ad utilitatem iste Ecclesie, & Archiepiscopatu Sancte Marie tertiam partem integram de una petia de terra posita in Pisa prope Ecclesiam Sancti Blasii. Medio circiter saeculo duodecimo Constantinus *de Laccon* Judex, & Rex Calaritanus in Sardinia praefato Monasterio donat quaedam bona, cui eadem confirmat Barisonus Constantini filius. Instrumentum apud Tronciu n *Annali Pisani pag.* 139. Anno 1191. septimo calendas Julii Benedictus Abbas vendit *Bullino quondam Ramundini unam integram terre petiam sitam infra confines de Vada in loco dicto* Vinea Baldi: idque facit *consilio, & consensu donni Alberti Presbyteri, & donni Rainerii Presbyteri Monachorum, & Joannis Subdiaconi, & Lamberti Celerarii servitorum suprascritte Ecclesie, & consilio, & consensu Nericonis quondam Saraceni, ac Guidonis Galiane fidelium predicte Ecclesie ordinatorum ad vendendum de bonis suprascritte Ecclesie pro explicando debito librarum quadragentarum bonorum denariorum domino Gualando Canonico Sancte Marie Pisane majoris Ecclesie, pro quibus sunt obligate ei omnes terras, quas suprascritta Ecclesia habet in Rasignano, & in ejus confinibus.* Instrumentum *in Archivo cit. T. II. num.* 502. Teste Cencio Camerario *Lib. censuum Romanae Ecclesiae* apud Muratorium *T. V. Antiq. Ital. Medii Aevi dissertat.* 69. *col.* 862. Monasterium Vadense S. Felicis quotannis solvebat Camerae Apostolicae *unum Obulum massemutinum*. Anno communi 1206. calendis Julii *donnus Barone Abbas Ecclesie, Abbatie, & Monasterii Sanctis Felicis de Vada* pollicetur dare Ubaldo Archiepiscopo Pisano *solidos viginti quatuor denariorum novorum Pisane monete omni anno per totum mensem Augusti Pisis ad Curiam Archiepiscopatus apud Ecclesiam Sancti Georgii de Ponte pro censu libelli atque fluminis, quod dicitur Fine a capite nemoris Communis de Rasignano, & suprascritti domini Archiepiscopi, quod caput dicti nemoris est versus mare usque podia a capite dicti nemoris usque mare, & jus ducendi, & derivandi ipsam aquam a predicto capite dicti nemoris usque podia in terram, & per terram propriam suprascritte Abbatie ad faciendum, & construendum molendinum, vel molendina sub uno tecto tantum in quocunque uno loco ipse Abbas, vel ejus successores voluerint.* Instrumentum *in Archivo* indic.

vit, injuste fecit, tamen petebant a dicto domino Legato absolvi secundum justitiam. Unde cum ista fuissent dicto domino Legato per Magistrum Laudulfum Cappellanum suum dictis partibus auditorem concessum diligenter relata, dictus dominus Legatus habita deliberatione cupiens lites breviare fecit per dictum Magistrum dictos Consules cavere de rato, ac volens dicto domino Archiepiscopo, in quibus cum dicto Potestate deferre, ita statuit per dictum Magistrum, quod dicti Consules de Vada nomine suo, & nomine Communis illius Ville, sive Uuniversitatis debeant jurare in manu dicti domini Archiepiscopi stare mandatis Ecclesie super omnibus,

pro

dic. T. II. num. 580. Vir doctissimus P. Sbaralea *T. I. Bullarii Franciscani pag.* 659. ex Archivo Vaticano litteras Innocentii IV. publicavit scriptas anno 1253. die 4. Junii *dilectis filiis Conventui Monasterii S. Felicis de Vada*, ex quibus apparet, eo anno in Abbatem electum fuisse Jordanum, ac Romae a Nicolao de Carbio Ordinis Minorum Conventualium alumno, & Episcopo Assisiensi benedictum. Idem ipse Sbaralea alias Innocentii litteras indicat, quarum priores inscriptae sunt Clericis Ecclesiarum Monasterii S. Felicis de Vada; posteriores vero populo de Vada, & fidelibus ejusdem Monasterii; in quibus cum haec verba legantur: Jordanum Abbatem *revertentem devote suscipientes ipsius salutaribus monitis, & mandatis humiliter intendatis, vos fideles praestantes eidem fidelitatis solitae juramentum*, P. Sbaralea laudatus infert, oppidum Vadense sub dominio Monasterii Sancti Felicis olim fuisse. Ab Alexandro IV. Monasterium hoc concessum fuit Monialibus Coenobii Sancti Augustini Ordinis ejusdem Sancti *secundum instituta Fratrum Praedicatorum viventibus*, ut constat ex litteris Alexandri (apud clariss. Bremondium *T. VII. Bullarii Ordinis Praedicatorum num.* 309. *pag.* 38.) scriptis anno 1258. die 26. Februarii, quibus Summus Pontifex jubet Archipresbytero Pisano, ut arbitror, ut bona Monasterii S. Felicis ad Coenobium S. Augustini pleno jure spectantis, quae cum Jordanus Abbas, tum hujus decessores illicite alienaverant, ad jus, & proprietatem memorati Coenobii legitime revocare curet. Coenobium S. Augustini exstabat *in via Romea extra muros Pisarum* (vide *litteras Paulli II.* apud Bremondium *T. cit. num.* 49. 50. 52. *pag.* 96. *& seq.*) non procul a suburbio Sancti Marci; ac in eo Moniales morabantur anno etiam 1470. (*ex litteris Paulli II. T. III. op. cit. num.* 45. *pag* 474.) Servantur in Archivo Monasterii Pisani Sancti Paulli *ad Hortum* vetera quaedam monumenta, ex quibus erudimur Moniales S. Augustini anno 1479. Pisas venisse, ac primo in domo *de Gambacurtis* moratas esse, deinde anno scilicet 1481. habitare coepisse Monasterium S. Paulli superius laudatum. Litterae Alexandri VI. (apud Bremondium *T. IV. op. cit. n.* 106. *pag.* 179.) nos docent anno 1501. eidem Monasterio conjunctam fuisse Paroeciam *Sanctae Luciae de Cappellariis*, cujus Monasterium ipsum patronus erat.

pro quibus dictus Archiepiscopus dicit eos excommunicasse, & quod satisfaciant pro dampnis offensis iniuriis, quæ, & quas probatum fuerit legiptime dictum Comune, sive dictam Universitatem de Vadi dedisse, vel irrogasse dicte Plebi, vel Nuntiis dicti domini Archiepiscopi. Et recepta dicta cautione, sive juramento dictus dominus Archiepiscopus sine alio gravamine, vel precepto debeat eosdem Consules nomine suo, & nomine Comunis, vel Universitatis illius Ville ab omni excommunicatione, vel excommunicationibus, seu interdicto, vel interdictis absolvere, & relaxare, quibus dicebat dictum Comune, vel dictam Universitatem supposuiße.

Actum Pisis in Palatio domini Archiepiscopi, ut dictum est superius coram predictis testibus ibidem ad hec vocatis.

Ego Amicus Sancti Georgii de Mediolano Notarius Sacri Palatii hanc cartam de mandato dicti Magistri Landulfi tradidi, & rogatus scripsi.

Ego Hubaldus quondam Robulini domini Frederici Romanorum Imperatoris Judex, & Notarius autenticum hujus vidi, tenui, & legi, & illud exemplando manu propria subscripsi, & meum signum apposui.

Ego Guido filius quondam Herrigonis Imperialis Aule, Notarius autenticum hujus vidi, & legi, & ideo huic subscripsi.

Ego Deodatus filius Bongiannis Imperialis Aule Notarius autenticum huius vidi, & legi, idcirco huic subscribendo signum meum apposui.

Ego Ildinus filius Joannis de Narucchio domini Frederigi Romanorum Imperatoris Notarius authenticum hujus vidi, & legi, idcirco huic subscripsi, & meum signum apposui.

XXX.

XXX.

Vitalis Archiepiscopus, jubente Gregorio IX. ut Ecclesiae Pisanae Sanctae Mariae Magdalenae proprius Parochus assignetur, hoc praestat per Hormannum Priorem Sancti Petri majoris Urbis Lucae.

Ex Archivo laudato T. citato num. 677.

Anno 1230. *IN eterni Dei nomine amen ..... mihi Hormanno Priori Sancti Petri majoris Lucani venerabilis Pater Pisanus Archiepiscopus auctoritate Summi Pontificis in hunc modum: sapienti, & provido viro Priori Sancti Petri majoris Lucani Vitalis Dei gratia Pisanus Archiepiscopus totius Sardinie Primas, & Apostolice Sedis Legatus cum dilectione salutem. Placuit Summo Pontifici ad petitionem Parrochianorum Ecclesie Sancte Marie Pisane nobis scribere in hac forma. Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Archiepiscopo Pisano salutem, & Apostolicam benedictionem. Supplicaverunt nobis dilecti .... Parrochiani Ecclesie Sancte Marie Pisane, ut in eadem Ecclesia habendi Cappellanum* (1) *proprium licentiam ..... concedere dignaremur cum per .... propriis sibi redditus assignare .... Diocess.... hac parte ...... firmitati & ..... expedire vi .... sine .... judicio alieni. Datum Perusii septimo idus ... Cum autem multiplicibus negotiis occupati exequtioni di-*

(1) Idest Parochum. Antiquis enim temporibus Presbyteri, qui iis praeerant Ecclesiis, in quibus Baptismus non conferebatur, etsi alia conferrentur Sacramenta, Cappellani communiter vocari solebant, ut constat ex monumentis apud Muratorium *Dissertazione 74. sopra le Antichità Italiane pag. 481. e seg. ediz. 1766.*

dicti mandati intendere minime valeamus, & propter quedam alia . . . . . nobis imminent Archiepiscopalia pertractanda nos oporteat ad presens Pisanam Civitatem exire, & quia dicti Parrocchiani propter quorundam . . . . . adversariorum potentiam omnes Prelatos Civitatis Pisane sibi suspectos reputent, idcirco ad postulationem humilem eorundem Parrochianorum tue discretioni, de qua fiduciam gerimus pleniorem, vices nostras in hac parte duximus committendas, suadentes, & mandantes tibi auctoritate, qua fungimur in hac parte, quatinus super jam dicto mandato Apostolico nobis facto procedere non postponas, prout secundum Deum cognoveris procedendum de jure. Verum quia Leonardus quondam Bandinachi Procurator, & Sindicus Parrocchianorum dicte Cappelle pro ipsa Parrocchia a me instanter petiit, ut auctoritate predicta in Ecclesia Sancte Marie Magdalene Pisarum licentiam concederem habendi proprium Cappellanum, cum parati sint Parrocchiani predicti de bonis propriis sufficientes sibi reditus assignare. Unde quia dicta Parrocchia proprium Cappellanum habere mihi de consilio sapientum expedire videtur, ideo ego suprascrittus Borninus Prior . . . . . Leonardo Procuratori Parrocchianorum suprascritte Cappelle procuratorio nomine pro eis, & ipsis Parrocchianis secundum postulationem . . . . scriptum domini Pape eligendi in predicta Ecclesia proprium Cappellanum concedo sine juris prejudicio alieni, & electo a predicta Parrocchia proprio Cappellano . . . . . . per dominum Archiepiscopum Pisanum, vel eius Nuntium debeat . . . . mari, & institui. Et Cappellanus, qui pro tempore fuerit sit electus . . . . . Archiepiscopum requirat, & veniat, si vult, ad solempnitates suprascritte Ecclesie. Item ut dehinc ad quatuor proximos menses . . . . . pro ipsa Parrocchia emat, vel emi faciat tantam terram ad opus suprascritte Ecclesie, de qua Cappellanus suprascritte Cappelle possit annuatim . . . . . pro reditu staria decem grani tracti, & parati Pisis apud suprascrittam Ecclesiam Sancte

Marie eidem Leonardo pro ipsa Parrocchia, & ipsi Parrocchie auctoritate, qua fungor, iniungo, contradictores si qui apparuerint, vel rebelles auctoritate, qua fungor, excommunico. Et taliter suprascrittus Prior Hormannus Falconem Notarium scribere rogavit. Actum in claustro Canonice Sancti Petri majoris Luce presentibus Benencasa Subdiacono suprascritte Canonice, & Reale Clerico filio Ormanni, & Lombardo quondam Lamberti rogatis ad hec testibus. Anno Domini millesimo dugentesimo trigesimo, Indictione tertia, decimo Kalendas Martii.

Ego Bonalbergus Bonacursi quondam filius domini Frederici Serenissimi Romanorum Imperatoris Notarius ex commissione mihi a Falcone Notario quondam fratre meo de universis suis actis facta, hanc cartam, sicut in predictis actis inveni, ita hic scripsi, atque firmavi, meoque . . . . . ipsam corroboravi.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Ex hac publica litterarum serie clare, ac manifeste appareat, quod dominus Vitalis Dei gratia Pisanus Archiepiscopus sequens formam mandati domini Apostolici sibi facti, & etiam tenorem pronuntiationis Prioris Sancti Petri majoris Lucani electionem concorditer factam a Parrocchianis Ecclesie Sancte Marie Magdalene de Pisis ex parte Kinsice, sicut apparet per publicum instrumentum per me Pacem Notarium confectum de Presbitero Alberto ad eandem Ecclesiam Sancte Marie confirmavit. Et ut hiis fides plenius habeatur, predictus dominus Archiepiscopus me Pacem Notarium hanc cartam scribere rogavit. Actum Pisis in Cappella suprascritti domini Archiepiscopi presentibus Bonalbergo Notario, & Gualterio, & Hubaldo Notariis testibus ad hec rogatis Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo trigesimo, Indictione tertia, undecimo Kalendas Aprilis.

Coram quibus testibus in continenti eodem suprascritto die, & loco prefatus dominus Archiepiscopus commisit, & mandavit Magistro Salimbene, ut die crastina personaliter ad di-

dictam Ecclesiam acce. . . . Presbiterum Albertum auctoritate ipsius domini Archiepiscopi secundum tenorem predicti mandati Apostolici, necnon & predicte pronuntiationis predicti Prioris Sancti Petri majoris Lucani in . . . . . . de spiritualibus, quam de temporalibus pro Cappellano predicte Ecclesie investiat.

. . . . mori sequenti die, qui fuit decimo Kalendas Aprilis predictus Magister Salimbene, cui predictus dominus Archiepiscopus commisit vices suas corporaliter accedens . . . . . . Ecclesiam Sancte Marie Magdalene sequens formam mandati Apostolici, & pronuntiationis suprascritti Prioris posuit suprascrittum Presbiterum Albertum in Sede, ac ipsum tam de spiritualibus quam de temporalibus pro Cappellano prefate Ecclesie Sancte Marie investivit, dando sibi Presbitero Alberto funes Campanarum, & claves Ecclesie suprascritte. Actum Pisis in Choro suprascritte Ecclesie Sancte Marie presentibus Simone Bacconis, & Salimbene quondam Soffredi, & Pericciolo filio Teperti, & Cigulose quondam Petri, & Orlando Plactajolo, & Johanne Fornario, & Bencivenne Crovario, & aliis pluribus, me quoque Pace Notario presente.

Ego Pace filius Bentivegne domini Frederici excellentissimi Romanorum Imperatoris Jerusalem, & Sicilie Regis Notarius predictis omnibus interfui . . . . . . ad veritatis evidentiam rogatus scripsi, atque firmavi.

XXXI.

Decisio litis, quam Archiepiscopus Pisanus habebat cum Potestate, & Consiliariis de Vico Pisano, committitur a Gregorio IX. Abbati Monasterii Marturensis, Marturensi, & Sancti Geminiani Praepositis.

Ex eodem Archivo Tom. III. apograph. num. 732.

Anno 1237. *GRegorius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Abbati (1) Sancti Michaelis Marturensis (2), & Marturensi, & Sancti Geminiani Praepositis Florentinae, & Vulterranae Dioecesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Venerabili fratre nostro Pisano Archiepiscopo accepimus conquerente, quod Potestas, Consiliarii, & Commune de Vico Pisanae suae Dioecesis quandam Turrim (3), & res alias ad mensam suam pertinentes contra justitiam (4) occuparunt, & eas detinent in ejus praejudicium, & gravamen.*

(1) Fortassis *Benedicto;* littera enim initialis ejus nominis est B., ut apparet ex petionibus Venturae Syndici, & Procuratoris Vitalis Archiepiscopi, quae sunt post recitatas Gregorii litteras in Archivo Archiepiscopali.

(2) Idest *de Podio Bonitii* oppido ad fluvium *Elsam* inter Florentiam, & Senis. Monasterium Marturense S. Michaelis aedificatum fuit sub saeculi decimi finem ab Hugone Tusciae Marchione. Vide tabulas apud Placidum Puccinellium *Cronica dell' Abbadia Fiorentina pag. 222. & seq.*

(3) Turris, de qua litigabatur, posita erat *in summitate Castri prope Ecclesiam S. Michaelis, & tenet unum caput in via, qua itur ad dictam Ecclesiam, latus unum in via, que est juxta terram, sive ortum Bonajunte Mosconis, aliud latus in terra Ecclesie S. Johannis via mediante.*

(4) Inter rationes, quas Ventura superius laudatus coram Judicibus adducit, ut probet Turrim ad Archiepiscopum spectare, sunt sequentes. I. *quod cum vir nobilis Guicio de Caprona esset Potestas Communis de Vico, aliquotiens rogavit suprascriptum dominum Vitalem nunc Pisanum Archiepiscopum cum esset*

men. Ideoque discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatinus partibus convocatis, audiatis causam, & appellatione remota sine debito terminetis, facientes, quod decreveritis, per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Provisonem universitatem (1) *de Vico Pisano excommunicationis, vel interdicti sententiam proferatis, nisi mandatum a nobis super hac receperitis speciale. Testes autem, qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel timore subtraxerint Censura simili, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse duo vestrum ea nihilominus exequantur. Data Laterani 7. calendas Novembris Pontificatus nostri anno undecimo.*

XXXII.

set apud Vicum presentibus pluribus hominibus de Vico, quod ipse faceret fieri edificium in suprascritta Turri, ita quod posset in hea habitare dicens, quia major honor erat ei habitare apud Vicum in suprascritta Turri cum sit Archiepiscopatus, quam habitare apud Calcim, & promisit ei pro suprascritto Communi facere adjutorium ad predictum edificium faciendum. II. *quod prefato Archiepiscopo existente in Sardinea Petrus Tepertinge de Vico convocatis quibusdam Vicanis publice dixit, modo cum Archiepiscopus sit absens, & sit in Sardinea possumus apprehendere Turrim Sancte Marie, & facere inde, quod volumus, & non erit, qui contradicat nobis.*

(1) Ita in exemplari, cui convenit autographum, sed in utroque error apparet.

XXXII.

Prior Ecclesiae Pisanae Sancti Petri ad Vincula *prohibet Priori Ecclesiae Lucensis Sancti Michaelis, ne solus causam, quae inter Archiepiscopum Pisanum, illiusque Capitulum vertebat, examinet.*

Ex eodem Archivo T. III. num. 745.

Anno 1240. *IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Manifestum sit omnibus, quod Ognabene Clericus ad hoc specialis Nuntius constitutus, sicut per scedam a me Caccialoste Notario precibus, & mandato domini Prioris Sancti Petri ad Vincula rogatam apparet ex parte ipsius Prioris Sancti Petri ad Vincula inhibuit post Nonam, & ante Vesperas domino Priori Sancti Michaelis in foro Lucano, ne procedat ad ..... tionem testium, vel ad cognitionem alicujus articuli in causa, que vertitur inter venerabilem Patrem Pisanum Archiepiscopum, & ipsius Capitulum sine ipso Priore Sancti Petri, quem venerabilis Sabinensis Episcopus ipsi Priori Sancti Michaelis in omnibus, que sibi commiserat, per speciales literas duxerat sociandum, quas literas idem Ognabene Nuntius eidem Priori Sancti Michaelis petenti exhibuit, & idem Prior eas habuit, & perlegit, & ipsarum sigillum inspexit, litterarum siquidem ostensarum ipsi Priori Sancti Michaelis hic tenor erat. Giuffredus* (1) *Divina patientia Sabinensis Episcopus viro perito, & discreto Priori Sancti Petri in Vinculis Pisarum salutem in Do-*

(1) Qui & Gaufridius dicitur e familia Castillionea Mediolanensi, de quo superius actum est.

Domino Jesu Christo. Cum in causa, que inter venerabilem Patrem Archiepiscopum Pisanum ex parte una, & ipsius Capitulum super quibusdam Ecclesiis, & rebus aliis ex altera verterit, dominus Papa nos dederit Auditorem, & lite contestata testes aliqui sint producti, & adhuc restent alii nihilominus producendi, sine quorum testimonio plenam habere non possumus notitiam veritatis, ipsorum receptionem, & diligentem examinationem Priori Sancti Michaelis in foro Lucano duximus committendam. Ut igitur sine suspictione in ipso negotio procedatur de tua discretione plurimum in Domino confidentes te prefato Priori duximus sociandum, tibi, qua fungimur auctoritate, firmiter precipiendo mandantes, quatenus habens pre oculis solum Deum super receptione testium prefatorum cum jam dicto Priore, ac aliis, quos sibi super dicta causa duximus committendos, mediante justitia procedas secundum traditam sibi formam. Datum in Urbe apud Sanctam Susannam anno Domini millesimo dugentesimo trigesimo nono, duodecimo calendas Januarii. Que littere sigillo ipsius Sabinensis Episcopi erant munite, in quo quidem erat Episcopi imago impressa tenens in manu baculum Pastoralem, & undique erat hiis litteris circumdatum ✠ S. Giuffredi Sabinensis Episcopi : *& denuntiavit etiam dictus Ognabene Nuntius eidem Priori Sancti Michaelis, quod si forte ipse procederet sine Priore prefato Sancti Petri Prior cassabat processum ipsius Prioris, & pro casso, & irrito ipsum ex tunc pronuntiabat ..... hec inhibitio, & literarum ostensio, atque exhibitio suprascritto Priori Sancti Michaelis in foro a predicto Ognabene Nuntio Pisis in Camera, in qua jacebat tunc dominus Ventura Pisanus Canonicus, presentibus ipso domino Ventura, & Laboratore Notario, & Bonaccurso Clerico, & Henrico de Pratello testibus ad hec rogatis : anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, Indictione tertia decima quarto nonas Januarii.*

Postea

Postea vero eodem die in sero cum Ambroscius constitutus ad hoc Nuntius a prefato Priore Sancti Michaelis in foro, prout apparebat per scedam rogatam a Laboratore Notario inquireret dominum Priorem Sancti Petri ad Vincula, ut faceret sibi pro ipso domino Priore Sancti Michaelis copiam literarum predictarum, & ut ipse dominus Prior deberet die crastina in tertia convenire cum predicto Priore Sancti Michaelis apud Sanctum Laurentium de Rivolta ad deliberandum quid expediret eisdem de predicta causa, dominus Prior per me Caccialoste Notarium fecit eidem Nuntio transcriptas literas exhiberi ascultatas de verbo ad verbum cum originalibus, ad aliud, quod dicebat prefatus Nuntius, videlicet quod deberet convenire &c. respondit, quod hoc commode facere non poterat, cum paratus esset ire Calci propter quoddam, quod sibi presentialiter incumbebat, set in alio termino, de quo simul concordarent, paratus erat facere omnia supradicta, & cetera, que postulat ordo juris. Hec acta sunt in sala Sancti Petri predicti presentibus Presbytero Guilielmo, & Simone Canonicis ipsius Ecclesie, & aliis subscriptis testibus ad hec rogatis.

Ego Caccialoste filius quondam Benassarii de Blentina domini Frederigi Romanorum Imperatoris Notarius suprascrittis interfui, & hanc cartam rogatus scripsi, atque firmavi.

XXXIII.

XXXIII.

Bertoldus negat, se litigare velle coram Pandulfo de Fasanellis pro Vitali Archiepiscopo Pisano adversus Universitatem Vadensem.

Ex Archivo citato T. III. num. 755.

IN *nomine Domini amen. Ex hoc publico instrumento sit omnibus manifestum, quia cum Bertoldus publicus Nuntius Pisani Communis, & Procurator domini Vitalis Dei gratia Pisani Archiepiscopi procuratorio nomine pro suprascritto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatu Pisano esset apud Castilionem Aretini in platea Plebis suprascritti Castri in presentia domini Comitis Pandulfi de Fascenella* (1) *Imperialis Aule in Tuscia Generalis Capitanei, & domini Filippi Judicis ipsius domini Comitis coram me Martino Notario quondam Acceriti de Vico, domino Conpiuto Judice, & domino Homodeo de suprascritto Castro, & Jacobo Procuratore Communis de Vada, & Artimanno Notario de Montefolonico procuratorio nomine pro predicto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatu Pisano dixit, & proposuit, quod predictum dominum Archiepiscopum in lite, quam movet ei suprascrittus Jacobus Sindicus Communis, & Universitatis de Vada sindicatus nomine, seu procuratorio nomine pro suprascritto Communi, & Universitate coram suprascritto Comite, vel ejus Judice suprascritto, quia estis laici, non debetis cogere litigare, cum ipse dominus Archiepiscopus sit Clericus, & de foro Clericali, & ideo in dicta lite Judices esse non potestis. Item dixit, & proposuit, quod de* Anno comm. 1240.

(1) De Pandulpho *della Fasanella* vide cl. Flaminium dal Borgo *Dissertazione 4. dell' Istoria Pisana pag. 224. & seq. in not.*

hiis, de quibus dictus Sindicus pro suprascritto Communi litem movet, sive movere intendit predicto domino Archiepiscopo vos Judices esse non potestis, cum de eisdem compromissum fuerit ab eodem domino Archiepiscopo, & suprascritto Communi de Vada in arbitrum, & idem arbiter inter eos tulerit laudamentum, & ipsum Commune habuerit ratum, & ratificaverit dictum laudamentum solvendo eidem domino Archiepiscopo partem debiti in eodem laudamento comprehensi. Item dixit, & proposuit, quod Judices esse non potestis, quia Commune, vel Procurator, seu Sindicus dicti Communis pro suprascritto Communi de predictis contra ipsum dominum Archiepiscopum coram domino Giuffredo Cardinali tunc in Tuscia Apostolice Sedis Legato quirimoniam proposuit, & coram eodem libellum porrexit suprascritto domino Archiepiscopo, vel Procuratori ipsius domini Archiepiscopi, & litem cum eo contestatus fuerit, quas exceptiones suprascrittus Procurator procuratorio nomine pro suprascritto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatu Pisano dixit, & protestatus fuit, quod paratus erat probare suo loco, & tempore, quas exceptiones non receperunt: anno Dominice Incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, Indictione tertiadecima, quartodecimo Kalendas Octobris.

Postea verò eodem suprascritto die in suprascritta platea presentibus suprascritto Artimanno Notario, & Jacobo suprascritto, & Junta Notarius ex Sancto Savino, & Bendelmonte de Pescia, & aliis suprascrittis, Bertoldus procuratorio nomine pro suprascritto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatu Pisano coram suprascritto domino Filippo proposuit, & ipsum requisitum, ut exceptiones suprascrittas a se predicta die propositas procuratorio nomine pro suprascritto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopatu Pisano coram eo pro dicto Comite admictent, & admictere debent, & si eas non recipient, ne aliter contra ipsum dominum Archiepiscopum, & Archiepiscopatum Pisanum procederet, aut si con-

contra eum, vel Archiepiscopum Pisanum procederet in aliquo, & quia suprascrittas exceptiones non receperunt ...... se procuratorio nomine pro suprascritto domino Archiepiscopo, & Archiepiscopis, & ipsum Archiepiscopum, & Archiepiscopos Pisanos indebite gravari a vobis, pro vobis, & pro suprascritto Comite, & ab ipso Comite ab hoc gravamine, & ab omnibus aliis gravaminibus illatis, & inferendis ad dominum Regem Henrigum (1), *& ad dominum Federigum Dei gratia Romanorum Imperatorem, & ad dominum Papam appellavit.*

Ego Martinus quondam Acceriti de Vico Pisano domini Imperatoris Notarius prefatis omnibus interfui, & hanc cartam a suprascritto Bertoldo scripsi, & publicavi.

XXXIV.

Litterae Gregorii IX. ad Episcopum Pistoriensem pro Archiepiscopo Pisano.

Ex Archivo citato Tom. III. n. 761.

IN Christi nomine amen. Scripsit Summus Pontifex nobis Anno
G. (2) *Dei gratia Pistoriensi Episcopo in hunc modum.* 1240.
Gregorius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri ..... Episcopo Pistoriensi salutem, & Apostolicam benedictionem. Sua nobis venerabilis frater noster Archiepisco-

N 2

(1) Igitur hoc anno 1240. adhuc vitam vivebat Rex Henricus Friderici Imperatoris filius, ideoque falsum omnino est, illum decessisse anno 1236. quod nonnulli Scriptores posterorum memoriae mandarunt.

(2) Gratiadeo Berlingherio patria Florentino insigni Jurisconsulto, qui ab anno 1223. usque ad initium anni 1250. Ecclesiam Pistoriensem gubernavit, ex cl. Rosatio *Memorie de' Vescovi di Pistoja pag. 90. & seq.*

piscopus Pisanus petitione monstravit, quod cum Commune de Vada Pisanae Dioecesis ipsum coram P. de Fascianellis, qui se asserit Generalem Capitaneum in Tuscia Frederici dicti Imperatoris super quibusdam nemore, ac pascuis ad Ecclesiam Pisanam spectantibus, traxissent in causam; Procurator dicti Archiepiscopi excipiendo proposuit coram eo, quod non tenebatur in eius presentia respondere, cum ad jurisdictionem suam bujusmodi cognitio non spectaret; & quia idem P. banc ejus exceptionem legittimam admittere contra justitiam denegavit, ex parte prefati Archiepiscopi fuit ad nostram audientiam appellatum. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus si ita est revoces in statum debitum quidquid post appellationem bujusmodi temere inveneris aptemptatum. Datum Laterani tertio Kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno quartodecimo.

XXXV.

XXXV.

Vitalis Archiepiscopus permittit Fratribus Pisanis Ordinis Minorum, ut possessionem ineant Ecclesiae Sanctissimae Trinitatis, quam dono acceperant a Gaufrido Castilioneo S. R. E. Cardinali, & Apostolicae Sedis in Tuscia Legato.

Ex apographo in Archivo Monasterii Sancti Francisci in Libro, cui titulus: *Memorie del Convento di San Francesco di Pisa*: folio 16.

VItalis Dei gratia Pisanus Archiepiscopus totius Sardiniae Primas, & Apostolicae Sedis Legatus Ministro domus S. Francisci Minorum Civitatis Pisanae, eiusque Fratribus ibidem commorantibus salutem in Domino. Scripsit nobis summus Pontifex in hac forma: Innocentius Episcopus &c. Quia (1) *personas Religiosas &c. Nos autem antendentes formam praedicti mandati, & concessionem domini Giufredi bonae memoriae tunc tituli S. Marci Presbyter Cardinalis Apostolicae Sedis Legatus, cuius tenor talis est: Giufredus* (2) *miseratione &c. Universitati vestrae &c. Volentes etiam mandatum Apostolicum exequi sine alieni juris iniuria, prout pos-* Anno 1247.

(1) Hae litterae Innocentii IV. editae sunt *T. I. Bullarii Franciscani n.230. p.484.*

(2) Integras Giufredi litteras hic damus *ex Libro cit fol. 12.* „ Giufredus mi- „ seratione Divina tit. S. Marci Presbyter Cardinalis Apostolicae Sedis „ Legatus universis Christi fidelibus hanc paginam inspecturis salutem in „ Domino. Universitati vestrae praesenti volumus intimari rescripto, „ quod nos dilectis filiis Custodi, & Fratribus Ordinis Fratrum Mino- „ rum vacantem Ecclesiam Sanctae Trinitatis Pisan. sitam in loco, qui „ dici-

possumus, & debemus, concedimus, seu restituimus vobis praedictam Ecclesiam (1) *S. Trinitatis Pisan. cum domibus, horto, & pertinentiis suis ibidem positis, prout in praedicti domini Papae, & praefati Cardinalis litteris continetur. Salvo jure nostro, & Archiepiscopatus Pisani, & aliorum jus habentium* (2), *in Ecclesia supradicta, & salvis pri-*

,, dicitur *supra Castellum*, quam Presbyter Henricus Rector olim ipsius
,, in nostris manibus liberaliter resignavit cum domibus, horto, & per-
,, tinentiis suis ibidem positis duximus conferendam, ut ibi habitent,
,, & Domino famulentur juxta eorum observantias regulares; salvo jure
,, venerabilis Patris Archiepiscopi Pisani, & aliorum habentium jus in
,, ipsa, & salvis etiam privilegiis ab Apostolica Sede Fratribus eisdem
,, concessis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae
,, concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis au-
,, tem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac
,, Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.
,, Datum Prati nonis Augusti.

(1) Erat haec Ecclesia in primo claustro Conventus Sancti Francisci, quae saeculo elapso penitus destructa fuit, ut apparet ex monumentis in Archivo superius laudato.

(2) In memorata Ecclesia jurisdictionem exercebant Monachi Pulsanenses, qui ut apparet ex litteris Clementis III. apud clariss. Mittarellium, & Costadonium *T. IV. Annalium Camaldul. in Append. n.* 103. *col.* 174. ab anno saltem 1189. in Monasterio Sancti Jacobi de Podio, seu de Orticaria habitabant. Ideo vero Pulsanenses dicti sunt, quoniam eorum Congregatio in monte *Pulsano* prope Sipontum in Apulia Daunia a B. Joanne instituta fuit. Vide Annales memoratos *T. III. lib.* 28. *ad ann.* 1139. *num.* 24. *pag.* 265. Mittarellius, & Costadonius superius laudati *T. V. op. cit. lib.* 42. *pag.* 101. sub anno quoque 1269. praefatum Monasterium ad Monachos Pulsanenses spectasse putant, sed ex litteris Alexandri IV. anno 1260. decimasexta Februarii die scriptis ad Fratrem Mansuetum Ordinis Minorum Capellanum, & Poenitentiarium Summi Pontificis liquet ad Canonicos Regulares eo tempore spectasse. Sic enim incipiunt citatae litterae *T. II. Bullarii Franciscani num.* 533. *pag.* 384. ,, Dilecti ,, filii . . . . Prior, & Conventus Ecclesiae Sancti Jacobi de Orticaria ,, Ordinis Sancti Augustini Pisanae Dioecesis ,, Patres Pulsanenses autem Monachi erant Sancti Benedicti, discalceati incedebant, ac vestes albas, quae affinitatem quandam habebant cum vestibus PP. Camaldulensium, portabant. Confer *T. III. Annal. Camaldul. lib. cit.*. Ecclesia S. Jacobi postquam Canonici Regulares eam reliquerunt, in Parochiam evasit, deinde vero una cum domo eidem conjuncta, annuente Benedicto XIV. Pontifice Maximo, a Francisco ex nobilissima Comitum Guidiorum stirpe nato, qui nunc Pisanum populum regit, ob summam ejus curam in disciplina Ecclesiastica sarcta tecta servanda, Presbyteris, aliisque Clericis, qui certis anni temporibus exercitiis pietatis incumbere volunt, assignata est.

privilegiis a Sede Apostolica Ordini vestro concessis; Salvo etiam quod Presbyter Odmundus, qui in eadem Ecclesia pro Rectore (1) *moratur, possit, donec vixerit, inibi permanere, ita tamen quod propter ipsius moram nullum vobis, & Ordini vestro circa praedictorum concessionem, vel possessionem, quam nunc vobis concedimus, prout dictum est, praeiudicium generetur. Reservata nobis potestate de libris, & paramentis Altaris, seu Sacerdotalibus, & thesauris, seu mobilibus, vel bonis aliis, si qua ibi sunt, disponendi, prout nobis de jure visum fuerit disponendum. Et damus atque concedimus vobis potestatem, ex nunc, quando volueritis, aprehendendi per vos ipsos corporalem possessionem praedictae Ecclesiae S. Trinitatis, cum domibus, horto, & pertinentiis suis auctoritate vestra, salvis omnibus supradictis. Ad fidem autem praedictorum omnium faciendam, praesentes litteras sigillo nostro munitas vobis duximus indulgendas. Dat. apud Ecclesiam S. Michaelis de Orticaria* (2) *Pisanae Dioecesis sub anno Domini* 1247. *idibus Decembris, Pontificatus domini Innocentii Papae IV. anno quinto.*

XXXVI.

(1) Itaque Ecclesia laudata Parochia erat, siquidem regebatur a Presbytero, qui Rector dicebatur.

(2) Ecclesia Sancti Michaelis de Orticaria communiter dicta *Discalceatorum*, una cum annexo Monasterio nunc pertinet ad Canonicos Regulares. Antiquitus possidebatur a Monachis Pulsanensibus, quemadmodum erudimur ex Alexandri III. litteris in Annalibus Camaldulensibus legendis. Saeculo decimotertio eadem Ecclesia, & Monasterium percelebre erat. Fridericus enim Vicecomes Archiepiscopus Pisanus ab anno 1254. ad annum 1274. in quodam Sermone MS. servato Florentiae in Bibliotheca Sanctae Crucis, nunc Mediceo-Laurentiana, quem ipse Fridericus habuit in Ecclesia citata, hortatur populum ad eandem Ecclesiam exemplo Pisanorum antiquorum visitandam ob varias rationes, *maxime cum sint hic multi boni, & Sancti viri Monachi*. Memoratorum Annalium Auctores eruditissimi *T. VI. lib.* 55. *pag.* 145. dubitare videntur, hoc Monasterium anno 1382. institutum Patrum Camaldulensium amplexatum jam fuisse. Sed hac de re alias diligentius.

XXXVI.

Compositio facta ab Urbano Priore Monasterii Pisani Sancti Frigdiani inter Vitalem Archiepiscopum Pisanum, & Gothifredum de Porcari *Praepositum Ecclesiae Sancti Petri ad Gradus.*

Ex Archivo secreto Archiepiscopatus T. III. apograph. num. 816.

Anno 1252. *IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti amen. Ex hujus publici instrumenti serie sit omnibus manifestum, quod dominus Vitalis Archiepiscopus Pisanus pro Archiepiscopatu Pisano vice, & nomine ipsius Archiepiscopatus ex una parte, & Gottifredus de Porcari Prepositus Ecclesie Sancti Petri ad Gradus ex altera posuerunt in donnum Urbanum Priorem Monasterii* (1) *Sancti Fridiani presentem, & suscipientem, arbitrum ex compromisso ab eis electum, omnes lites, & discordias, & controversias, & questiones* (2), *quas*

(1) Hoc Monasterium fundatum fuit sub anno 1076., quo Binia obtulit Beato Rodulpho Priori Camaldulensi Ecclesiam Sancti Frigdiani, quae ad usum pauperum, & peregrinorum deserviebat, & locum, qui circum ipsam Ecclesiam erat. Consule doctissimum Guidonem Grandium *in notis ad monument. 5. pag. 145. & seq. in fine epistolae de Pandectis*.

(2) Lites inter Archiepiscopum Pisanum, & Gothifredum *de Porchari* ortae sunt, quod hic contra illius voluntatem *Praeposituram* Sancti Petri *ad Gradus*, quae *ad Mensam* Pisanam spectabat, a summo Pontifice obtinuerat. Constat hoc vero ex sequentibus litteris Innocentii IV., quas in lucem emitto ex Archivo citato *T. VI. apograph. num.* 1353. „ Innocentius E-
„ piscopus servus servorum Dei dilectis filiis . . . . Priori Sancti Lau-
„ rentii Florentini, & . . . . de Cillis, & . . . . de Plumbino Ecclesia-
„ rum Plebanis Pistoriensis, & Massanae Diocesum salutem, & Apostо-
„ licam benedictionem. Proposuit coram nobis venerabilis frater noster Pisa-

quas inter se habent, vel habere possunt aliquo modo, vel jure pro dicta Ecclesia Sancti Petri . . . . finiendas ab eo per rationem, vel laudamentum, aut conventum, sive per amicabilem compositionem suo libero arbitrio hinc ad dies quatuor proximos. Dantes ipsi arbitro presenti, & suscipienti plenam potestatem, & bailiam . . . . datam, citandi eos perbenptborio, & beremodicio, & ferendi inter eos sententiam contumacie, & diffinitivam, aut laudamentum una parte presente, & altera absente, vel etiam presente, & contradicente die feriato, & non feriato, lite contestata & non contestata cum petitione, & sine petitione, aut etiam sine oblatione libelli, & nulla demum solennitate juris, vel ordine servato & omnia faciendi, que possent facere de predictis aliqui Judices Ordinarii, vel delegati a domino Papa. Hoc acto inter eos, quod omnia, que coram ipso arbitro acta tractata, & allegata fuerint, valeant, ac si fierent coram Judicibus Ordinariis a domino Papa delegatis. Et per stipulationem promiserunt sibi ad invicem, & ad penam centum marcarum argenti vicissim inter se stipulatione promissam, se dictus dominus Archiepiscopus, & suos successores, &

,, Pisanus Archiepiscopus, quod cum Ecclesia Sancti Petri ad Gradus Pisanae Dioecesis ad Mensam suam pertineat G. de Porcaria Rector Ecclesiae Sancti Philippi Pisani amministrationem ipsius Ecclesiae Sancti Petri, quae Custodia, seu Praepositura vulgariter appellatur, vacare proponens, eam sibi tacito, quod ad praedictam Mensam jam dicta Ecclesia pertineret, per . . . . Abbatem Sancti Petri de Potheoli Lucanae Dioecesis praefato Archiepiscopo penitus ignorante, obtinuit auctoritate nostra conferri in ejus praejudicium, & gravamen. Quare petebat a nobis, ut quod in hac parte taliter est praesumptum, revocari in irritum faceremus: quia vero nobis non constitit de praemissis, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes, quod decreveritis per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio, vel timore subtraxerint per Censuram eandem, appellatione cessante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Lugduni XIV. Kalendas Septembris Pontificatus nostri anno tertio ,,.

bona Pisani Archiepiscopatus, & se dictus Gottifredus, & suos heredes, & bona sibi ad invicem obligando tenere firmum, & habere ratum hoc compromissum, & facere, & observare totum, & quidquid dictus arbiter aliquo predictorum modorum dixerit, vel pronuntiaverit, aut arbitratus fuerit de predictis. Actum Pisis in Curia dicti Pisani Archiepiscopi presentibus Guidone quondam Guelfi de Porcari, & Ranuccino quondam Vecchii, & domino Bonifatio Clerico testibus rogatis ad hec. Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Indictione decima, quinto idus Martii.

Coram quibus testibus in continenti dictus Gottifredus super excommunicationibus in eum promulgatis a predicto Pisano Archiepiscopo excommunicatum inde se non reputans juravit stare mandatis dicti domini Archiepiscopi pro Ecclesia, & ab eo absolutionem petiit ad cautelam. Qui dominus Archiepiscopus ipsum Gottifredum ab omni vinculo excommunicationis absolvit.

In eterni Dei nomine amen. Ego Urbanus Prior monasterii Sancti Fridiani arbiter ex compromisso electus a venerabili Patre domino Vitale Dei gratia Pisarum Archiepiscopo pro Archiepiscopatu, & vice, & nomine Archiepiscopatus Pisani ex una parte, & a Gottifredo de Porcari Preposito Ecclesie Sancti Petri ad Gradus ex altera, ad omnes lites, & controversias, & differentias, quas inter se habebant, vel habere poterant aliquo modo, vel jure, & nominatim pro dicta Ecclesia, & occasione ipsius Ecclesie Sancti Petri diffiniendas a me per rationem, vel laudamentum, aut amicabilem compositionem, sive conventum meo libero arbitrio promittentibus inter se ad invicem per stipulationem, & ad penam centum marcarum argenti vicissim inter se stipulatione promissam tenere firmum, & habere ratum, & facere, & observare totum, & quidquid de dictis litibus aliquo predictorum modorum dixero, vel pronuntiavero, ut in suprascritta carta ipsius compromissi rogata a Bartholomeo No-

Notario filio Guidonis continetur, ipsas quidem lites per laudamentum, & amicabilem compositionem diffiniens sine litis contestatione, & petitione aliqua, aut oblatione libelli ex potestate mihi concessa a partibus lites predictas, & lite non contestata, & non servato juris ordine finiendi, ut in dicto compromisso continetur. Pro bono pacis, & concordie utriusque partis, voluntatibus partium perquisitis, & eas in totum quasi ad concordiam reducens ad penam in compromisso appositam dico, laudo, pronuntio, & arbitror, ut dictus Pisanus Archiepiscopus pro Pisano Archiepiscopatu, & ejus vice, & nomine & successores ipsius non inquietent, nec molestent, sed sinant, & permictant, & patiantur dictum Goctifredum, donec vixerit, sicut verum, & legitimum Prepositum dicte Ecclesie, quiete, & pacifice habere, & tenere, & possidere dictam Ecclesiam, & bona, & res, & possessiones, & oblationes ipsius Ecclesie, & ad ipsam Ecclesiam pertinentes; Et administrare etiam temporalia, & spiritualia Ecclesie memorate, & omnibus predictis uti, & frui suo libero arbitrio, salvo quod infra de oblationibus (1) dicitur. Et eandem penam dico, laudo, pronuntio, & arbitror, ut dictus Goctifredus sinat, & permittat, & patiatur dictum dominum Archiepiscopum, & nuntios, & succesores ipsius quiete, & pacifice habere & percipere, & exigere oblationes dandas, & concedendas dicte Ecclesie singulis annis quoad vixerit dictus Goctifredus die festivitatis Ascensionis De-

(1) Non dubito, quin valde copiosae fuerint oblationes ultro a Christi fidelibus per haec tempora factae Ecclesiae Sancti Petri ad Gradus. Ex litteris enim Petri Moriconii Archiepiscopi Pisani apud Orlendium *T. II. par. 2. Orbis Sacri, & prophani lib. 3. cap. 21. pag. 862.* constat, initio saeculi duodecimi solemnitates *in eadem Ecclesia diu, noctuque secundum antiquum consuetudinem magno etiam exterorum, atque advenarum concursu* celebratas fuisse. Et Fridericus Vicecomes Archiepiscopus item Pisanus saeculo decimo tertio in quodam sermone, qui MS. exstat in Bibliotheca superius laudata, ab ipsomet habito in die Ascensionis Domini *apud Sanctum Petrum ad Gradus*, haec habet: *non solum tota Civitas nostra, & Comitatus, sed etiam de Janua, de Parma, de Bononia, de Aretio, & de Senis, & de tota Thuscia concurrunt cum devotione maxima ad Ecclesiam istam Beati Petri Apostoli.*

Domini, & die vigilie ipsius festivitatis, die Consecrationis Ecclesie Beati Petri, & die vigilie ipsius Consecrationis, & die festivitatis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & die vigilie ipsius festivitatis Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, & aliis diebus usque in tres tantum ad electionem dicti domini Archiepiscopi, quam faciat hinc ad unum mensem proxime venturum. Dum tamen oblationes, que fient, & concedentur dicte Ecclesie die Jovis Sancti annuatim, vivente dicto Gottifredo, non possit eligere aut habere. Quas oblationes die Jovis Sancti, & oblationes fiendas, & offerendas pro Opera, & intuitu Opere dicte Ecclesie, etiam predictis diebus, quibus, ut scriptum est, Archiepiscopus suprascrittus oblationes habere debet, & omnes alias oblationes totius anni tam votorum occasione, quam alia offerendas, & legata dicte Ecclesie, aut Opere relinquenda preter oblationes dictorum dierum deputatorum dicto domino Archiepiscopo, & predictorum dierum eligendorum ab eo, dum tamen non eligat, nec possit eligere oblationes diei Jovis Sancti, nec que fient pro Opèra, aut votis, vel legatis habeat, percipiat, & exigat dictus Gottifredus pro sue voluntatis arbitrio. Ita tamen quod predictis diebus domino Archiepiscopo deputatis non liceat dicto Gottifredo, vel ab eo prepositis, aut preponendis colligere oblationes, que fient pro Opera in supradictam Ecclesiam. Et in predictis a me laudatis, & pronuntiatis unum alteri, ut scriptum est meo laudamento ad suprascrittam penam condempno. Ab omnibus autem aliis undecumque, inter se agere poterant pro dicta Ecclesiâ & ejus occasione, salvis que a me supra laudata sunt, eos ad invicem & unum ab altero meo arbitrio, & laudamento ad suprascrittam penam absolvo, & libero. Non prejudicando jurisdictioni ordinarie competenti dicto Archiepiscopo in suprascrittum Gottifredum Prepositum suprascritte Ecclesie, sicut in ceteris Ecclesiarum Prelatos sibi subiectos, dum tamen non ideo, sive propterea predicta a me laudata, & pronuntiata ledantur,

aut

aut in aliquo vitientur. Datum, & lectum est hoc laudamentum Pisis in Curia dicti domini Archiepiscopi, & Pisani Archiepiscopatus, presente utraque parte, & presentibus domino Bonifatio Clerico, & Rodulfino Notario, & Pantonerio Notario, & magistro Hubaldo Clerico testibus ad hec rogatis. Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo Indictione decima, tertio idus Martii.

Postea vero Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Indictione decima, quinto Kalendas Aprilis, predictus dominus Archiepiscopus sequens formam suprascritti laudamenti elegit dies infrascrittos scilicet diem dominicam Carnisprivii, que dicitur Quinquagesima, diem festivitatis Cathedre Sancti Petri, & diem sabbati proxime precedentem Dominicam Passionis. Actum Pisis in suprascritto loco presentibus suprascritto domino Bonifatio, & Guidone Notario quondam item Guidonis testibus rogatis.

Ego Rainerius filius quondam Andree dicti Testarii Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, atque Notarius has cartas a Bartholomeo Musso Notario quondam Guidonis rogatas earum scedis a me visis, & lectis, ut in ejus actis inveni, nihil in eis addito, vel inde diminuto, quod mutet sententiam, vel tenorem, ita ex commissione inde mihi facta a Consilio Senatus, & credentie, & aliorum Ordinum Pisane Civitatis celebrato, sub anno domini millesimo ducentesimo octuagesimo sexto, Indictione tertia decima, octavo idus Septembris scripsi, & in publicam formam redegi.

XXXVII.

XXXVII.

Conceditur licentia Gabrieli Priori Sancti Donnini, ut Monasterium, & Ecclesiam suam denuò construere queat alio in loco.

Ex eodem Archivo Tom. cit. num. 819.

Anno 1252. *IN eterni Dei nomine amen. Dominus Vitalis Dei gratia Pisanus Archiepiscopus totius Sardinie Primas, & Apostolice Sedis Legatus inclinatus humilibus precibus donni Gabrielis Prioris Sancti Donnini* (1) *Pisane Diecesis, & Fratrum ejus, & dicti loci videlicet donni Martini, & Fratrum Joannis, & Bonamoris Conversorum dicti loci respiciens meliorationem, & utilitatem loci eiusdem, nec non & ad statum ipsius, quo melius poterat ex alia parte vie versus Orientem, quam ex illa, in qua tunc erat* (2), *morari,*

(1) Monasterium S. Donnini secundo aedificatum erat, ubi nunc est Coenobium Patrum Cappucinorum.

(2) Vetus Monasterium constructum fuit a Fratre Martino Monacho anno circiter 1240. *suis expensis, & de eleemosinis ab eo quesitis, & quas quotidie querebat;* extra Pisas *in Carraria pontis veteris, que dicitur Sancti Egidii in loco dicto quatuor vie*. Instrumentum *in Archivo cit. T. III num.* 833. Eundem locum Martinus laudatus accepit a Bonaccurso, ut constat ex sequentibus tabulis anno paullo ante memorato quinto idus Maii confectis „ In eterni Dei nomine amen. Ex hujus publici instrumenti serie „ clareat universis, qualiter Bonaccursus quondam Petri Bardellonis de „ domo Pandulforum pro remedio anime sue, suorumque parentum donavit, & tradidit irrevocabiliter inter vivos Fratri Martino Rectori „ Ecclesie, que debet hedificari ad honorem Dei, & Sancte Marie ad „ Martires, & Sancti Donnini in loco, ubi dicitur *quatuor vie*, non multum longe a Civitate Pisana ex parte Kinthice pro ipsa Ecclesia hedificanda, & construhenda unum medium stariorum terre pro indiviso infra unum petium terre positum in predicto loco tenens capud in „ via publica, aliud similiter in via publica, latus in terra Ruberti de „ Cantone quondam Rainaldi, aliud in terra Ramonis Erovarii, cum „ toto

rari, & cum majori Fratrum quiete Divino munere pullulare, dedit, & concessit ipsi donno Gabrieli, & Fratribus dicti loci licentiam, potestatem, & auctoritatem transferendi omnia, & singula hedificia dicte Ecclesie Sancti Donnini, claustri, & domorum dicti loci ex alia parte vie versus Orientem in campum (1) ipsorum Fratrum, qui fuit quondam Henrici Pontonarii de Sancta Cristina, & de ipsa eadem materia, & de alia Ecclesiam aliam ordinandi, & construendi ad honorem Beate Marie ad Martyres, & Sancti Donnini, & Sancti Venantii, & aliorum Sanctorum, & sic Dei nomine invocato primarium lapidem immitti fecit, excommunicationis sententiam in contradictores proferens, & rebelles. Actum Pisis apud Curiam ipsius domini

„ toto hedificio, quod ibi est, & cum omni jure, & actione, & pro„ prietate, & pertinentia sua „. *T. citato num.* 751. Cum locus, in quo primo constructum erat Monasterium citatum sine controversia spectaret ad Paroeciam Monasterii S. Pauli *de Ripa Arni*, illud quotannis die 29. mensis Junii censum unius librae cerae huic solvere debebat ex conventione facta anno 1241. a Martino Monacho Sancti Donnini cum Lucano Abbate Sancti Pauli de Ripa Arni. Instrumentum *num.* 825.

(1) Contendebat Gerardus Prior Monasterii S. Martini agrum hunc positum fuisse in Paroecia sui Monasterii. vel S. Justi, cujus Prior patronus erat, ideo Gabrieli Priori S. Donnini novum Monasterium aedificandi licentiam concessit anno 1252. idibus Martii idem ipse Gerardus; quam ex Archivo toties laudato *num.* 818. publicamus „ In nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti amen. Gerardus Prior Canonice, atque Ec„ clesie Sancti Martini in Guatholungo Pisarum consensu, & voluntate „ Capituli sui, videlicet Presbyteri Jacobi, Presbyteri Gerardi, Pres„ biteri Philippi, Presbiteri Benvenuti, & Fratris Petri Canonicorum suo„ rum, & dicte Ecclesie concessit, ac licentiam dedit donno Gabrieli Prio„ ri Sancti Donnini, & Capitulo suo hoc petentibus hedificandi Ecclesiam „ ad honorem Sancti Donnini, vel alterius Sancti in Parrochia ipsius „ Canonice, & Sancti Justi in Canniccio Cappelle ipsius Canonice, sine „ prejudicio juris Parrochialis ipsarum Ecclesiarum Sancti Martini, & „ Sancti Justi, & Sancti Marci de Guatholungo Cappelle Canonice supra„ scritte. Et ut si aliqui de Parrocchianis suprascrittarum Ecclesiarum „ apud dictam Ecclesiam Sancti Donnini ex devotione voluerint audire „ interdum Divina Officia, quod ipse Prior, & Fratres Sancti Donnini „ possint eos recipere ad Divina, non prejudicando in aliquo juri Par„ rochiali predictarum Ecclesiarum, vel alicujus earum. Qui Prior San„ cti Donnini consensu Capituli sui, videlicet domini Martini Monaci, „ & Fratris Johannis Conversi sui, & dicte Ecclesie, cum dicat se plu„ res

mini Archiepiscopi, presentibus Presbytero Strenua Cappellano, & Presbytero Ricovero Camerario ipsius domini Archiepiscopi, & dominis Bonifatio, & Bonanno, & Guidone Clericis ejusdem domini Archiepiscopi, & Arringerio Clerico quondam Blanci, & aliis rogatis ad hec testibus. Dominice Incarnationis anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, Indictione decima, undecimo Kalendas Aprilis.

Coram quibus testibus in continenti, & eodem supradicto die, & loco dictus dominus Archiepiscopus precepit Presbitero Ricovero Camerario suo, & potestatem, & baliam, & auctoritatem

„ res Monachos, & Conversos non habere, in signum, & nomine census constituit, promisit, & convenit dare, & offerre, vel dari, & offerri facere ad penam centum marcarum argenti stipulatione sollempni promissam, qua soluta semel, vel pluries, contractus semper in sua firmitate consistat, unum cereum de libra singulis annis super Altare ipsius Ecclesie in Festo Sancti Martini, si contigerit dictam Ecclesiam hedificari in dictis Parrocchiis, vel aliqua earum „. Mortuo Vitali Archiepiscopo novae constructioni Monasterii, & Ecclesiae Sancti Donnini obstitit Abbas Sancti Paulli *de Ripa Arni*, qui praeterea ad Innocentium IV. confugit. Summus Pontifex rem examinandam commisit Compagno Priori Monasterii Sancti Paulli *ad Hortum*, a quo anno communi 1253. pridie calendas Aprilis decretum fuit, ut Gabriel Prior S. Donnini Monasterium, & Ecclesiam in loco, ubi antea erat, iterum aedificaret, alioquin sciret se excommunicatum esse. Ex tabulis *num.* 825.. Memoratus Prior ab hujusmodi sententia Innocentium IV. appellavit, cujus Auditor sententiam tulit *pro ipso Priore Sancti Donnini, & contra Monasterium Sancti Pauli* (Ex tabulis *num.* 833.); ac praeterea idem ipse Pontifex anno 1254. quarto calendas Junii Monasterio Sancti Donnini confirmavit omnia bona, ac privilegia eidem concessa, illudque in clientelam suscepit. Ex litteris Innocentii *num.* 826. Controversia, quae extincta videbatur, denuo excitata fuit a Luca Abbate S. Paulli coram Alexandro IV. recenter electo, quod nos docent sequentes litterae anno 1255. die Januarii decima scriptae: *Alexander Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri . . . . Episcopo, & dilectis filiis . . . . . Priori Sancti Fridiani Lucani, & Abbati Sancti Michaelis de Guamo Lucane Diecesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Conquesti sunt nobis dilecti filii Abbas, & Conventus Monasterii Sancti Pauli de Ripa Arni Ordinis Vallis-umbrose, quod Prior . . . . & Fratres Sancti Donnini Pisane Diecesis veterem Ecclesiam Sancti Donnini ad eos immediate spectantem temeritate propria funditus diruerunt in eorum prejudicium, & gravamen super quodam annuo censu, & rebus aliis injuriantes eisdem. Ideoque discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus convocatis, audiatis causam, & appellatione remota fine debito terminetis, facientes quod decreveritis per Censuram Ecclesiasticam firmiter observari. Premisso ne census ipse*

tem ei dedit eundi pro ipso domino Archiepiscopo, & ejus nomine, & vice ad dictum locum, & invocato Dei nomine lapidem immittendi. Presbyter Ricoverus suprascrittus Camerarius suprascritti domini Archiepiscopi sequendo formam precepti, & mandati suprascritti sibi facti a suprascritto domino Archiepiscopo coram me Matheo Notario, & subscriptis testibus ad predictum locum constitutus, & in dicto campo vice, & nomine ipsius domini Archiepiscopi, & ejus auctoritate secundum formam dicti precepti, & mandati in Dei nomine ad honorem Beate Marie ad Martires, & Sancti Donnini, & Sancti Ve-

ipse contra Lateranensia statuta sit impositus, vel addauttus. Testes autem qui fuerint nominati si se gratia, odio, vel timore subtraxerint Censura simili, appellatione censante, cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, tu frater Episcope cum eorum altero ea nihilominus exequaris. Datum Neapoli quarto idus Januarii, Pontificatus nostri anno primo. Confer T. *III. num.* 833. Nihil tamen a Guercio de Thebalducciis nobili Senensi Episcopo Lucensi, aliisque duobus ab Alexandro Judicibus constitutis definitum fuit, sed lis amice composita est anno 1256. quo Joannes Prior S. Donnini promisit *de consensu, & voluntate Monacorum, & Conversorum suorum vivere sub obedientia ipsius,* (Bartholomaei) *Abbatis* (S. Paulli de Ripa Arni) *tam ipse, quam sui successores, salva tamen obedientia, quam domino Pisano* (Archiepiscopo Friderico) *Electo tenent, & quod ipsi, & sui successores, & Monaci, & Conversi dicte Ecclesie Sancti Donnini, & Sancti Marie ad Martires semper gestabunt, & deferent habitum, quem deferunt Monaci, & Conversi dicte Ecclesie, & Monasterii Sancti Pauli, & qui se eorum moribus, & actibus ad Deum pertinentibus conformabunt tam in Divinis officiis, quam aliis oportunis, & qui semel in anno Abbatem Monasterii Sancti Pauli ad suum Monasterium Sancti Donnini, & Sancte Marie ad Martires honeste recipient venientem visitationis causa, qua vice videlicet semel in anno dictus Abbas Sancti Pauli possit dictum Monasterium Sancti Donnini, & Sancte Marie corrigere tam in capite, quam in membris, si ibi secundum Deum aliqua invenerit corrigenda. Item tamen, quod si Officialis aliquis dicti Monasterii Sancti Donnini propter aliquam culpam esset a suo officio removendus, primo dictus Abbas Sancti Pauli hoc Priori dicti Monasterii Sancti Donnini denuntiet, ut ipse per se faciat, quod si ipse non faceret, vel negligens inveniretur in eo removendo libere dictus Abbas Sancti Pauli ad ipsius Officialis remotionem procedat. Et hoc idem facere possit de Priore, videlicet, quod possit procedere ad ejus remotionem, si reperiretur culpabilis; & primo, secundo, tertio, quartove admonitus ab Abbate delictum, in quo reperiretur, non emendaret. Quando verò Monasterium ipsum Sancti Donnini, & Sancte Marie vacaret Priore Abbas Sancti Pauli, vel aliquis Monachus missus ab eo custodiam, & amministrationem habeat dicti Monasterii, & rerum eius, quousque de Priore fuerit honeste provisum, que provisio hoc modo fieri debeat, videlicet*

nantii, & aliorum Sanctorum primarium lapidem immisit, & Crucem ibi posuit. Actum apud predictum locum, & in predicto campo, presentibus Ursello de Cappella Sancti Pauli de Ripa Arni quondam Bigullii, & Vivolo de eadem Cappella quondam Pandulfini, & Michaele quondam Bernardi, & Gerardo Monacho Sancti Petri de Mutina quondam Romani, & aliis rogatis ad hec testibus eodem suprascritto die, mense, & anno, & Indictione currentibus.

Ego Matheus Salvii quondam filius domini Frederigi Serenissimi Imperatoris Notarius predictis interfui, & hec omnia rogatus scripsi, & firmavi.

XXXVIII.

delitet, quod Fratres ipsius Ecclesie, & Monasterii Sancti Donnini eligant, & eligere teneantur personam idoneam in Priorem presente, & consentiente Abbate Sancti Pauli, qua electione facta, si fuerit canonica, confirmetur, si autem non fuerit canonica, infirmetur per Abbatem Sancti Pauli, non tamen confirmatio facienda per Abbatem prejudicet in aliquo confirmationi, & institutioni faciende per dominum Electum Pisanum: Et quod dictum Monasterium Sancti Donnini, & Sancte Marie ad suum Cimiterium nullum possit, nec debeat recipere sepeliendum de hiis, qui sunt de Cimiterio, & sepulture Monasterii Sancti Pauli, etiam si ibidem eligerent sepelliri, nisi de licentia precederent Abbatis Monasterii Sancti Pauli. Tabulae in Archivo *num.* 848. Ex hac promissione a Priore Sancti Donnini facta Bartholomaeo Abbati Sancti Paulli aliquis fortassis colliget, illius Monasterium ad Congregationem Vallis-umbrosae spectasse, quemadmodum huius Monasterium spectabat, quod sanè falsum est. Inter rationes enim, quas Raynerius Prior Monasterii Sancti Donnini in medium adduxit anno communi 1309., ut probaret Bartholomaeum Sambuzi Abbatem Sancti Paulli laudatum Monasterium visitandi, nec Priorem renuentem visitationem excommunicandi nullum jus habuisse, prima haec est, *quia ipsa Monasteria erant diversorum Ordinum, & diversis Praelatis subiecta*. Secunda, *quia Pisanus Archiepiscopus confirmat, & instituit Priorem Sancti Donnini, ex qua confirmatione competit sibi spiritualium, & temporalium administratio*. Ex Tabulis in Archivo *T. V. n.* 1190. In quibusdam antiquis monumentis, quae ipse vidi, quaeque aliquando in lucem emittam, Monasterium Sancti Donnini dicitur tantum Ordinis Sancti Benedicti. Placidus Puccinellius *Cronica dell' Abbadia Fiorentina in Gometio I. Abbate* 30. *pag.* 36. scribit, citatum Monasterium spectasse ad PP. Cistercienses.

XXXVIII.

Vitali Archiepiscopo adjudicantur bona Monasterii S. Justiniani de Falesia in Dioecesi Massae Veternensis positi, a Philippo Monacho S. Zenonis.

Ex Archivo citato n. 824.

. . . . clareat manifestè . . . . villici venerabili domini Vitalis Dei gratia . . . . . . Pisani in Plumbino coram me Notario, & testibus infrascriptis reprehesentavit domino Alberto Dei gratia Plebis de Campilia Plebano par unum litterarum apertarum, & sigillatarum sigillo cere, in quo sigillo quedam imago picta, seu designata erat ad modum cuiusdam Abbatis stantis recte, eiusdem sigilli prescriptio talis erat: sigillum Abbatis Sancti Zenonis (1) *de Pisis; quarum litterarum tenor talis erat. Sapientibus, & providis viris de Campilia, & Plumbino Plebanis Massanis in Diecesi, & eorum Capitulis, seu Clericis Filippus Monachus Sancti Zenonis Pisarum humilis Abbas venerabilis viri . . . . Sancti Savini* (2) *Pisane Diecesis domini Pape Judicis delegati subdelegatus salutem cum caritate sincera. In causa, que vertitur inter venerabilem patrem Archiepiscopum Pisanum ex una parte, & Abbatem Sancti Justiniani* (3) *de Falesia Massane Diece-* Anno comm. 1252.

P 2 *sis*

(1) De Monasterio S. Zenonis primo fit mentio in tabulis anni 1029. apud clariss. Mittarellium, & Costadonium *Tom. II. Annalium Camaldulensium in Append. Monum.* n. 12. col. 25.; ex quibus liquet illud positum in loco dicto *a le grotte*, qui locus eo tempore exstabat extra Urbem *in Civitate vetera*, ubi scilicet antea erant Pisae.

(2) Hoc Monasterium ad flumen Arnum tribus milliariis ab Urbe Pisis distans originem habuit anno 780. a Gumberto Abbate, eiusque duobus germanis fratribus. Consule Annales citatos *T. I. lib. 3. n. 22. ad an. 959. & in Append. n. 2. pag. 6. & seq.* Utrumque laudatum Monasterium jam inde a quamplurimis annis in commendam redactum est.

(3) Celebre Monasterium S. Justiniani in oppido *Falesia*, *Felesia*, seu ut a Rutilio Numatiano dicitur *Faleria*, ubi saeculo etiam decimo tertio ad finem properante portus erat (vide Statuta Pisana *lib. 4. Rubr.* 40., ac Tron-

sis ex altera, sententiam tulimus contra dictum Abbatem de Falesia super quibusdam articulis, de quibus inter predictum Archiepiscopum, & Abbatem questio vertebatur prefati Abbatis de Falesia contumacia exigente, & juxta tenorem sententie a nobis late mandavimus Sindicum ejusdem Archiepiscopi mittendum esse in possessionem per Guidonem Clericum nostrum ad hoc specialiter destinatum bonorum predicti Monasterii de Falesia, qui de mandato nostro misit in possessionem bonorum dicti Monasterii Sindicum supradictum, & excommunicavit omnes contradictores, si qui forsitan apparerent. Verum quia quidam Monachi seu Clerici, seu dictus Abbas de Falesia contradictores extiterunt, & contradicere auctoritate propria non verentur, idcirco tam vobis Plebanis, & utrique vestrum, quam vobis Capitulis, seu Clericis utriusque Plebani mandamus, & cum reverentia sub pena excommunicationis iniungimus, quatenus predictos contradictores, vel quoscumque alios singulis diebus dominicis auctoritate domini Pape, pulsatis Campanis, denuntietis excommunicationis sententiam subiacere. Si quis autem, quod absit, inobediens fuerit, in hoc casu excommunicationis se noverit sententiam incurrisse, ut ipse dominus Plebanus omnia, que in dictis litteris continentur, faciat, & observet secundum mandatum in ipsis litteris comprehensum, & taliter me Notarium scribere rogaverunt. Actum in Campilia in Palatio suprascritti domini Plebani olim filii Comitis Uguiccionis, presentibus domino Joanne de Sassetta, & Uguiccione quondam Petri, & aliis multis testibus, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, Indictione decima, tertio idus Novembris.

Ego Gotthifredus filius quondam Ugolini domini Frederici Imp. Notarius hec suprascritta scripsi rogatus, atque firmavi.

XXXIX.

Troncium *Annali Pisani ad ann.* 1283.), aedificatum fuit ab Hugone Comite, ceterisque filiis Theodorici Comitis anno 1022., ut colligitur ex tabulis apud Muratorium *T. III. Antiquit. Ital. medii aevi col.* 1075. Anno 1115. & 1135. eidem Monasterio praeerat Ubertus Abbas. Vide tabulas *T. citato col.* 1117. 1151. Sed hoc anno 1252. finem habuisse constat, cum eius bona data sint Archiepiscopo Pisano.

XXXIX.

Gregorius X. restituit Civitati, & Ecclesiae Pisanae dignitatem Metropolitanam, quam eis ademerat Clemens hujus nominis Quartus.

Ex Ughellio in Archiepiscopis Pisanis n. 52. col. 438.

GRegorius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Sicut magni beneficii judicium est, in devotorum excessibus, medicinalis ultionis antidotum obiter adhibere, ut quos a filialis devotionis debito culpa proprie temeritatis avertit, ad ipsius observantiam unguentis salutem, servitutis disciplinam convertat, sic materne pietatis est debitum iis, qui post indevotionis lapsum, & persecutionis excessum firmiores in obsequendi proposito, & continuande in posterum devotionis exhibitionem resurgunt, nec pietatis sinum precludere, nec miserationis ubera denegare. Sane dudum felicis recordationis Clemens Papa Quartus Predecessor noster Ecclesiam, & Civitatem Pisanam, exigentibus culpis, & pertinacia Incolarum Civitatis ipsius, qui contra monitiones, inhibitiones, & comminationes Predecessoris ejusdem dudum Corradino quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris nepoti pertinaciter adherendo perstitere eidem auxilium, consilium, & favorem contra Romanam Ecclesiam, & devotos ipsius, una cum illo, & ejus fautoribus, gravibus afficiendo molestiis, ac molestis iniuriis aggravando, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie Regem illustrem, primo Patiarium, ac postea Vicarium Imperii, per eandem Ecclesiam in Tuscia destinatum, Anno 1273.

non

non solum recusaverunt admittere, verum etiam se illi presumpserunt opponere, ac ipsum multipliciter impugnare; Archiepiscopalis dignitatis honore privavit. Verum iidem Incole, tangente Domino cor ipsorum, post tantorum excessuum culpam magne humiliationis pretendentes indicia, ejusdem matris Ecclesie misericordiam, continuata diutius instantia implorarunt, devotionis ad eandem Ecclesiam irrevocabiliter observande supplicantes oblationibus, & oblatis devote supplicationibus insistentes, ut ad sinum ejusdem matris Ecclesie, a quo ipsi sua, quam recognoscebant humiliter, perversitate recesserant, sola miseratio materna reducere, & circa filios penitentes superexaltata judicio benignitatis pie matris, Ecclesie Pisane, ac Civitatis predicte de restitutione dignitatis Metropolitane misericorditer provideret. Nos itaque more pii Patris offensarum immemores, ubi ad id penitentie signis congruentibus invitamur, desiderantes Civitatem predictam in oblate ad eandem Ecclesiam devotionis proposito, multe benignitatis exhibitione firmare, syndicos, & Procuratores Civitatis ipsius ad mandata recepimus, & Civitati, ac Incolis memoratis circa excommunicationis, & interdicti sententias occasione premissorum latas in ipsos, de absolutionis, & relaxationis beneficio fecimus provideri, & ut eo plenius Sedis Apostolice sincere affectionis vinculis astringantur, quo erga se ipsius benevolentiam in remissionis promptitudinem senserint promptiorem, de Fratrum nostrorum consilio, Ecclesiam Pisanam restituentes in integrum, ipsi Ecclesie, nec non & Civitati predicte Archiepiscopalem dignitatem omnibus juribus suis, immunitatibus, privilegiis, & quibuscumque honoribus a Sede Apostolica Ecclesie concessis eidem, prout eodem tempore privationis hujusmodi obtinebat, de gratia restituimus speciali. Nulli ergo &c. Nostre restitutionis &c. Si quis ergo, &c. Datum Florentie XII. Kal. Julii Pontificatus nostri Anno II.

INDEX

Chronologicus Monumentorum.

Q 2 XXXIX.

Anno 1273. XXXIX. Gregorius X. restituit Civitati, & Ecclesiae Pisanae dignitatem Metropolitanam, quam eis ademerat Clemens huius nominis Quartus. 117.



INDEX

INDEX

RERUM PRAECIPUARUM.

Numerus, cui littera A. *praecedit, designat paginam in Appendice monumentorum.*

A.

Bal-

B

C

Ethe-

Joan-

M

N

O

nem.

facit,

FINIS.

ERRATA.	EMENDATA.
Pag. 8. v. 21. affere	afferre
12. v. 5. hoc	hac
13. not. 3. & pluribus aliis in locis Callixtus	Calliſtus
14. v. 3. ipſa	ipſe
18. v. 11. Chriſtiano	Chriſtianos
23. v. 10. Inſulam	Infulam
45. v. 1. anno circiter 1146.	anno 1145.
52. v. 1. quis nam	quiſnam
19. nonmodo	non modo
61. v. 8. Archivi	Archivii
81. a v. 17. uſque ad verſum 19. pag. 82.	ponantur lineæ „
87. v. 2. Sextienſe	Sextenſe
11[illegible]. v. 3. Gallis	Galliis
[illegible]. v. 26. famula	famulo
133. not. 2 v. 14. Auctore	Auctorem
148. v. 12. Theodericus	Turrichius
162. v. 12. calendas	calendis
164. v. 21. redditibus	reditibus
120. v. 2. barduis	bardus
185. v. 11. Chriſtianum	Chriſtianarum
216. v. 3. Oldoinus	Ciaconius apud Oldoinum
241. in not. v. 14. hac	haec
243. v. 12. 1197. 7. calendas	1198. 6. calendas
248. v. 14. coroneam	coronam
App. pag. 21. v. 14. aureos	aures
30. in not. v. 10. Maſſae Vetuloniae	Maſſae Veternenſis
43. in not. v. 3. certum locum	certus locus

102. nota 2. Dixi in Eccleſia SS. Trinitatis juriſdictionem exercuiſſe Monachos Pulſanenſes, quoniam exiſtimabam Monaſterium S. Jacobi de Orticaria, ac de Podio idem fuiſſe, ut legitur in Indice ad T. V. Annalium Camaldulenſium. Sed reipſa duo erant, quorum alterum ad orientem, alterum ad boream ſpectabat. De hoc quod Monachorum Pulſanenſium juris erat, ut conſtat ex litteris Clementis III., fit mentio in chartis Tabularii Archiepiſcopatus Piſani T. II. num 609. 610. 627. 635. 639., quae ſcriptae ſunt annis 1215. 1216. 1220. 1222. 1223.